8
S L
21

53-A-23

Cat. inscript. ex.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO

& diuina gratia, Libri decem, nunc primum in lu-cem editi.

Coll. Rom. Societ. Iesu.

Autore ALBERTO PIGHIO Campen.

Singulorum argumenta librorum, per ſingu-la capita, poſt Epiſtolam prælimi-narem explicata inuenies.

Cum Indice locupletiſſimo.



COLONIAE, *ex officina Melchioris Noue-ſiani, Anno ab orbe redempto* M. D. XLII. *Menſe Auguſto.*

(*)

53.7.19.

B. 5.

REVERENDISSI-
MO IN CHRISTO PATRI, AC
Domino, Iacobo Sadoleto S. R. E. Car-
dinali Albertus Pighius
S. D.

QVOD IIS ACCIDIT QVI IMmenſi alicuius doloris ſenſu affliguntur aſſiduo, vt apud nullos non eius meminerint: ita ego doloris mei (quo ex publica hac calamitate qua nunc miſerrime affecta, lacerata, diſcerpta, oppreſſa, & paulominus confecta Chriſti eccleſia cernitur, neſcio quo pacto ſingulariter afficior) non poſſum non meminiſſe aſſidue vbicunq; eius ſe offert occaſio, præſertim apud te, virorum clariſſime, qui eodem mecum ſenſu, eodem dolore tangeris, & quod hac ipſa in re immẽſo etiam ſtupore quodam afficior, Nõ, quod mirer inueniri, quos nunquam defore Chriſti eccleſiæ, ipſe nobis Chriſtus, atq; eius prænunciarunt apoſtoli: nunquam defuiſſe, ipſa rei ſubſequuta comprobauit euidentia: peruerſores nempe orthodoxorum dogmatum, incentores ſatoreſq; diſſidiorum in religione, & ſeductores hominum: ſed, quod cateruatim in perditionem ſuam ruere tam multos videam: quod ſeductores illos, tam facile, tam ſecure ſequantur homines, & abduci ſe ſinant ab illo corpore ſocietatis eccleſiaſticæ, vt nunquam ceſſarit ſerpens ille antiquus multis ab initio modis a beata vita, vnde ſuperbia ſua ipſe exciderat, auocare homines, a Deo auertere & accire ſibi, pijs omnibus notum eſt, Ad quod cum efficaciorem modum nullum habeat, quam vt quos ab ouili Chriſti atque eius ſeptis ſeduceret, & a catholica fide & religioſæ ſocietatis conſenſu deciſcere faceret: nihil mirum eſt ſi in hoc vnum totis ſemper viribus incubuerit, Quos enim aliter auertit a Deo, & humana aliqua fragilitate carni ſuccumbentes, & huius mundi illecebris captos, ſuggeſtionibus ſuis conſentientes habet, nondum tamen vt ſuos ſecure poſſidet, quandiu in ouili Chriſti religioſę ſocietati conſentientes, ſub virga paſtoris permanent: ſed magnus ijſdem, nec adeo difficilis ad ſalutem ſuam relictus gradus eſt, & patet reditus, Necdum enim ſui his mali ſenſus interijt: ſed intus torquet, accuſat, atq; ipſos etiã reuocat miſera afflictaque conſcientia: deinde, & ſanorum adhuc membrorum, quibus & fidei vnitate, & ordinis, quo etiam dum continentur vinculo in vnius

corporis vnitatem conglutinata vtcunque permanent, ſubleuantur ſympathia: & coercentur reuocanturque ſeueritate diſciplinæ, cui adhuc ſubiacent, eccleſiaſticæ: poſtremo parata habent, atque adeo obuia ingeſtaque peccatorum remedia efficacia, At quos ille a fidei integritate, aut ab ouili catholicæ eccleſiæ quaqua occaſione, quoquo prætextu ſeducere potuit, eos totos, velut ſuaipſius membra ſecure poſſidet, & liberum in eoſdem imperium obtinet, Aeque enim vt ſine fide orthodoxa impoſſibile eſt placere Deo, ita extra arcam illam, extra hoc ouile nulli ſalus eſt. Illa, vbi deficit, omnis iuſtitiæ & ſalutis fundamentum ſublatum eſt, Diuiſo etiam membro ab vnitate corporis, nulla vitalis vis influere poteſt a capite, Nullius proinde ſalutaris remedij his patet copia, nec ſui morbi ſenſu impulſi quærunt, vbi inueniri poſſet, remedium: ſed amentibus & furentibus ſimiles, ſe ſolos ſapere, reliquos omnes inſanire exiſtimant: ſe tum primum inueniſſe Chriſtum & eccleſiam, quando primum regni Chriſti deſertores facti transfugerunt in regnum ſatanæ. In hæc itaque quod inimicus ille, omni ſemper conatu incuberit ab initio, & ſementi diuinæ, dormitantibus hominibus, zizania ſuperſeminare conatus ſit, nihil ſane mirandum eſt, Sed nec id quidem, quod ſtrennuos pleroſque cooperatores, & ſibi deuinctos milites habeat: quales ipſi nunquam defuere ab initio. Sed horum tantus quem cernimus, in ſuamipſorum & publicam pernitiem ſucceſſus, is eſt, qui omnem apud me admirationem vincit, omne miraculum ſuperat, Nam ſiue mecum reputo quid ſit quod hi agunt, ſiue qui illi, & quibus id artibus, etiam ſtupor mihi quidam ſubit vllum ſanæ mentis hominem, aut cui vel ſcintilla adhuc rationis luceat, his potuiſſe aut poſſe accedere. Iactant nobis in lucem ſe reuocare iam annos plus mille ſepultam veritatem euangelicam, In quo ſi dicant verum, quis non intelligit difficilius illos, quam olim egerunt Chriſti Apoſtoli, negotium agere? Neque enim paulo facilius erat, ſi rem per ſe æſtimes, abrogare ritus Iudaicos, & gentilem ſuperſtitionem impietatemque deſtruere, quam ea conuellere quæ eccleſiæ procerum, atque adeo totius quanta quanta eſt eccleſiæ catholicæ probauit autoritas: quæ tot ſæculorum conſenſu velut Dei oracula ad nos coluerunt omnes, & adhuc colunt quotquot non titillantur peſtilentiſſima illa nouitatum prurigine, Nam gentium religio ſua ſe ipſius abſurditate facile conuincebat, præſertim admota luce veritatis euangelicæ: quæ & ſuaipſius probabilitate nititur, Cum etiam apud illos ipſos nemo paulo cordatior, quæ de dijs ferebantur nō intelligeret mera eſſe figmenta, meras nugas & fabulas: in hoc vnum excogitatas ab hominibus callidis, quo numinis metu ac religione, vtcunque contineretur multitudo incondita. Iudaicos etiam ritus, ad ipſam iam coruſcantis Euangelij lucem, velut eius vmbras quaſdam, euanuiſſe nihil mirum eſt: præſertim,

cum hocipſum ita futurum ex ipſa lege & prophetis demonſtrare & conuincere nō eſſet difficile,At per ſe incredibile eſt plane,atq; ipſi etiā quod profitemur omnes Chriſti Euangelio contrariū,quod agunt & moliuntur iſti vt credamus:quo dicam in genere,nempe,vt idem is ille, ſuam illā chariſſimā ſponſam, pro qua nihil ſibi exiſtimauit indignū, nihil graue, nihil intolerabile, ſed cum in forma Dei eſſet exinaniuit ſemetipſum,formā ſerui accipiēs,& homo factus(quo ita ſibi cōiunctiorem,ita patri ſuo reconciliatam acceptamq; faceret) ſeipſum in ara crucis holocauſtū obtulit,hoc,inquā,per ſe eſt incredibile, vt is ille tam feruens amator,quam ſuo ſanguine redemit & ſibi copulauit, ſuis omnibus diuitijs ditauit & ornauit ſponſam chariſſimam,ita neglexerit continuo,vt ab eaipſa,annis mille quadringentis adeo alienus fuerit,vt nec ſpiritum ipſius nec fidem habuiſſe credatur:ita dormitauerit ille Zelotes & peruigil eius cuſtos,ille ardentiſſimus eius amator, vt cum laruis ipſam atq; idolis fornicari permiſerit,atq; eaipſa pro deo colere,Aeque incredibile & illud quod hinc eſt conſequens,excæcatos continuo fuiſſe,quotquot ſucceſſerunt in Apoſtolorꝫ vicem:nihil illos retinuiſſe viuæ illius traditionis apoſtolicæ,nihil oēs vidiſſe in ſacris literis:& deinde poſt mille quadringentos annos a neſcio quibus nouis Euāgeliſtis, tandem propitijs bene ſuperis,reuocari in lucem,veritatē & puritatem euangelicam,reuocari Chriſtum in ſuam eccleſiam,Quid autem,quod etiam mendacem Chriſtum,veritatem ipſam faciunt, qui vnitam inædificatāq; illi Cephe eccleſiam, aduerſus inferorꝫ portas inuictam perpetuo permanſuram pronunciauit:qui promiſit eandem ipſam ſingulari curæ ſibi fore ad cōſummationem vſq; ſæculi:mendacem inſuper veritatis Apoſtolum,qui colūnam & firmamētum veritatis eccleſiam affirmat,Accedit adhæc,dogmatum etiam ſecum frequenter pugnantium,ſeſeipſa elidentium,cōmuni hominum oīm ſenſui & euidenti rationi contradicentium, quam alibi ſæpe demonſtrauimus,nec minus ſæpe demonſtraturi ſumus in ſequentibus, portentoſa,& ipſis pene digitis palpabilis abſurditas, & maioris mihi admirationis cauſam præbet,Iam ad dogmatiſtas illos cū reſpicio, & quibus artibus ſuū ita propagarunt Euangelium,etiam ſtupor mihi quidā,aut neſcio quid grauius ſtupore oboritur.Apoſtolorꝫ doctrinam per ſe credibilē,& ſua luce facile effugantem gētilitatis tenebras, Iudæis etiam diuinis prophetarꝫ oraculis perſuaſibilem,tot res commendabant orbi,Cœleſte erat inprimis quod docebant,nec minus rationi maxime conſentaneum,Narrabant ea quæ viderant oculis,quæ auribus hauſerant, & nihil non olim multis figuris adumbratum, multis oraculis prædictum proferebant, Adhæc,mirus erat doctrinæ eorundē conſenſus,vt qui doctorem eundem acceperant,Chriſti & veritatis ſpiritum,Aderat diuinæ operationis vis præſentanea,qua ſuorum doctrinam proſequebatur deus ipſe,

& euidentibus ſignis prodigijsq; cõfirmabat, Aderat ſpiritus ille igne-us, qui ſeſe illorum moribus, vultu, oculiſque promebat: quibus vndequaq; puris atq; inculpatis, non minus quam miraculis, ad ſe trahebãt orbem. Stupebant homines, velut ad diuinos & cœlo demiſſos homines, cum eorum in afflictionibus alacritatem, in iniurijs lenitatem, cum ſimplicem, manſuetum, omnibus beneuolum, omnibus humanis rebus ſuperiorem, inuictum, atque huius vitæ contemptorem animum cernerent, His illi Chriſto ſubiugarunt orbem armis & machinis: his artibus, his argumentis, cœleſtem, & per ſe credibilem doctrinam, commendabant hominibus. At hi, quinam ſunt, quibus ſuam merito ſalutem ſecure credant homines, contra totius eccleſiæ, tot ſanctorum doctiſſimorumque ſententiam? quibus artibus & argumentis agunt in perſuadenda hominibus re plane incredibili? quibus nos armis oppugnant? quibus nouam hanc doctrinam ſuam confirmant miraculis? Legimus grauiſſimas ſæpenumero tentationes ab hæreticis perpeſſam Chriſti eccleſiam, vt qui mirando artificio & magna vi vibrabant torquebantque cœleſtium eloquiorum fulmina aduerſus veritatem catholicam: atque inſuper ſimulata religionis ſpecie, & vitæ, quæ videbatur, ſanctimonia, ſimplicioribus & incautis facile imponebant. Ita Maximus Arrianus, quam orthodoxus ille Auguſtinus, pene ſanctius & religioſius loqui videtur, Ita Manichæos, non ſolum dictis, ſed etiam prodigioſa vitæ ſæueritate pietatem ſimulaſſe certum eſt, quo ſic incautis imponerent efficacius, Ita quoque & alios quamplurimos, eminenti doctrinæ florentis orationis copia exornatæ ſimulatam vitæ ſanctimoniam, ad ſimplicem catholicæ fidei vnitatem labefactandam diſcerpendamq; coniunxiſſe indubitatum eſt, vt miſerandum potius, quam indignandum ſeductis eſſet, Hi vero qui omnium ab initio hæreticorũ iam multis ſæculis damnatorũ abſurdiſſima quæq; atq; impijſſima cõmenta ab inferis in lucem reuocant, imo omnem oĩm impietatẽ, velut contentionis cũ illis ſtudio, longiſſime ſuperare contendunt, quibus ſe artibus cõmendant & inſinuant? quibus hæc argumentis perſuadent hominibus? quibus armis & machinis oppugnant conuelluntq; pene vniuerſa, quæcunq; tot ſæculorum cõſenſione omnis Chriſti toto orbe probauit eccleſia? qua vita, qbus moribus, in ſectas ſuas pelliciunt homines? (neq; enim licet vnam dicere, tot nanque ſunt vt dinumerare nequeas) qua denique modeſtia, qua patientia, quo doctrinæ conſenſu tam incredibilia aſtruunt? Pudet dicere, tametſi me tacente, res ipſa palam loquatur, Meris nanque fucis, meris technis & impoſturis res agitur & actu eſt: improbo ſcripturarum abuſu: audacia atque impudentia ſingulari: mendacijs execrabilibus: conuitijs amarulentis, in omnes, in præpoſitos, in orthodoxos & catholicos: improborum conſpiratione: ſeditioſis tumultibus:

tibus : licentia vitæ carnalis & plane paganicæ, Nihil hic a me fingi intelliget, quiſquis vniuerſam diſſeminati ab initio noui huius Euangelij tragœdiam, atq; eius vſq; nunc progreſſum percurrerit: quiſquis & ſcripta, & vitam moreſq; Euangeliſtarum, dogmatiſtarumq; eius diligenter expenderit, Cuius & fructum adeſt clare perſpicere ex ea quæ nunc eſt miſerrima rerum omnium confuſione & eccleſiæ facie, ſi eam contulerimus ad patrum noſtrorum, qui hoc Euangelium præceſſerunt ſæcula: ſi noui huius Euangelici populi mores, nouam faciem quam ex hoc Euangelio induerunt, ad priorem vnde deſciuerunt: ſi turbas, ſeditiones, rapinas, clades quę ex eo ſequutę ſunt, & indubie ſequentur grauiores, niſi huic malo mature obuiam itum fuerit, Si, inquam, vniuerſum huius Euangelij fructum diligenter expenderimus, rem ita habere inueniemus, vt diximus, Publice notũ eſt, eruditiſſimos quoſdam, ſed ſibi nimis, minus autem quam par erat, tribuentes communi ſententiæ ſocietatis eccleſiaſticæ, adhęc nouitatum, & ſingulariũ peregrinorumq; dogmatũ captatores, ab initio non abhorruiſſe ab hoc Euangelio: at poſt, eius fructum perſpicientes, cũ clare viderent & experirentur quotidie, neminem meliorem, imo, neminem non inſigniter deteriorem ex eo factum (id quod publicis literis non ad vnum etiam præcipuorum eius dogmatiſtarum teſtati ſunt) retraxiſſe pedem, Certe, de ſuo populo hoc ille quantumuis perditiſſimus Lutherus queritur: hoc deplorat Philippus: hoc cõfitentur vniuerſa harum ſectarum capita, & res ipſa palam loquitur, quod effuſus ſit, ruatque pluſquam in Mahometicam vitæ licentiam, vt nonnunq̃ ille, etiam ſcripto publico ingenue confeſſus ſit, malle ſe priſtinum illud Papæ, quod ipſe vocat, & monachorum regnum, quam ferre hoc genus hominum, Quanquam non immerito dubitem an queratur ſerio: quando ea ipſa noua, quam inuexit, doctrina, ad hoc vnum compoſita clariſſime intelligitur, vt omnem prorſus pietatem aboleret, omnem religionem eximeret e mentibus hominum, Quod qui non intelligunt, non exacte mihi perpendere vniuerſa videntur, Quis enim eſt qui non intelligat, quonam illud dudum omnium illorum commune dogma ſpectauerit (vt ex multis vnum, de quo poſt acturi ſumus, proferam) abſoluta nobis ineuitabilique neceſſitate accidere omnia? non ſolum bona, ſed etiam mala operari DEVM in impijs? agi homines, non agere, in his quæ videntur agere, qualiacunque ea ſint? nihil prorſus omnium eſſe liberæ noſtræ facultatis & arbitrij, ſed diuinæ tantum operationis nos eſſe inſtrumenta quædam? Quo denique & hoc ſpectet, in quod illud nunc commutaſſe videntur, ſaltem nec ad iuſte viuendum, nec ad peccandum, vllam nobis liberam poteſtatem ſupereſſe reliquam? Peccare nos neceſſario: bene iuſteque viuere, & Dei mandatis obedire, nobis

eſſe impoſſibile:ſed vnam Dei in nobis eam operationem eſſe? Quod credens,quis conaretur bene agere,magis quam volare per aera? Quis non liberas cupiditatibus omnibus habenas permitteret, quibus fruſtra reniti nos,& reſiſti non poſſe perſuaſus eſt? Taceo alia innumera haud obſcure eodem pertinentia: vt omnis ſemel religio exempta ſit animis hominum, Et hos quiſquam mentis ſanæ dignos ducit quos magiſtros agnoſcat,& vt diſcipulus ſequatur monſtrantes Chriſtum in deſerto, in angulis & penetralibus? Propter eiuſmodi ab ouili Chriſti ſe ſeparat quiſquam, & paſtori rectorique eius, quem idem ille nobis conſtituit, hoſtile bellum infert? ab eo ſe corpore quiſquam diuidit, in quo eſt, & ad ſæculi vſque conſummationem Chriſtus permanet, ad quod congregantur illæ aquilæ glorioſi illi Chriſti martyres, confeſſores, pontifices: & hos coruos & graculos in damnationis & perditionis barathrum ſequitur? hos audit quiſquam, hos ſuſtinet iactantes reuocaſſe ſe in lucem ſepultam annis plus mille veritatem Euangelicam? hos fert, cum vel mica ſanæ mentis ſupereſt, docentes inuecta contra ſacras literas, imo impia, in CHRISTVM blaſphema & contumelioſa, quæ veteres illi, orthodoxique,quos nominare vix digni ſumus,patres noſtri,a quorum fide, religione, ſanctimonia plurimum ſane degenerauimus, tot retro ſæculis per vniuerſam docuerunt & obſeruarunt eccleſiam? imo quæ ab ipſis Apoſtolis ipſa accepit primitiua eccleſia, atque interim toto orbe, magno conſenſu religioſiſſime obſeruata ſunt? Tanta ſane in hac rerum perpenſione mihi ſubit admiratio, vt nihil eſſe poſſit magis admirabile: tantus dolor animi, vt quo me vertam neſciam: tantus cum indignatione pudor, ex amore & ſtudio communis patriæ (cui nihil ad ſummam felicitatem & gloriam deeſſet, ſi vna hæc peſtis nouatæ religionis & admiſſorum in eandem diſſidiorum abeſſet) vt ſubinde apud meipſum confundar, & me pudeat patriæ, Viros germanos, qui religionis ſtudio, & ſingularis fidei, prudentiæ, & grauitatis præconio hactenus fuerunt commendati orbi, nec eos quoslibet, ſed primarios multos, & rerum publicarum moderatores ac principes, ſed & eruditos etiam, & ſingulari doctrina ac ingenio præditos, quam a maioribus noſtris fidem accepimus, quam didicimus in catholica eccleſia, quam ante natum Lutherum vnam, magno conſenſu cum cæteris nationibus religioſiſſime profeſſi ſumus, tam leuiter deſeruiſſe? tam damnaſſe temere atque inconſulte quæ hactenus credidimus omnes? quæ crediderunt & illi patres noſtri, viri ſapientiſſimi, glorioſæ ſanctæque memoriæ? quæ toto orbe ab initio credidit vniuerſa CHRISTI eccleſia? Quæ hæc indignitas? quid hoc monſtri eſt? imo quid hac indignitate indignius? quid hoc monſtro monſtroſius? Quodipſum

tamen

tamen multo prodigioſius mihi videtur, cum, quem vnum, tales, tam multi, & qua in re ſequantur, mecum cogito: quem dum cogito, nihil certe hic aliud mihi ſuccurrit de illis quod cogitem, quam meram in ſa namq; errandi libidinem, Minus profecto poſſet mirum, minus indignum pudendumq; videri, ſi in angelum lucis ſaltem ſe transformaſſet ille angelus ſatanæ: ſi ſub ouina ſpecie tecta latuiſſet lupina feritas: ſi ea ille eſſet & fuiſſet vitæ ac morum vel ſimulata ſanctimonia, quæ vel incautis merito poſſet imponere: ſi in verbis vllam Chriſtianam modeſtiam præferret, in factis ac dogmatibus ſuis conſtantiam demonſtraret, Nunc vero cum ſit vita plane carnali, veneris atque inguinis ex profeſſo mancipium, & quem non puduit de ſe publice confiteri, æque non eſſe arbitrij ſui vt ſe ſeruet ab abuſu & commixtione fœminæ, quam non eſt arbitrij ſui, mas ſit, an fœmina: cum ſit inſuper in verbis omni pene ſcurra petulantior atque immodeſtior, omni amaritudine amarior, ita vt non Euangelicam doctrinam docere, ſed (quod prouerbio dicitur) execrationes ſerere vbique videatur, quis non merito admiretur mecum, inueniri adeo multos, eoſque tales, qui derelicto illo corpore quod vnum ad Chriſti curam pertinet, hunc adeo ſequantur pertinaciter? In hunc talem, poſt deſtitutam tot ſæculis ſuo ſponſo eccleſiam, nunc tandem deſcendiſſe illum Chriſti ſpiritum vlli eſſe poteſt credibile? Confiteor, inquit ille, tibi pater, domine cœli & terræ, quoniam abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea, quibus tandem? nunquid ſuperbis, rixoſis, maledicis? imo, paruulis, inquit, qui didicerunt ab illo magiſtro qui mitis eſt & humilis corde: a quibus ille quam abſit longe, hi norunt, quibus hominis ingenium, familiari conſuetudine eſt exploratius, & vita notior, Certe, prodit ſermo, palam loquuntur eius ſcripta, nec vlli ignotum eſt, hominem eſſe ſuperbum, rixoſum, maledicum, amarulentum, conuitiatorem, & qui tantum abſit a Chriſtiana modeſtia, quantum a ſpiritu Chriſti abeſt ſatanæ ſpiritus. Addunt illi, tota vita fuiſſe inquietum & grauem intollerabilemque quibus cum vixit omnibus, & qualis ipſe eſt, talem fere reddidiſſe eum & fauentinum illum ſuum Dydimum, tales quoque & reliquos ſectatores ſuos & diſcipulos, eorundem ſcripta loquuntur, & vita actaque comprobant. Hoccine igitur malum tam feruens, tam irrequietum, tam ſuperbum, tam amarulentum, tam denique contagioſum & ad perniciem efficax, nunc tandem præ cunctis, præ ipſa Chriſti ſponſa eccleſia, extra eccleſiam, poſt otium tot ſæculorum ſibi delegiſſe ſacrum illum ſpiritum? Benignus eſt, inquit ille, ſpiritus ſapientiæ, non maledicus, non factioſus: pacis, non diſſentionis ſator. Ergo cuius hic ſit ſpiritus, cuiquam obſcurum eſſe poteſt? Certe, agi illum ſatanæ ſpiritu, atque ipſis adeo furijs infer-

infernalibus, qui non clare intelligit, is ille ſtudio mihi claudere oculos videtur ne clariſſimam lucem videat & veritatem apertiſſimã intelligat, Quãdo, nec idemipſe de ſe tacere poteſt, quod hic ſuper terram frequenter patiatur pœnas dęmonum infernalium: monſtrum plane tartareum, & pijs omnibus iure merito ter execrabile, Ita enim idemipſe ſcribit in irreſolutis ſuis illis reſolutionibus. Noſſe ſe hominem, qui huiuſmodi pœnas ſæpe pertulerit, Quod autem ſeipſum intelligat, vt res ipſa loquitur, cum hoc affirmare nõ poſſet de alio, niſi earum ipſe pœnarum ſenſum habuiſſet: ita teſtantur hocipſum qui cum illo vixerũt familiariter, & proprijs etiam literis ad aliquot ſuos (quas viri fide digniſſimi vidiſſe ſe publice teſtantur) cõuincitur, Et quiſquam, cui vel ſcintilla ſupereſt generoſi ſpiritus, Lutheranum ſe dici ſuſtinet? Quiſquam fert illos cenſores morum eccleſiæ? In quam, irrepſiſſe quidem multa per vniuerſos eius ordines nõ ignoramus, quæ paſtorum & rectorum eius cura merito corrigenda ſunt, et pij omnes correcta deſiderant: ſed interim ferũt inuicem, nec propter aliorum peccata ſe perdũt, aut a Chriſti ouili ſe ſeparant, Illorum vero hominum, quis feret cenſuram faſtum atq; arrogantiam, qua nobis præſcribunt leges huic tempeſtati, his moribus vix poſſibiles, ad quas reformari eccleſiam exigũt: quibus niſi paruerimus, proteſtantur nunquam ſe reuerſuros ad gremium eccleſiæ: atque eius culpam quod a nobis deſciſcunt & deſciuerunt, in nos tranſcribũt, Non deſunt nobis olim editi ſanctiſſimi canones, quibus eccleſia ordinata formataq; eſt ab initio: ſed deeſt, quã ipſi præcipue turbarunt, publica diſciplina eccleſiæ: & ſua (quam ipſi hoſtiliter impugnant) magiſtratibus in ea ſingulis, ab omnibus religioſe recognita autoritas: quæ ab omnibus, officij ſui rationem poſſit exigere, omnes in ſuo continere officio, Nihil vero ſtultius aut abſurdius cogitari poteſt, quam quod impiorum dogmatum ſuorum cauſam, & cur eccleſiæ catholicæ in fide & religione non conſentiant, cur ab eadẽ deſciuerint, prætexunt abuſus eccleſiæ, & corruptos in ea mores ſacerdotum & pontificum, Sint ſcelerati quantum velint ſacerdotes noſtri, ſint & Epiſcopi, quid hoc ad dogmata? Ergone vniuerſa noſtra natura peccatum eſt, & quam Deus facturam ſuam merito proſequatur odio, quia peccatores ſunt monachi, clerici, ſacerdotes & Epiſcopi? Ergo ſola nos ſaluat fides, & Deo conciliat, nullius vero apud illum momenti noſtra ſunt opera? Ergo Chriſti corpus & ſanguis in Euchariſtia non ſunt: aut ſi ſunt, poſt conſecrationem in repoſita ſeruataq; Euchariſtia non permanent? Ego non tranſmutantur in Chriſti corpus & ſanguinem panis viniq; ſubſtantiæ, ſed integræ permanẽt? Ergo licet monachis, ſanctimonialibus, & ſacerdotibus, tranſire in carnales amplexus, contra votum Deo præſtitum? Ergo inuocare ſanctos eſt impium & idololatricum? Hos, inquiũt, abuſus eccleſiæ (quos

multos, partim vere, partim falſo enumerant) approbare non poſſumus, Quaſi quiſquam hoc ab illis exigat, vt abuſus qui irrepſerunt in eccleſiam approbent ? Quaſi etiam nobis non diſpliceant abuſus eccleſiæ, et tolli illos per quos oportet non expetamus votis omnibus? Interim tamen noſtri in eccleſia loci, gradus, & officij memores, non vſurpamus nobis quod ad nos non pertinet, Non mouemus ſeditiões et ſchiſmata in eccleſia, In fidẽ & religionem nihil noui introducimus, ſed in eis conſentimus vniuerſo religioſo ſodalitio: nec propter aliorꝫ peccata nosipſos perdimus: non deſerimus Chriſti eccleſiam, nec ex arca illa nos damus præcipites in perditionis barathrum, etiam ſi in ea Caiphas aut Annas ad clauum ſedeat: etiam ſi principalem in ea cathedram teneant. Quanquam illi, quod in tergo eſt, ſi ad pectus reuocarẽt manticæ, plus ſatis inuenirent, quod domi ſuæ curarent negotij. Sed quorſum, inquies, hæc tam multa, & quid ad te? primum, quoniam dolori meo nonnihil indulgere libuit: deinde, quia nõ tibi, quanuis ad te, ſed Germanis meis hæc ſcripta ſunt: ſi quo forte modo, etiam illos qui adhuc a nobis diſſentiunt, ad diligentiorẽ harum rerꝫ perpenſionem, & noſtri doloris admirationiſq; conſenſum poſſim pertrahere, vt nobiſcum doleant ex animo, admirenturque ſe pertractos eouſq;, execratiſque ſeductoribus, reuertantur ad caulas eccleſiæ. Ad id vero quod nunc eſt in manibus vt aliquando veniam, cum crediti mihi a Deo talenti ratio hoc a me poſtulare videretur, vt exagitatæ tot nouis quotidie ſeditionibus & miſere laboranti eccleſiæ illud ipſum diligenter impenderem, & aduerſus tantam eandem pluſquam hoſtiliter oppugnãtium multitudinem, vim, & furorem etiam me inter multos, & cum multis obijcerem, tametſi multa deeſſent neceſſaria tantam ſuſcepturo prouinciam, nec ea adeſſet ingenij vis, doctrinæ excellentia, orationis copia & vehementia, quibus poſſem aduerſus veritatem inſolenter ſe efferentes reprimere, vna tamen pro his omnibus me animauit & armauit cauſæ pietas, & in Chriſto fiducia. Quibus fretus, primum ſolida certaque aduerſus aduerſariorum inſultus fundamenta & principia conſtituere aggreſſus ſum. Quod cum ſex illis libris de Hierarchia eccleſiaſtica, piorum eruditiſſimorumque multorum iudicio, & inprimis tuo, SADOLETE doctiſſime, quod mihi plurimorum loco eſt, peregiſſem non omnino infeliciter, confirmatus animo, etiam ſingulas, quæ hac tempeſtate in religionem introductæ ſunt, controuerſias, explicare conatus ſum, Breuiter id quidem, quantum pro re, argumento, & tempore potuimus, quod & eo potuimus breuius & facilius, quo apud orthodoxos & pios oẽs minus vnquam difficultatis habuiſſe inueniuntur. In quibus, cum etiam tuo me ſatiſfeciſſe iudicio, idemipſe tu, qui minime ſoles in cuiuſquam, quam vnius veritatis gratiam dicere, libera apertaque oratione mihi coram

ſerio conteſtareris,addidiſti animum,vt in priſs his ſtudiſs pergerem,et meditationes in iſs noſtras ſtudioſis vſui fore tibi quam mihi magis crederem. Ad pacatiora itaque ab inquietis & pugnacibus illis ſtudia aſpiranti iam mihi, hoc ante, velut medium inter ea argumentum, tractatum quidem a multis, ſed ita tractatum, vt retractandi idipſum occaſionem magis ſubminiſtrauerint, quam eripuerint poſteris, De libero, inquã, hominis arbitrio, et diuina gratia, diligẽter et ex ordine pertractandum videbatur: emetiendumq; etiam hoc velut immenſum quoddam pelagus: primum, quod plurimas inprimis arduas, & explicatu difficillimas in vniuerſa religione quęſtiones in ſe complectitur: quæ etiam orthodoxis, priſs, doctiſſimiſque, multum ſemper fecerunt negotiſ, nempe, De diuina prouidentia qua guberna tur mundus & res adminiſtrantur humanæ, De infallibili omnium præſcientia, & quo pacto cum ea ſtet rerum omnium contingentia & noſtri libertas arbitriſ, De prædeſtinatione item electioneque piorum: & impiorum reprobatione, De diuinæ quoque bonitatis immenſa miſericordia: & num æqua ea ſit erga humanum genus vniuerſum, ita vt per eam non ſtet, quo minus omnes, quos capaces ſuæ beatiſſimæ bonitatis condidit, eiuſdem quoque efficiantur participes: an paucos quoſdam tantum, dimiſſis, reiectis, reprobatiſque cæteris, ſibi delegerit ex vniuerſo genere hominum, in quos diuitias ſuæ bonitatis conferret & oſtenderet, Ad hæc, quod locos plurimos diuinæ ſcripturæ, obſcuros admodum & intellectu difficiles comprehendat: quo & mihi in his omnibus ſatisfacerem, Poſtremo, quod & noui eius quod nunc iactatur & in religionem diſſidia inuexit Euangeliſ dogmatiſtæ, etiam in hoc ipſo (vt nihil pene reliquerunt ſyncerum) abſurdiſſimas atque impiiſſimas opiniones aut protulerint ipſi, aut ſectentur atque aſſerant. Quas lucubrationes noſtras cui dedicarem circumſpicienti mihi, tu vnus, vir clariſſime, inter multos occurriſti: non ſolum, quod tanta illa tua in me beneuolentia, quam in præſentem & hoſpitio exceptum amantiſſime effudiſti, tamque amicum de me, ſtudiiſque meis, etiam doctiſſimis literis accurate a te teſtatum iudicium, ita me tibi mutuo deuinxerunt, vt meæ in te obſeruationis & grati animi argumentum aliquod extare cuperem: ſed multo maxime, quod tuo (in quo certant eximia pietas, rara eruditio, candor libertaſque ingeniſ, vt nulli inuidens, ita nulli blandiens) tuo, inquam, iudicio eas ipſas comprobari inprimis cupiebam, Hoc certum habens, pio eruditoque Lectori ſatis probatum fore, quicquid illi probatum fuerit, Quem opto nobis & CHRISTI eccleſiæ diu ſupereſſe felicem & incolumem, Datum Coloniæ Idibus Auguſti, M. D. XLII.

SIN.

SINGVLORVM LIBRORVM ARGVmenta.

LIber Primus ante omnia oſtendit, vt Dei & noſtri cognitio mutua quadam inter ſe correlatione reſpondeant, & ex ſe mutuo dependeant, Deinde, aduerſiſſimam diuinæ bonitati ſententiam explicat, qua nonnulli plane tollunt liberum hominis arbitrium, ſed omnia ineuitabili nobis abſolutaque neceſſitate ex Dei voluntate prouenire affirmant, nonnulli in his quæ nihil ad ſalutem pertinent aliquid illi tribuunt: in illis vero æque nihil, ſed plane ſeruum ipſum faciunt.

Liber Secundus, prædictas opiniones, de rerum neceſſitate quo ad nos ineuitabili, deque ſeruo hominis arbitrio coarguit, & quantum cum Dei bonitate pugnent, quæ denique & quanta blaſphemiarum portenta includant, palam facit, Deinde, fidem, traditionem, definitionemque catholicæ Chriſti eccleſiæ, & conſenſum ſanctorum orthodoxorumque patrum ab initio omnium, de humani arbitrij libertate clariſſime demonſtrat.

Liber Tertius, D. Auguſtini (qui etiam orthodoxis pleriſque libertati arbitrij alicubi videtur iniquior, & a ſeruitutis eius aſſertoribus producitur, vt vnus veterum omnium certi aliquid de hoc argumento aſſerens, & ipſorum ſubſcribens ſententiæ) ex libris eius vniuerſis, certa, clara, ſibique, & cæteris omnibus per omnia conſonans, de eadem prolixe demonſtratur ſententia.

Liber Quartus, quam infeliciter laborent hoſtes libertatis arbitrij, & ſeruitutis eius aſſertores, in torquendis ſcripturis quę euidenter aduerſantur eorundem ſententiæ, luculenter oſtendit.

Liber Quintus, Inter pugnantes hæreticorum impietates, hinc arbitrij libertatem, inde, diuinæ gratiæ neceſſitatem negantium, media regiaque via incedentem orthodoxam catholicamque veritatem demonſtrat, quæ eorundem coniugationem neceſſariam aſſerit.

Liber ſextus, Sectæ Euangelicæ, quam ſe dicit, ſententiam, de diuina gratia, & modo quo ea in nobis operatur, rationeſque & argumenta quibus eandem aſtruunt preſſius excutit, & eorundem falſitatem euidenter coarguit.

Liber Septimus, Eiuſdem ſectæ, de diuina præſcientia, prædeſtinatione, & prouidentia ſententiam explicat, atque eius falſitatem, abſurditatem, plenamque in Dei bonitatem blaſphemiæ impietatem clariſſime demonſtrat, Ad hæc, nouum quorundam commentū excutit, quo aſſerunt, vnumquenque fidelium certo cognoſcere poſſe, a Deo electum ſe ab æterno, & in libro vitæ deſcriptum.

Octauus, De infallibili diuina præſcientia, ad pietatis regulam pertractat, vtque ea nihil pugnet cum rerum contingentia & libertate noſtri arbitrij luculenter oſtendit. De prædeſtinatione item piorum, & reprobatione impiorum, piam orthodoxamque ſententiam explicat, Nec ſectæ tantum de eiſdem opinionem impiam, ſed etiam Diui Auguſtini, vt parum probabilem, nec diuinæ bonitatis dulcedini admodum congruentem ſententiam redarguit, De diuina præterea prouidentia, qua, etiam ſingulariter, gubernat diſpenſatque omnia, quo pacto ea impedimento non ſit, quo minus pro ſuæ naturæ conditione & modo agant, moueanturque ſingula, neque ineuitabilem nobis (vt nonnulli impie opinantur) neceſſitatem inducat rerum omnium clariſſime demonſtrat. Denique, difficiles circa hæc incidentes & perplexas quęſtiones facile & luculenter explicat: & ſcrupulos, qui vel ex humana ratione, vel ex ſcripturarum locis obſcurioribus etiam pijs ingeruntur, diſcutit.

Nonus, Scripturarum quoſdam locos, etiam orthodoxis omnibus intellectu difficiles, quæ explicatæ in ſuperioribus veritati aduerſari videntur, & rationes pleraſque apparentes, ex quibus apparet non æquam eſſe Dei erga omnes beneficentiam, nec velle ipſum omnes ſaluos fieri, apparenter inducit, inductos autem ſcripturarum difficiles locos, ad pietatis regulam luculenter explicat.

Decimus, eſt in explicandis diſſoluendiſque argumentis quibuſdam difficilibus, ſuperiori libro inductis, ex quibus, & malorum, hoc eſt, peccatorum noſtrorum autorem Deum eſſe videtur, nec velle ipſum omnes ſaluos fieri.

ARGVMENTORVM FINIS.

INDEX

INDEX RERVM ATQVE SENTENTIARVM ALIQVOT

celebriorum, quas nos quidem tumultuaria tantum le-ctione obſeruauimus: ſtudioſi autem lectoris erit, hoc genus multo pluribus notandis, colligendiſque iuſtam operam præbere.

A.

ABEL cur Deus permiſerit à fratre occidi. 179.
Adam ſi non peccaſſet, an quiſquam eoꝝ, qui nunc damnantur, natus fuiſſet. 138. & 139.
Adintor noſter qua ratione Dens dicatur. 75.
Adiunari non poteſt, niſi qui ſponte aliquid conatur, ant operatur. 53. 75.
Aduerſa pijs hominibus proſunt. 147.
Aduerſa in bonos vt incidant, vtilius eſt reipublicæ quàm in malos. 149.
Anima rationalis certamen habet aduerſus diabolum & angelos eius, cõtrariaſq; virtutes. 22.
Anima omnis rationalis eſt liberi arbitrij & voluntatis. 22.
Anima omnis hnmana & boni & mali eſt capax. 33.
Anima humana cum ex mundo diſceſſerit, mox pro ſuis meritis aut præmium percipiet aut ſupplicium, vtpote ſubſtantiam aut vitam propriam habens. 22.
Animę humanę duplex eſt operatio. 33.
Animę omnes humanę vnius eiuſdemque ſunt ſubſtantiæ. 23.
Animam rationalem ex natura ſua, quã à creatore accepit, nihil ex ſe poſſe q̃ peccare, dicentes, diuinam bonitatẽ accuſant, non commendant. 79.
Ambroſii de libero arbitrio ſentẽtia. 34.
Amoris noſtri erga Deum quis ſit fructus. 120.
Ariſtotelis de Deo ac animæ humanæ mortalitate ſententia. 3.
Augnſtinus qnantum tribuat libero hominis arbitrio. 37.
Auguſtinus in quæſtione de correptionis vtilitate ex opinione ſua de certorum electione, & reprobatione aliorum, perplexns hæret. 101. & 102.
Auguſtinus prædeſtinationis & reprobationis quæſtioni videtur plus difficultatis inieciſſe, quã in ſe habuit. 130
Auguſtinũ quid coegerit ſcribere libꝝ de correptione, & gratia. 67.
Auerſio impiorum non eſt diuinæ cõſtitutionis ſed voluntatis hnmanæ. 179.
Auerſionem peccatorũ non eſſe diuinæ conſtitutionis, ſed volũtatis hnmanę, demõſtrant dei erga peccatores beneficia, & ad pœnitentiã ꝓuocatio. 179.

B.

BAptiſma non ſtatim fuit omnibus neceſſarium, poſtquam dictum eſt, Niſi quis renatus fuerit. 180.
Baptiſmatis ſacramento Chriſto incorporati adeo ſalutis ſuæ certi nõ ſunt, vt damnari etiam poſſint. 131.
Baſilij magni de lib. arbitrio ſentẽtia. 33.
Beatitudinem nemo nolle poteſt, ſed bene non velle. 41.
Bonum quod creaturis ex conditionis neceſſitate ineſt, in vnius conditoris laudem duntaxat eſt referendum. 41.
Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas, quomodo dicantur eſſe à Deo. 144.
Bona quæ vulgus admiratur ac concupiſcit, revera bona non eſſe oſtenditur. 145.
Bonitas diuina etſi diuidat ſingulis prout vult, in ſingulis tamen reſpicit aliquid, ad cuius rationem ſua dona ac talenta diuidit. 179.
Bonitas infinita malum velle non poteſt, nec operari. 120.
Bonitatis diuinæ diffuſio, non præbenti Deo proficit ſed accipienti. 120.
Bonitatis neceſſitas, nihil honoris meretur aut præmij. 86.

C.

CAin ipſe fratrem ſuum occidens euidenter oſtendit ex ipſa Dei correptione, Deum nolle peccatoris mortem, ſed magis velle vt conuertatur & viuat. 175.

Calamitas, virtutis occaſio eſt, incitamentum ac exercitamentum. 148.
Caluini infidelitas in citandis autoribus oſtenditur. 105.
Chriſtus omnibus ſe impēdit, etiam impijs & peccatoribus. 177.
Chriſtus pleraſque ſententias abſolute protulit, quas tamen reſtrictionē recipere eſt in confeſſo. 81.
Chriſti morte vt redimeretur humanū genus, quo ordine ac modo, Deus ab æterno diſpoſuerit. 173.
Chriſto in cœlum iam conſcenſo, multos Chriſto incorporatos fuiſſe conſtat, ac placuiſſe Deo, ſine explicita Chriſti fide, ac Baptiſmi ſacramento. 180.
Chriſto nondū nato, multi etiā extra nationē Iſraeliticā, Deo placuerūt. 180.
Chriſto appropinquat nō quiſquis à patre cœleſti trahitur, ſed qui trahenti auſcultat ac obedit, quo voluntatis libertas aſtruitur. 98.
Ciceronis de libero arbitrio ſententia. 36.
Clementis papæ opera Ruffinus e Græco in Latinum tranſtulit. 25.
Coactio definitur. 44.
Coactionem quo modo Caluinus diſtinguat à neceſſitate. 12.
Confeſſionem cur Pſalmiſta tātum extendat in ſæculum. 32.
Conſiliorum diuinorum ac voluntatū ordinem inuertentes aut non obſeruantes, magnis implicantur obſcuritatibus. 173.
Conuerſio hominis ita Deo attribuenda eſt, vt tamen homini ſuæ quoque partes relinquantur. 90.
Conuerſionis humani cordis ad deum, quæ ſint impedimenta. 91.
Conuerſionem noſtri ad Deum, gratia præueniat eſt neceſſe. 98.
Conuerti a peccatis ad Deum in noſtra ſitum eſſe poteſtate exemplo probatur Niniuitarum. 92.93.
Contingentia in rebus omnibus negantium argumenta diluuntur. 141.
Cordis diſpoſitionem quare Sapiens homini aſcribat, Deo autem præparationem linguæ. 141.
Cornelius Centurio ſine fide explicita Chriſti, incorporatus Chriſto fuit, ac Deo placuit, eo quod illi Chriſti fides nondum ſufficienter prædicata eſſet ac publicata. 180.
Corona iuſtitię rōne certaminis, & fideliū laboꝝ datur, non diuinæ electiōis reſpectu, quanuis non niſi electis. 65.
Corpus humanum, malum non eſt, nec reprehendendum. 33.
Corpus quo modo ſit regendum vt ſpiritui ſeruiat. 33.
Correptio peccatoris quomodo ſit facienda. 68.
Correptio peccatoris quorſum ſpectare debeat. 101.
Correptionis nulla erit neceſſitas aut vtilitas, ſi liberꝫ tollatur arbitriū. 101.
Creaturarum condendarum quæ apud Deum fuerit ratio. 31.
Culpa deprehendi nulla poteſt, vbi natura, & neceſſitas dominatur. 39.

D.

DAuid cur dixerit à Deo fuiſſe prę ceptum vt à Semei malediceretur, cum Deus peccati autor eſſe non poſſit. 173.
Declinare in dextram aut ſiniſtrā quid ſit. 67.
Deus cur ſolo Iſraele electo in populum peculiarem, cæteras nationes omnes, quaſi ad ſe non pertinerent, dimiſerit in vias ſuas ingredi. 146.
Deus pater quomodo pro nobis filium ſuum in mortem tradiderit. 173.
Deus ab homine nullum niſi innocentiæ, & religionis, & fidei poſtulat obſequium. 31.
Deus quomodo adiutor noſter dicatur. 75.
Deus vnus ita operatur in omnibus omnia, vt tamen vnaquęque creatura faciat, quod ei conſtitutum eſt in ſuo ordine. 98.110
Deus quomodo nos ad pœnitentiā conuertat. 91.
Deus etiam impios fecit vt viuerent, ac beatitudinis ſuæ forent participes. 117.
Deus quare dicatur velle omnes homines ſaluos fieri. 155
Deus cur creauerit, quos malos & damnandos pſciebat. 146. & 150. & 151.
Deus peccatoꝝ autor non eſt. 171. 173.
Deus omnia propter ſeipſum operatur. 119.
Deus nihil agit, niſi ex certa ratione, & ſapientiſſimo conſilio. 146.

Deus

Deus in his quæ vult, ſemper rationem habet, ad quam reſpiciens ſic vult & facit. 116.
Deus non perſonas pro ſuo beneplacito eligit, in quas beneficia ſua copioſa manu conferat, ſed earundem reſpicit merita. 137.
Deus qua rōne dicatur peccatores tradere in deſyderia cordis eorum. 170.
Deus cur pro omnibus voluerit ſibi ſupplicari. 175.
Deus nemini deeſt bene conanti. 35.
Deus cum ſit neceſſario bonus, per hoc minus laudabilis non eſt. 41.
Deus prima illa ſua intentione indiſcrete & indiſcriminate creare diſpoſuit vniuerſos homines, vt ſuæ bonitatis ac beatitudinis forēt participes. 136.
Deus de vnoquoq; iudicat ſecundū ipſius dignitatem & opus, et non pro ſolo ſuo beneplacito. 126.
Deo tyrannica illa crudelitas aſcribēda non eſt: vt qui homines vel ſaluet vel condemnet abſque ratione. 116.
Deo nemo poteſt amicus fieri, qui non ſponte ſua, virtuteque illi obtemperat. 33.
Deum quidam ſcripturæ loci peccatorum autorem facere videntur perperam intellecti. 153.
Deum, & bonum eſſe ac præſcium atq; potentem oſtenditur. 16.
Diabolus quomodo neceſſario malus ſit. 41.
Diabolus peccandi neceſſitatem homini imponere non poteſt, perſuadere tamen & decipere ad ſubuerſionem poteſt, eos qui nō omni cuſtodia cor da ſua præmuniunt. 23.
Diabolum cur Deus aduerſus hominē certare permiſerit. 28.
Diliguntur magis quæ cum ſolicitudine multa adinueniuntur, quàm quæ vltro adueniunt. 30.
Diligentibus Deum qui quidem ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, omnia cooperātur in bonū. 137. 151.
Donorum Dei vſus legitimus remuneratur a Deo donis poſterioribus ac copioſioribus. 99.

E.

ECcleſia catholica pro hominibus cunctis ſupplicat ex præcepto apoſtolico. 175.
Eccleſia Chriſti vera quibus notis ac ſignis ab hæreticorum ſynagoga queat dignoſci, 21.
Eccleſia in vera ſcripturarum intelligentia, & his quę ad fidei veritatem, ac religionis ſynceritatem pertinēt, errare non poteſt. 58.
Eccleſiæ catholicæ qui incorporati non ſunt, diuini ſermonis intelligentiæ non ſunt capaces. 167.
Electio Dei ex præſcientia depēdet. 64.
Electio Dei nec liberum arbitrium tollit, nec meritum bonorum operū. 64.
Electio dici non poteſt, niſi quæ ex ratione & iudicio procedit. 64.
Epicureorum de Deo ac anima humana, plane pecualis ſententia. 2.
Euangelium hæreticorum nouum, quę portenta atq; abſurditates nobis peperit. 15. 16.
Euangelicæ doctrinæ ignorantia laborantes inuincibili, num poſſint ſaluari. 181.
Euchariſtiam paruulis porrigere, nō eſſe neceſſarium oſtenditur. 181.
Excæcatio & obduratio noſtra, quō à nobis & quomodo à Deo ſit. 170.
Excæcare quomodo Deus dicatur mentes infidelium. 170.

F.

FElicitatis intemperantia, eſt periculoſiſſima. 148.
Felicitatem hominis in quo Stoici arbitrati ſint conſiſtere. 2.
Fides Dei donum eſt. 54.
Fides num in noſtra poteſtate ſit. 54.
Fides erronea non ſemper eſt damnabilis. 181.
Fides illa qualis ſit, ſine qua neminem Deo poſſe placere beatus Paulus affirmat. 181.
Fidei ac veritatis orthodoxæ quæ ſit certa regula. 21.
Fidem non eſſe Dei donum, quandoq; B. Auguſtinus eſt opinatus. 55.
Fidem propriam habere paruulos baptiſatos aſſerentium reprobatur opinio. 181.
Fortitudo cur homini ſit neceſſaria. 4.

G.

GEntium vocationi non eſt idem tēpus conſtitutum a Deo. 180.
Gloriam Diuinæ bonitatis non illuſtrari cupiunt, ſed obſcurari, qui aſſerunt ad hoc hominū quoſdam à Deo creari, vt damnentur. 117.

Gratia Dei nobis eſt neceſſaria vt libere mur à peccatis, & peccati vincamus conſuetudinem. 49.
Gratia Dei quàm ſit hominis libero arbitrio neceſſaria. 51.
Gratia non ſecundum merita noſtra datur. 56.
Gratia Dei coronanda nõ eſt, ſed is qui cũ gratia dei fuerit bene operatus. 61.
Gratia liberum arbitrium iuuat. 66.
Gratia Dei nulli deeſt, niſi qui ſibi deeſt. 66.
Gratia Dei ad diuina præcepta implenda neceſſaria, orationibus eſt impetranda. 70.
Gratia Dei parata eſt omnibus eam ſyncere requirentibus. 70.
Gratia Dei ſine libero arbitrio non facit hominem habere vitam beatam. 74.
Gratiæ multiplex eſt in diuinis ſcripturis acceptio. 75.
Gratia, amor eſt gratuitus, atque ipſa diligentis benigna affectio, non vero vlla qualitas, aut habitudo in eo, q hac gratia gratus dicitur. 76.
Gratia pro gratitudine. 77.
Gratia pro mercede. 77.
Gratia pro beneficio. 77.
Gratia pro gratioſitate vel amabilitate, in bonum & in malum accipitur in ſcriptura. 77.
Gratia pro quocunque dono gratuito, quod à Deo ad noſtram, aut aliorum vtilitatem accipimus. 77.
Gratia pro liberalitate, beneficentia, ac eleemoſyna. 77.
Gratia, pro gratiarum actione, & accepti beneficij recognitione. 77.
Gratia nonnunquam pro æſtimatione vel appretiatione accipitur. 77.
Gratia Dei præueniens ad conuerſionẽ neceſſaria, etiam peccatoribus offertur, ſed non acceptatur ab oĩbus. 81.
Gratia, ſine libero arbitrio ſui, iam compotes ſaluare non poteſt, nec econtra. 87.
Gratiæ & liberi arbitrij coniugationem neceſſariam diuinus ſpiritus vbique in ſcripturis ſacris diligenter exprimit. 87.
Gratia Dei in diuerſis hominibus non ſimiliter fructificat. 99.
Gratia diuina nemini denegatur facienti quod in ſe eſt. 99.
Gratia Dei cum adiutũ in laboribus ſuis B. Paulus fatetur, liberum arbitrium non negat, ſed approbat. 100.
Gratia Dei ſic aſſerenda eſt, vt non negetur correptio. 101.
Gratię initium eſt, deſyderare auxilium gratiæ. 101.
Gratia Dei, quam habuit Adam innocẽtiæ, comparatur ad gratiam noſtram poſt lapſum. 104.
Gratia diuina adiutos nulla poteſt aduerſaria poteſtas vincere. 106.
Gratia Dei ſaluans nulli penitus per Deum abeſt. 117.
Gratiæ Dei effectus in nobis. 57.
Gratiæ Dei & liberi arbitrij cõiugatio, aptiſſima ſimilitudine probatur. 70.
Gratiæ & liberi arbitrij quàm ſit neceſſaria coniugatio. 75.
Gratiæ ꝑuenientis, liberi arbitrij, et gratiæ iuſtificãtis diſtinguunt officia. 81.
Gratiæ ſuæ legitimum vſum Deus donis amplioribus remunerat. 99.
Gratiæ & illuminatiõis diuinæ quo minus efficiamur participes, eſt ex nobis. 176.
Gratiæ diuinæ ad ſalutem nos adducentis eſt triplex effectus. 80.
Gratiam habere in oculis alicuius aut coram aliquo, quid in ſcripturis diuinis ſignificet. 76.
Gratiam Dei non accuſat, ſed commendat, quod ad eam ex noſtra ipſorum natura & liberi arbitrij poteſtate poſſumus præparare. 80. & 84.
Gratiam diuinam quo impetrare poſſimus, duo à nobis neceſſario prærequiruntur. 91.
Gratiam Dei beatus Paulus ſecum laboraſſe proteſtans, conſortem ſe facit gratiæ. 99.
Gratia data, incipiunt in nobis merita bona. 56.
Gratia ampliori indiget homo poſt lapſum quàm ante. 104.
Gratitudo hominis erga diuina beneficia remuneratur à Deo donis poſterioribus copioſius. 99.

H.

HAEreſis à regno Dei excludit hominem. 13.
Hæreticus quis nobis habendus ſit. 13.
Hæretici oẽs ſunt pſeudoprophetæ, id eſt falſi ſcripturarum interpretes. 10.
Hæreticorum inſidias qua ratione quis poſſit euadere. 12.

Hæreticos qui ſcripturarum peruerſa interpretatione multos ſeducerent, futuros atque vitandos Chriſtus præmonuit. 2c.
Hieronymi de libero arbi. ſententia. 34.
Hilarij de libero arbit. ſententia. 31.
Homo coronatur, non gratia. 62.
Homo peccauit in ſtatu innocentiæ, nõ per infirmitatem, nec per ignorantiam. 28.
Homo quo ſeipſum ſecundum omnes cauſas ſuas verius cognoſcit, hoc etiam clarius quæ ſint ſua officia intelligit. 3.
Homo ſemper & peccare & non peccare poteſt. 58.
Hominis cauſam efficientem atq; finalẽ, cognoſcere eſt difficile. 2.
Hominis & cauſarum eius omnium notitiam veriorem Platonici potiſſimũ ſunt aſſequuti. 2.
Hominis idem eſt finis & principiũ. 4.
Hominis finem qualem Ariſtoteles ſtatuerit. 3.
Hominis quomodo ſit cordis diſpoſitio Dei vero præparatio linguæ. 141.
Hominem non vt moreretur Deus inſtituit. 27.
Hominum nullus à Deo in perditionem traditus eſt, ſed vnuſquiſq; pereuntiũ ſua culpa & negligẽtia perit. 23.
Humana conditio quam accepit in origine, comparatur ei quã accepturus eſt in beatitudine. 105.
Humanum genus quomodo lapſum ſit & reparatum. 78.
Humanum genus quo fine à Deo ſit creatum. 136.
Humani generis redemptor ac reconciliator ordinatus eſt Dei filius. 78.

I.

IGnorantia qualis à peccato non excuſet. 42.
Ignorantia quæ à peccato excuſet hominem. 26.
Imago & ſimilitudo dei in nobis, potiſſimum in arbitrij libertate exprimitur. 26.
Ignorantiam habentes Euangelicæ doctrinæ inuincibilem ſaluari ne poſſint. 181.
Imago Dei peccare potuit per exilitatẽ ſubſtantiæ, ſed non debuit per liberi poteſtatem arbitrij. 28.
Impium quo modo Deus ad malum deſtinarit. 116.
Impoſſibile nobis à Deo nihil vnquam præcipitur. 19.
Indurari quomodo aliquis dicatur à Deo. 164.
Infelicius nihil videtur eo, cui nihil vnquam aduerſi accidit, ex ſententia Demetrij philoſophi. 147.
Intelligere aut ſapere homo non poteſt, niſi adiutus Dei gratia. 67.
Iob quo ſenſu ac ratione dicat ſibi bona ſua à Deo eſſe ablata, cum hoc Sabæi atq; Chaldæi inſtigatore dæmone legantur feciſſe. 173.
Ioſeph patriarchæ venditionem mala ac peruerſa fratrum voluntate patratam, Deus in bonum conuertit. 172.
Iouiniani error eſt hominem peccare nõ poſſe. 14.
Iudaica gens non ſola Deo placuit ante Chriſti natiuitatem. 180.
Iudicium Dei de nobis iuſtum eſſe, intelligere non poſſumus niſi nos intelligamus ad bonum & malum liberi eſſe arbitrij. 5.
Iudicium Dei de nobis ſubſiſtere non poſſet, niſi & boni & mali in nobis eſſet libertas. 85.
Iudicium Dei nobis propoſitum ad pie viuendum nos maxime ſolicitat. 5.
Iudicia Dei nõnunquam & à pijs in iuſtitiæ ac æquitatis quæſtionem pertrahuntur, dum humanæ rationis imbecillitas præſentia tantum intuetur. 145.
Iudiciorum æquiſſimorũ Dei vnde procedat iniqua æſtimatio. 147.
Ira Dei in peccatores quid ſit. 31.
Irenæi de libero arbitrio ſententia. 29.
Iuris naturæ erga proximum præcepta affirmatiua & negatiua. 3.
Iuris naturæ erga Deum præcepta affirmatiua & negatiua. 3.
Iuris naturæ erga Deum fontes oſtenduntur. 3.
Iuſtificantur homines per liberum arbitrium coniuncta Dei gratia. 51.

L.

LAborare Deo non conuenit ſed homini. 100.
Laudantur non immerito multa, quæ tamen gratuita non ſunt. 167.
Lex quid ſit. 70.
Lex non obligat, niſi ſufficienter promulgata. 180.

Lex non imponitur niſi libero & ad obſequium, & ad contemptum. 26.65.
Legis pondus inualidis ſuſtinendi deus non imponit. 28.
Legis diuinę non tm̄ cognitio, verumetiam adimpletio in liberi arbitrij facultate eſt poſita, modo à gratia Dei adiuuetur. 29.71.
Liberum quid ſit. 22.
Liberum iuſtitiæ aut peccati quæ B. Paulus appellet. 50.
Liberũ arbitrium rectè à B. Auguſtino comparatur iumento, gratia vero ſeſſori. 95.
Liberum arbitrium quō dicatur per ſe ſufficiens eſſe ſine Deo ad præſentis vitæ opera perficienda. 52.
Liberum arbitrium ne tunc quidem homo perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit. 89.
Liberum arbitriũ eccleſiæ doctores nō obſcure, inconſtanter & perplexo loquendi modo, ſed clare, conſtanter, & explicite aſſerunt. 28.
Liberum arbitrium liberius extulerunt ſancti patres ante exortũ Pelagiũ. 35.
Liberum arbitrium ex ſcripturis ſacris aſſeritur. 55.
Liberũ arbitriũ Simon Magus primus omnium improbauit. 25.
Liberum arbitrium nihil pōt quā peccare, imo dum facit quod in ſe eſt, ad ſe præparandum ad diuinam gratiā, peccat mortaliter ſecundum impium Lutheri dogma. 6.
Liberum voluntatis arbitrium cur Deus homini dederit. 38.
Liberum arbitrium pulchra ſimilitudine à Chryſoſtomo aſtruitur. 35.
Liberum arbitriũ contrarijs olim erroribus fuit obnoxium. 72.
Liberum arbitrium gratia Dei non euacuat ſed ſtatuit. 50.66.
Liberum arbitrium non tm̄ in operibus ſed etiam in fide ſeruatur. 30.32.
Liberum hominis arbitrium vt negaret Lutherus quibus argumentis ſit inductus. 7.
Liberum arbitrium non ſolum eccleſiaſtica definitione, ſed etiam conſequentia rationis euidenter oſtendit. 31.
Liberum arbitrium aduerſus Simonem Magum B. Petrus apoſtolus ſolida diſputatione defendit. 25.
Liberum arbit. non facit hoīem habere vitam beatam, ſine gratia Dei. 74.
Liberum arbitrium habet homo & ad bonũ & ad malum. 68.
Liberi arbitrij per Clementem & Tertullianum aſſertio. 26.
Liberi arbitrij qui fuerint primi improbatores. 26.
Liberi arbitrij bonis operibus iuſtificantur hoīes cōiuncta Dei gratia. 51.
Liberi arbitrij & gratiæ cōiugatio aptiſſima ſimilitudine demonſtratur. 70.
Liberi arbitrij aduerſus hæreticos firma defenſio. 25.35.
Liberi arbitrij eſt, acquieſcere Deo aut non acquieſcere. 93.
Liberi arbitrij definitio. 21.22.
Liberi arbitrij vigor qualis fuerit in ſtatu innocentiæ. 57.
Libero arbitrio ſi homo præditus non eſſet, quæ abſurditates ac inconuenientia ſequerentur. 47.
Libero hominis arbitrio quid veteres eccleſiæ cum Græci, tum Latini doctores tribuant. 29.
Libero arbitrio ſi homo careret, nec vituperandus eſſet de malo, nec laudandus de bono. 39.
Libero arbit. cur Auguſtinus in diſputationibus aduerſus Pelagiũ aliquid videatur detraxiſſe. 47.
Libero arbitrio Dei voluntas non præiudicat. 25.
Libero hominis arbitrio quantum tribuat diuus Auguſtinus. 37.67.
Libero arbitrio qualiter omnē virtutem ac facultatem ad bonum abrogent impij Lutherani. 73.
Libero arbitrio ſi careret homo, bonum ſuum habere non poſſet. 27.
Libero arbitrio præditum eſſe hominē vniuerſa diuina ſcriptura euidenter oſtendit. 31.
Libero hominis arbitrio cur aliquid tribuere videantur in Confeſſione Auguſtana Lutherani. 6.
Libertas tāta arbitrij data eſt hoī vt nec hinc à bono, nec inde à malo poſſet neceſſario impelli, aut attrahi. 27.
Libertas homini ad bonum malumve permiſſa eſt à Deo, non affixa neceſſitas in alterutrum. 31.
Libertas quæ nobis per peccatum originis perierit. 50.
Libertas arbitrij noſtri in q̄ cōſiſtat. 41.
Libertas poſſibilitatis, qd vocetur à B.

Auguſtino. 49.
Libertas plena & perſanata beatorum in quo conſiſtat. 49.
Libertas tripliciter diſtinguitur. 49.
Libertas arbitrij data homini, bonitatẽ & ſapientiam Dei commendat. 26.
Libertatis volũtas ad oppoſita cum hac vita durat & finitur. 32.
Libertati arbitrij non præiudicat voluntas Dei in ſingulis non ſimiliter exiſtens. 25.
Libertati detrahentes arbitrij, diuerſa neceſſitatis media inducunt. 72.
Libertati arbitrij qui ſcripturarum loci videantur derogare. 151.
Libertatem arbitrij homo perdidit peccato originis, nõ ad velle, ſed ad poſſe aut perficere. 49.
Libertatem arbitrij impugnantium autoritates ex ſcripturis deſumptæ ſoluuntur. 141.
Libertatem arbitrij confirmat lex data homini. 26.
Linguæ præparationem qua ratione ſapiens Deo tribuat, homini vero diſpoſitionem cordis. 141.
Lutherus humanæ naturę minus quàm Manichæus tribuit. 17.
Lutherus cum ſuis non inter catholicos & orthodoxos numerandus eſt, ſed inter hæreticos. 23.
Lutheranorum de libero hominis arbitrio quæ quondam fuerit ſententia. 5. 6.

M.

Malum nullum eſſe cuius Deus autor non ſit aſſerentiũ argumenta ac autoritates ſoluuntur. 144.
Mala quæ contra Dei voluntatem committuntur, nouit deus etiam in bonũ finem dirigere. 145.
Malis cur Deus ſinat exagitari pios homines. 147.
Malorum Deus autor non eſt ſed vindex. 145.
Manichæi hæretica ſententia eſt hoīem peccatum vitare non poſſe. 74.
Menti humanæ ineſt naturaliter ſenſus quidam diuinitatis. 1.
Merces boni aut mali nemini iure penſatur, qui aut bonus, aut malus neceſſitate non voluntate fuerit inuẽtus. 27.
Meritum nullum habere probatur, qui quod habet non à Deo ſed à ſeipſo ſe habere præſumit. 64.
Meritis fidei certa reſeruat retributio. 31
Meritis locus non eſt, ſi non ex liberi arbitrij ſonte promanent. 64.
Miſericordia domini plena eſt terra, nec ſic vni populo Iudaico incubuit, vt aliorum curã neglexerit. 177.
Mors quomodocunque homini infligatur, ex voluntate diuina non pendet. 142.
Mors cur ſtipendium peccati dicatur, gratia vero vita æterna. 81.
Mortis à Deo oībus conſtitutam periodũ cũ tranſcendere nemo poſſit, q fit vt multi non attingant. 128.
Mortis impij Deus cauſa non eſt. 116.
Mortem Chriſti, bonitas Dei & miſericordia nobis omnibus fecit ſalutarem. 174.

N.

Natura hũana per pctm̃ originale in ſua eſſentia aut naturalibus corrupta aut ſauciata nõ eſt, ſed ſpoliata donis ſupernaturalibus. 79.
Naturæ noſtræ bonum, quale fuerit in ſtatu innocentiæ. 57.
Neceſſitas abſolute cum voluntate non pugnat, ſed cũ voluntate viatoris. 41.
Neceſſitas beneſactis laudem adimit, & malefacta liberat vituperatione. 29.
Neceſſitas laudem & reprehenſionem excludit in creaturis, non in creatore. 41.
Neceſſitas voluntati opponitur. 45.
Neceſſitate abſoluta omnia prouenire, & nihil contingenter, Lutheri eſt dogma. 6.
Neceſſitate ineuitabili omnia prouenire aſſerentium impius error refellitur. 17. 18. 19.
Nolle non poſſumus quod ſub boni tantum ratione proponitur. 48.
Noſſe ſeipſum difficile. 2.
Notitia Dei nobis inutilis eſt, ignorata nobis noſtra ad ipſum relatione. 1.
Notitiam Dei perfectiorem qua ratione homo ſibi queat conciliare. 1.
Notitiæ correlatiuæ Dei & noſtri, qualis nobis in ſcripturis diuinis proponitur, ſumma. 4.

O.

Obedientia noſtra nulla eſſe poteſt abſque libero arbitrio. 67.
Officia hominis ad ſeipſum vnde cognoſcantur. 4.

Opus

Opus Dei bonum, diligenter diſtinguendum eſt ab opere hominũ malo. 172.
Opus vnum quandoq; à tribus fit operantibus, homine videlicet malo, ſatañ, ac Deo, ſed diuerſo fine, modo atque reſpectu. 173.
Operandi bene difficultas in nobis vnde proueniat. 49.
Operum bonorum ac bonæ vitæ fructus quomodo Deo, quomodo Chriſto, ac quomodo nobis imputentur à ſimilitudine euangelica, de agricola, vitæ, & palmitibus. 97.
Ordo naturæ in propagatione humani generis, & quæ inde officia pendeant. 4.
Originali peccato à qbus bonis, in quæ mala inciderimus. 78.
Originali peccato naturæ bonum, & arbitrij vigorem perdidimus, non electionem. 57.
Originali peccato qualem arbitrij libertatem perdiderimus. 49.
Originali peccato quale nobis vulnus ſit inflictum. 49.

P.

PAruulorum cur quidam abſque regenerationis ſacramento moriantur, cũ deus velit omnes homines ſaluos fieri. 193.
Paſſionem Chriſti qua ratione dicatur voluiſſe Deus pater. 173.
Peccatum in origine naturam non abſtulit, ſed gratiam, quæ perſectior eſt quàm in ſe ſuerat, naturam fecerat. 79.
Peccatum aliquoties à B. Auguſtino definitur, quod ſit voluntas retinendi vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere. 63.
Peccatum definitur. 89. 44.
Peccatum quæ ignorantia excuſet. 26.
Peccatum tam eſt voluntarium malum, vt nullo modo peccatum ſit, ſi voluntarium non ſit. 19.
Peccati initium eſt, diſcedere & elongari à Deo. 83.
Peccati originalis definitio & effectus ſecundum Iohannẽ Caluinum. 9.
Peccati ſeruitutẽ cur voluntas difficulter excutiat, vbi ſe ſemel eidem ſubdiderit. 49.
Peccato homo carere poteſt, ſi velit, adiutus à Deo. 53.
Peccato originali in tantam miſeriam homo ceciderat, vt inde nullis ſuis viribus poſſet emergere, ſed redemptore opus haberet, & Dei ignoſcentis gratuita miſericordia. 78.
Peccare hominem cur Deus permiſerit. 27. 173.
Peccatur in eo nequaquam quod caueri non poteſt. 61.
Peccatores quomodo corripere debent eccleſiarum prælati. 68.
Peccandi neceſſitas in nobis, ex naturæ vitioſitate non eſt. 61.
Pelagij & Cœleſtij quæ fuerit de libero arbitrio contra gratiam Dei ſententia. 51. 74.
Pœna his iure irrogatur, à quibus culpa emanat. 63.
Pœna patientis, ira eſſe creditur decernentis. 31.
Perſeuerantia licet ſit donum Dei gratuitum, diſpenſatur nihilominus pro merito hominũ. 99.
Perſeuerantiæ gratiam in finem vſque vitæ, cur Deus multis pie viuentibus non tribuat, quam ſceleratiſſimis quibuſdam in extremo vitæ halitu conuerſis impertitur. 103.
Perſeuerantiæ donum, partim ex Deo eſt, & partim ex nobis. 104.
Perſonarum acceptio quid ſit. 116.
Perſonarum acceptionem cur ſcriptura neget eſſe apud Deum. 12. 126. 163.
Petri Apoſtolorum principis aduerſus Simonem Magum pro lib. arbitrio, diſputatio. 25.
Philoſophia cœleſtis omnia nos certius docet quàm humana. 4.
Pijs vtilis eſt improbitas impiorum. 30.
Poſſe & velle diſtinguuntur. 54.
Potẽtia dei cognita, in immẽſitatis, æternitatis, ac bonitatis eius deducimur notitiam. 1.
Poteſtatis nomen in ſcripturis ſæpe pro voluntate ponitur. 169.
Præceptum iuſtitię omni ex parte implere non poſſumus, niſi adiuuemur à Deo. 53.
Prædeſtinatio electorum, & reprobatio damnandorum quando demum, & quomodo in mente diuina ſit facta. 139.
Prædeſtinatio quid ſit. 134.
Prædeſtinatio diuina ſi ineuitabilem neceſſitatẽ imponit hominibus, omnis ſoli-

ſolicitudo & bene agendi ſtudiũ conſcidat eſt neceſſe. 128.
Prædeſtinatio Dei & electio, dependet ex eiuſdem præſcientia. 137.
Prædeſtinatio electorum eſt, reprobatio vero illi oppoſita eſt damnandorum. 134.
Prædeſtinatio diuina non eſt à Caluino recte definita. 134.
Prædeſtinatus a Deo non ſemper bene operatur. 119.
Præparatio humani cordis ad diuinam gratiam qualis ſit. 94.
Præſcientia Dei, peccandi neceſſitatem non inducit. 39. 61.
Præſcientia Dei quid ſit. 133.
Præſcientia Dei rebus contingentibus neceſſitatem non imponit. 133.
Promiſſiões diuinas quorſum pertinere orthodoxi intelligant. 70.
Promiſſiones diuinæ nõ exciderunt, tãetſi reprobatis Iudæis ob incredulitatẽ, in partẽ eorũ gẽtes ſint receptę. 157.
Prouidentia diuina rerum neceſſitatem non inducit. 140.
Prouidentia diuina licet non omnia fiunt, tamen etiam a ſe non facta, in finem aliquem vniuerſitati rerum vtilem, dirigit. 140.
Prouidentia diuina qualiter humanis liberi arbitrij operibus, ad ſuum finem vtatur. 141.
Prouidentia diuina non obſiſtit, quo minus vnaquæq; creaturarũ pro modo & conditione naturę ſuæ agat & moueatur. 140.
Prouidentia diuina noſtrarũ nobis actionum neceſſitatem nullã imponit. 120.
Prouidentiæ diuinæ quæſtio, qualiter explicari poſſit ad pietatis regulã. 146
Prouidentiæ diuinæ cur ſit tam diuerſa erga diuerſos cura. 183.
Prouidentiam diuinam iniquitatis accuſantium argumẽta diluuntur. 147.
Puerorum pleriq; cur in maternis vteris moriantur. 118.

Q.

Querela eorum qui contra peccati originalis murmurant ærumnas, refellitur. 42.
Quæſtio proponitur in medium, an apud Turcas & Mahumetanos, etiam nunc, laborent plerique inuincibili Chriſtianæ doctrinæ ignorantia. 181.
Quæſtiones difficiles ex ſcripturis ingeruntur aduerſus diuinam prouidentiam. 145.

R.

Regna duo ab initio Deus ſtatuit. 26.
Relatio noſtra ad Deum ex noſtri maxime cognitione dependet. 2.
Relatio vniuſcuiuſq; rei propria, quõ recte, exacteq; poſſit intelligi. 2.
Reprobatio quid ſit. 134.
Reprobatus a Deo non ſemper male operatur. 119.
Ruffinus diligẽtia ſua ac ſtudio Clementis opera e Græco Latina fecit. 25.

S.

Saginata per inertiam languent, nec labore tantum, ſed & mole, & ipſo ſui onere deficiunt. 147.
Salomon ob peccata ſua grauiſſima correptus a Deo legitur, ſed q; commiſſorum pœnituerit non item. 129.
Salutis certam & infallibilem ſecuritatem non præſtat, Chriſto ſemel fuiſſe inſertum. 131.
Salutis humanæ myſterium quo modo & ordine a Deo ordinetur, ac exhibeatur. 150.
Salutis ſuæ ſecuritatem aut certitudinẽ ſemota Dei reuelatione nullus fideliũ dum hic viuitur habet. 131.
Salutem aſſequi non eſt volentis neque currentis, ſed vnius miſericordię Dei, non tamen ſine nobis. 160.
Sapientia diuina nihil niſi ſumma, maximaq; ratione facit. 116.
Sapientia diuina quibus potiſſimum tribuatur. 95.
Sapientiam ſalutarem cur à quibuſdam Deus abſcondat. 176.
Sapientiæ Chriſtianæ ad Dei amorem, cultumq; nos promouẽtis ſumma ex quibus dependeat. 1.
Scire vtiliter, quod inutiliter ignoratur, nulli hominum ablatum eſt. 41.
Scripturæ ſacræ obſcurorum locorum quomodo vtiliter ſit inueſtiganda intelligentia. 157.
Scripturæ ſacræ pleroſque locos cur diuinus ſpiritus perplexis obſcuritatibus inuoluerit. 157.
Semei quomodo dicatur ex Dei præcepto maledixiſſe Dauid. 173.
Seruum quid ſit. 122.
Seruum iuſtitiæ aut peccati quẽ B. Paulus appellet. 50.

Serui-

Seruitus corruptionis, quid ſit apud B. Paulum. 49.
Sortibus qualiter ſancti nonnunquam vſi ſint, ad explorandam de re quapiam Dei voluntatem & iudicium. 144.
Spem in Dei miſericordiam cur Pſalmiſta extendat in ſæculum ſæculi. 32.
Spiritusſanctus ſic impendit hominibus moderaminis ſui regimen, vt declinandi ad vitia non adimat illis poteſtatem. 179.
Simon Magus liberi arbitrij primus fuit improbator. 25.

T.

Talenta ſua, id eſt, dona ſua, ſic Deus diſtribuit, vt non minus æquus diſtributor intelligatur quàm ſapiens et in oẽs miſericors dominus. 179.
Tempus certum conſtitui ne poſſit, quo vniuerſis ſatis promulgata doctrina Chriſti, & lex euangelica debeat cenſeri. 180.
Tempus idem conſtitutum non eſt vocationi Gentium a Deo. 180.
Tempore quæ ſimul ſunt, ordinem nihilominus inter ſe admittunt, atque in ipſa rei natura prius & poſterius. 173.
Traditionibus illis viuis ac Apoſtolicis, quas quidem ab initio acceptas continua ſucceſſionis ſerie ad nos deduxit eccleſia, contraria ſentire nequaquam licet. 21.
Trahit hominem Deus, ſed non niſi ſe qui volen 98.

V.

Vaſa quædam cur ad honorẽ, quædam fiant ad contumeliam. 163.
Velle & poſſe diſtinguuntur. 54.
Velle & perficere ita deus in nobis operatur, vt nihilominus idem operetur in nobis voluntas noſtra libera. 98.
Victoria, qua pc̃tm̃ vincitur quid ſit. 75.
Venire ad Chriſtum quid ſit. 75.
Veritas illa ſola credenda eſt, quæ in nullo ab eccleſiaſtica traditione diſcordat. 22.
Virtus geſtit rebus ſe aduerſis exercere, non aliter, quàm fortes milites, magis verſari in caſtris, in acie, quàm domi torpere otio. 148.
Virtutes multas cur Deus ibi fecerit, vbi non profuturas præſciebat. 145. & 150.
Vitæ ſocialis ratio q̃ nos officia doceat. 3.
Vitia qui culpat, conditorem laudat. 39.
Vniuerſales locutiones in ſcripturis quõ intelligi oporteat. 159.
Vocantur omnes a Deo, & gratia Dei offertur omnibus. 176.
Vocationi Dei conſentire aut diſſentire, propriæ voluntatis eſt. 54.
Voluntas Dei in ſingulis eſt, ſed non ſimiliter, nec præiudicans noſtri arbitrij libertati. 25.
Voluntas noſtra hoc proprium ex ſe habere debet, vt velit, Deus autem incipienti incrementum dare. 32.
Voluntas ſi in noſtra poteſtate non ſit, nec voluntas dici meretur. 39.
Voluntas libertatis per mortem tantum aufertur. 41.
Voluntas quid ſit. 44.
Voluntas omnis a Deo non eſt. 54.
Voluntas dei non eſt eodẽ modo in creaturis omnibus. 120.
Voluntas Dei cauſa eſt omnium eorum quæ fiunt. 147.
Voluntatis humanæ qualitas mutatur, non ſubſtantia, cum ex peccatis ad Deum conuertimur. 89.
Voluntatis nr̃æ & diuinę in nobis gratię quõ diſtinguantur ac etiã mutuo quodam cõplexu cõiungantur officia. 32.
Voluntatis eſt impiæ, exiſtimare quenq; ideo ſe quæ ſunt fidelium non conſequi, q; ſibi a deo indulta nõ fuerint. 32
Voluntati liberæ partes in ope bono. 56
Voluntatis humanæ infirmitas, diuinæ gratiæ ſubſidio roboratur. 88.
Voluntatis humanę iudicium a diabolo deprauatum eſt, nõ ablata libertas. 89.
Voluntatis diuinæ erga electos q̃uis ab æterno conſtitutæ, quæ ſit ratio. 116.
Voluntatis diuinæ etſi cauſa non ſit, eſt tamen ratio atq; conſilium. 116.
Voluntatis diuinæ incommutabili decreto non eſt ſuus cuiq; terminus conſtitutus quo mori debeat. 127.
Voluntatis diuinæ nulla eſt cauſa, ſed ratio. 147.
Voluntatẽ Dei æquantes illius pſciẽtiæ, in quas incidãt abſurditates. 141. 143.
Voluntate propria qui non deflexerit, ad culpam non teuetur. 35.
Voluntate ſua propria vnusquiſq; a Deo auertitur, non ex conſtitutione diuina. 179.

FINIS INDICIS.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber I.

Vt Dei & noſtri cognitio mutua quadam inter ſe correlatione reſpondeant,& a ſe mutuo dependeant. Caput I.

VNIVERSAM FERE CHRISTIAnæ ſapientiæ ſummam, quatenus ad pietatem & Dei amorem cultumque nos promouet & noſtrum nobis officium præſcribit, ex duabus his partibus, nempe, Dei & noſtri cognitione, conſtare,plane indubitatum eſt.Cognitione,inquam,Dei & noſtri, vt eſt mutua quædã inter nos correlatio, & proinde vna depẽdet ex altera. Neq; enim recte cognoſcere ſe poſſe hominem,niſi cognoſcat creatorem, neq; ad Dei cognitionem, niſi ex operum eius, maxime autem ſui cognitione aſcendere poſſe mox intelliges. Hoc inprimis extra omnem controuerſiam eſt,humanę menti,naturæ inſtinctu,numinis ac diuinitatis ſenſum quendam ineſſe. Neq; enim,vt ait Cicero,& res ipſa palam loquitur,vlla eſt tam barbara natio, vlla gens tam efferata,cui hæc perſuaſio non inſideat:nempe,Deum eſſe,nullam proinde ab ipſo mundi initio regionem, nullam vrbem, nullam domum,religione prorſus caruiſſe inuenies. Quæ cum metus quidam ſit numinis,eo ipſo,tacita confeſſione inſcriptum omnibus diuinitatis quendam ſenſum prodit.Cuius rei,ipſam etiam idololatriam magno documento eſſe intelligimus,quando & ligno,& lapidi colendo ſe demittere,quam nullum videri Deum habere maluerunt homines.Imo, etiam illos ipſos qui numinis profitentur cõtemptum,res ipſa ſępe coarguit:miſere enim trepidare cõſpiciuntur,quoties diuinæ iræ aliquod ſe profert indicium, & quamuis omnes latebras reſpectent quibus a domini ſe abdant præſentia, tamen velint nolint, præſentis eius ſenſu ſubinde tanguntur. Certe,ſi qui reperiantur eo proceſſiſſe cæcitatis atque indolentiæ,vt nullo prorſus ſenſu metuque tangantur numinis, eos humanitatem omnem plane exuiſſe, & in bruta animantia degeneraſſe certum eſt. Illud ipſum autem quod diximus diuinitus nobis inſitũ ſemen,de diuinitatis ac numinis exiſtentia,quo germen aliquod proferat, diuinæ illius maieſtatis notis, quas haud obſcuras, ſed illuſtres,

Chriſtianæ ſapientiæ ſumma, vt ad dei amorem cultũq; nos promouet, ex quibus pręcipue pendeat.

Humanæ menti diuinitatis quẽdã ſenſum naturaliter ineſſe.

Quomodo proueхamur in perfectiorem Dei noticiam.

ſtres,ſingulis ſuis operibus impreſſit,excitari certum eſt. Neque enim vlla mundi particula occurrit,quoquo verſus conuertas & conjcias oculos, in qua non ſcintillas ſaltem aliquas gloriæ eius emicare conſpicias. Vniuerſam vero hanc ampliſſimam & pulcherrimam, quam late patet,mundi machinam,fieri non poteſt vt vno colluſtres contuitu,quin immenſa vi fulgoris totus vndiq; obruaris:tam multæ nobis collucent in huius mundi opificio accenſæ ad illuſtrandam authoris gloriam faces,quæ nos vndiq; irradiant. Et quanquam liberalium illarum artium vniuerſæq; philoſophiæ adiutus ſubſidio,ad introſpiciend a diuinæ ſapientiæ mirifica illa arcana longe proueharis ac ſubleueris altius, vt ſi motuum cœleſtium corporum, aſtrorumq; admirandam rationem complexus ratione fueris,ſi in ſuas illa ſedes partiri doctus,interualla metiri, configurationes deſignare, proprietates notare, quantitates certa demonſtrationis regula aſſequi, ſi & huius mundi partibus,quæ tumultibus ac variorum motuum viciſſitudinibus expoſita ſublunari orbe certas tamen omnium rationes aſſequeris.Si humani corporis ſtructuram, & cōnexionem,ſymmetriam,pulchritudinem,vſum,ea: qua Galenus explicat, methodo: in Dei maieſtatem, gloriam,ſapientiam,bonitatem,ac potentiam:animū par eſt aſſurgere aliquanto ſublimius.Haud tamen ne ij quidem,qui ſola oculorum, & ineruditæ alioqui tamen explicatę in ſuo vſu rationis, adminiculo inſtructi ſunt,ignorare queant artis excellentiam,vltro in iſta enumerabili quidem,tamen adeo diſtincta,& diſpoſita cœleſtis militiæ varietate,ſe oſtentantem,q̄ præ cæteris clarius enumerare Dei gloriam Dauid affirmat, & nullis non intellecto ſermone omnibus enunciare: Non ſunt, inquit,loquelæ,aut ſermones,quibus non intelligantur voces eorum. Vt inuiſibilia quoq; eius ad æternam vſq; eius virtutem ac diuinitatem a creatione mundi intellecta conſpici,affirmet electus ille Apoſtolus. Adeo nemo eſt mente,& ratione prædituſ,cui non abunde & ſapientiam & potentiam ſuam dominus patefecerit, ſani & ex ipſa potentia,ad cogitandam eius æternitatem deducimur.Nam æternam eſſe & a ſeipſo principium habere neceſſe eſt,principium omnium,& vnde vniuerſa trahunt originem,nec minus ad immenſam quoq; bonitatem eius cognoſcendam,& ex his manu ducimur.Nam ſi cauſam quæras,cur ad creanda ſemel hæc omnia inductus ſit,ſola tibi eius bonitas occurrit: vt qui ex creaturis ſuis nullum ſibi profectum acquirere potuit, in ſe,& per ſe beatus,& perfectus,& qui ipſe ſibi totū totus eſt. Vt autē nobis Dei noticia valeat,neceſſe eſt vt noſtra nobis ad ipſum ſit nota relatio,vtq; intelligamus nos ab eo creatos & conditos,ab ipſo nos ſeruari,ab ipſo ſapientiſſime gubernari: intelligamus quid ſimus, quid ab ipſo acceperimus,quid ei debeamus,ipſum non ſolum ſecundum ſe bonum eſſe, ſed quia bonus eſt,feciſſe ſuæ nos bonitatis participes:

Ex nota dei potentia in immēſitatis & æternitatis eius nos deduci noticiam. Et bonitatis quoq;.

Non valere nobis Dei noticiam,niſi noſtra nobis ad ipſum relatio nota ſit.

cipes: imo ipſum eſſe bonum noſtrum: eo nos factos, vt beatitudinis ipſius eſſemus participes, ſi modo huius noſtræ peregrinationis tempore ad eandem ſyncero affectu aſpirauerimus, & pro ſuis illis in nos beneficijs, humili & obſequenti amore illi nos ſubieceriмus: quod vt poſſemus, accepiſſe nos ab eodem liberum voluntatis arbitrium. Cui tametſi & corruptibile hoc quod nos aggrauat corpus, & peccandi conſuetudo quam noſtra ipſorum culpa & libera voluntate contraximus, difficultatem inijciat, non tamen neceſſitatem imponere, nec inuitos attrahere: atq; inſuper pijſſimi patris, & miſericordiſſimi domini paratum implorantibus hoc ipſum omnibus eius auxilium, quo conantibus, & ſurrecturiētibus, quamuis proſtratis, & collapſis, manum porrigit, & quod noſtris viribus deeſt, ſua gratia ſupplet. Ex hac enim intellecta noſtri ad illum relatione, & ad eius timorem, reuerentiam, cultum obſequiumq; inſtruimur, & vniuerſum bonum noſtrum in ipſo conſtitutum, ab ipſo quoq; petendum docemur. Illi referendum acceptum quicquid in nobis boni eſt. Hæc illi adhærendi deſyderium in nobis excitat. Spem noſtram fiduciamq; in ipſo conſtituere nos admonet: honorare vt creatorem: timere vt dominum: reuereri vt patrē: amare, non ſolum vt bonum & maxime amabilem, ſed vt vnicum bonum noſtrum: ad illum atq; eius opem, vt ad ſeruatorem, gubernatorem, & cuius prouidentia dirigimur, ſicut bonitate, ac ſapientia conditi ſumus, confidenter confugere: nihil dubitantes, illum, qui infinita ſua bonitate, cum non eſſemus, vltro nos cōdidit ſuæ bonitatis participes, ſuæ beatitudinis capaces, imo ad hoc condidit, vt eiuſdem eſſemus participes, ſi modo vt legitimi filij, illi nos conformari hic ſatageremus pro noſtris viribus, nobis eadem ſua bonitate non defuturum, conantibus quod in nobis eſt. Hucuſque cognitionis, & noticiæ vt perducamur, a ſemine quidem illo nobis conſerto, aliquam eſſe diuinitatem, fit initium. Quod, quibus diximus modis, excitatum, ex cognita noſtra ad illum relatione, ingens incrementum ſuſcipiens, quo iam diximus, promouet: Noſtra autem eiuſmodi ad illum relatio, ex noſtri maxime pendet noticia: hoc eſt, naturæ noſtræ ratione propria: in qua etiam: velut principio quodam, virtute includitur, & inſcriptum legitur vniuerſum hominis officium: vtq; nos habere debeamus, ſeu ad Deum, ſeu ad nos, ſeu ad proximum, ſeu ad totius vniuerſique ordinem. Sed vt ſe recte cognoſcat homo, inprimis eſt arduum ac difficile: aut, pro hoc ſtatu naturæ lapſæ, niſi cœleſti lumine irradietur, prorſus impoſſibile. Tunc enim vniuſcuiuſq; rei relationem propriam, recte, exacteq; intelligimus, cum eandem, ſecundum omnes eius cauſas intelligimus: materiam, formam, efficiens, finem. Quas vniuerſas, pro hoc ſtatu, in ſe, & ex ſe, nemo poteſt euidenter cognoſcere, minime autem efficientem, & finem hominis, vt qui extra eius naturam & rationem

Noſtrā ad Deū relationem ex noſtri maxime cognitione pendere.

Noſſe ſe, difficile.

Difficultas in cogno-

ſcen. cauſa efficiente & finali hominis.

tionem ſunt:tametſi huius noticia, ex illius cognitione dependeat. In nomine quidem & confuſa notione eius, inter omnes conuenit appellarunt,ſiquidem felicitatem,ac beatitudinem omnes:hoc eſt,ſummam perfectionem, quæ homini,poſſet contingere:ſed in quo ea conſiſtat non potuerunt clare intelligere.

Vt Platonici veriorē hominis & cauſarū eius omniū noticiam aſſequuti ſint.

Quidam tamen philoſophantium vt intrinſecæ hominis naturæ,& cauſæ eius efficientis,veriorem noticiam aſſecuti ſunt,ita etiam in fine eius cognoſcendo ad ipſam rei veritatem acceſſerunt vicinius, nempe Platonici, qui & immortalem hominis animam, & hinc emigrantem recipere, ſecundum ea quæ hic geſſit in corpore, & eam quæ nihil, aut exiguum quid, tamen ante purgatum quam hinc emigraſſet, contagionis contraxiſſet a corpore,mox coniungi cœleſtibus,& communi cum eis beatitudine perfrui intellexerunt. Eas vero quæ aliquanto plus indulſiſſent corpori,& fœdate nonnihil ex eius contagione hinc migraſſent,purgari ante occultis nobis locis & ſedibus, donec expurgatæ iam ab omini peccati ſcoria,vt velut aurum in fornace excoctæ,tandem repetere valerēt ſuam originem.His itaq;,vt vides,velut per rimam ac tranſennam,ipſa illuxit,ſed non clara,aperta,certaque veritas, tametſi abſtrahentes, vt potuerunt,ſe a commercio corporis,conarentur aſcendere ad ſuam originem,& propter hoc aliquanto plus luminis inde mererentur accipere.

Epicurei pecuales plane.

Cum alij plane corporei,& his terrenis immerſi, carnis, & deſyderiorum eius mancipia,nihil fere ſentirent,ſupra pecora:nō Deum, non pręmia pro hic bene geſtis,ac meritis,nec pro ſceleribus ſupplicia: non immortalem:vt eſt,animam,ſed eam pecorum inſtar,vna interire cum corpore. Proinde vt ſe prorſus ignorantes,toto etiam cœlo aberrarūt a fine proprio hominis:felicitatem eius,ponentes in voluptate, atq; indolentia:quæ Epicureorū fuit præclara illa felicitas, ex qua ſchola, Sardanapali,atq; id genus monſtra prodierunt, inter hos, alij plus,alij minus aberrarunt a ſcopo veritatis.

Stoici, vt minus aberrarint a ſcopo.

Minus Stoici,qui tametſi nihil hominis vltra hanc vitam extenderent,tamen in virtute perfecta imaginabantur eius felicitatem cōſiſtere,virtutem perfectam intelligentes,cum fortitudine,temperantia,iuſtitia,& prudētia munitus animus,ſeipſum ſibi aſſereret,& re omni externa ſuperiorem faceret,vindicaretq; ab omni prorſus iniuria:ita vt a nemine lædi poſſet amplius,a nullo turbari aut e gradu ſuo deijci, ſed ſumma cum iucunditate perpetuo exerceret virtutis opera,etiam quicquid incideret extrinſecus, etiam inter tormenta,& ſupplicia,

Ariſtoteles vt longiſſime.
Deus Ariſtotelis.
Vt omni religione abſoluit homines.

longiſſime a veritatis ſcopo aberrarunt illi, qui ſibi videbantur mortalium omniū eſſe ſapientiſſimi,atq; vniuerſa diuina, & humana comprehenſis ſibi rationibus nitebantur ſubijcere.Qualis fere Ariſtoteles extitit, qui neſcio quem nobis ſtupidum Deum fabricauit,nihil ſcientem aliorum a ſe, & qui nulla prouidentia moderaretur res mortalium: homines proinde religione omni ſolutos præcipitauit,

tauit,quod in ſe fuit, in omne vitium, tametſi hoc alibi diſſimulet, quo ſit popularior. Mortales etiam animas,intellectum vero quendam immortalem faciens, ſed eundem omnibus hominibus, & velut extrinſecus incidentem diuinitatis nonnullum radium,qui non adſit perpetuo, ſed ſeſe recipiat ad ſuam originem, de quo nec ipſe quid imaginaretur intellexit, nec exprimere potuit. Proinde ſuos interpretes omnes, ea in re ſudare fecit, vt explicarent, quod nec ipſe vnquam intellexerat. Hunc itaque tantopere aberrantem in cognitione effectiui principij hominis, in cognitione etiam eius formæ propriæ, nihil mirum eſt a proprio quoque & vero hominis fine aſſequendo aberraſſe coelo vniuerſo, vt quem in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarum conſiſtere voluit: quo vno, non video quid magis abſurdum, magiſve ridiculum a tanto philoſopho dici cogitarive potuit, atque ad ea quæ ipſe poſuit principia minus conſentaneum. Loquebatur enim de ea felicitate, quæ homini in hac vita potuit obtingere: cum nullam agnoſceret aliam, vt qui animam definiebat actum corporis organici phyſici, fatebatur proinde eam introire vna cum corpore, nec illi ſupereſſe poſſe.

Animas mortales. Intellectū aūt immortalem, & qualem.

Finem hominis, qualem finxerit.

In hac autem vita, noſtræ rationis vſum naturaliter colligatum conſtat ſenſibus: ita vt omnis, quæ hic hominibus competere poſſit ſeparatarum ſubſtantiarum contemplatio, nihil ſit aliud quam abſtractio quædam a ſenſibilibus phantaſmatibus, intentionum vniuerſalium, & eiuſmodi aliquam cogitatiunculam, etiam raptim, & momento tranſeuntem, vniuerſum hic hominis implere deſyderium? replere bonis omnibus quæ homini poſſunt in hac vita competere? Pene dicerem Epicurum ipſum, niſi plane pecualis eſſet, rationabilius dixiſſe de felicitate hominis, adeo vt in vno maxime Ariſtotele, quo nemo pene omnium ſibi plus ſapere viſus eſt, & ſuo plus confiſus ingenio, videatur deus voluiſſe plane ſtultā huius mundi ſapientiam facere.

Quo autem quiſque ſeipſum, ſecundum omnes ſuas cauſas verius cognoſcit, hoc etiam clarius, quæ naturæ ſuæ, velut libro cuidam inſcripſit ille omnium conditor & opifex, poteſt legere, atque illi inuoluta explicare: & rectius intelligit quæ ſunt hominis officia: quæ facere, a quibus abſtinere ipſum oporteat. Potuerunt itaque Socrates, Plato, & qui cum illis philoſophabantur, quā Epicurus, quam etiam Ariſtoteles, quam denique Stoici, verius intelligere, & rectius explicare hominis officia.

Quo quiſque ſeipſum, ſecundum omnes ſuas cauſas verius cognoſcit, hoc etiā clarius intelligere q̄ ſint hominis officia.

Nam, cum ſe, illius primi ſummique boni creaturas intelligerent, & agnoſcerent, eo factos, vt bonitatis beatitudiniſque eius participes eſſent in perpetuum, ſeſe in oculis eiuſdem cuncta cernentis, cuncta ſapientiſſime ſuauiterque moderantis ac diſponentis, verſari aſſi-

Fontes iuris naturæ. Erga Deū.

Præcepta affirmatiua.

due,intelligebant ſtatim, non ſolum omni obſequiorum,omni hono- ris delatione & ſignificatione ſe eidem obnoxios, vt creatori omnium ſummo,omnium domino, a quo libera, & gratuita bonitate, nec vllá ſuæ neceſſitate naturæ accepiſſent eſſe, viuere, & quicquid haberent, atque acciperent quotidie: ſed etiam velut ſummum bonum,non tan tum ſimpliciter,ſed & noſtrum, ſummo etiam amore proſequi: cona- ri etiam pro viribus,ipſum aſſequi: ipſi coniungi:ipſum ſemper ſuſpi- rare: ad ipſum ſemper tendere.

Negatiua.

Ex quo, æque immediate, æqualique euidentia intelligebant, quantopere abhorreret a natura hominis: non ſolum odiſſe illud ſumme amabile, illud blaſphemare, & quantum in nobis eſſet,in- iuriari illi tam bono, tam in nos, beneficio: ſed etiam, quomodo- cunque erga ſummam illam incomprehenſibilemque maieſtatem parum reuerenter nos gerere: vtpote, peierare per nomen eius: aut etiam illudipſum in vanum nominare, aut ſuſcipere: breuiter, illius voluntati humiliter, obſequenter, & libenter parere nos oportere in omnibus.

Erga proximum.

Deinde cum & in proximum reſpicerent, eiuſdem conditionis & naturæ,ab eodem conditore Deo,ad eiuſdem ſecum boni ſocietatém factum, & ita factum, atque ideo factum, vt mutua opera illo perue- nire nos adiutaremus, quo ſumus conditi, mutuiſque nos ſubleuare- mus neceſſarijs etiã officijs,intelligebant clare,mutuo ſe diligere debe- re, & amore beneuolentiaque ad nos mutuo affici: non ſolum ob mu tuam illam officiorum neceſſitatem,cui tamen eam ob rem nos alliga- uit,& ſubiecit natura: ſed etiam propter communem dominum,com munem creatorem: propter illud ſummum ſummeque diligendum omnibus bonum,cuius, quiſque eſt emanatio, & participatio quæ- dam: quod,in quocunque cerneretur,non deberet non diligi: præſer- tim,cum ad ipſum ſocialiter, communiterque perfruendum nos fa- ctos,conditoſque intelligerent.

Præcepta affirmatiua.

Negatiua.

Vnde eadem ſtatim euidentia, atque æque, immediate intellige- bant, omnia illa negatiua præcepta, quæ prohibent iniuriam proxi- mi, & quæcunque charitati eius, amorique aduerſantur. Primo in perſonam eius propriam, deinde in eam, quæ ſibi proxime coniun- cta: velut vnum ſecum corpus eſt, hoc eſt,in vxorem & in alios con- iunctos ſuo ordine,parentes, liberos, fratres,ſorores,&c.

In res deniq; eius externas,quæ huius noſtræ peregrinationis ſunt velut viaticum. Iam & ſocialis vita: ad quam homo ex natura eſt compoſitus,& quam nos docuit mutuorum officiorum neceſſitas, ſi- mul & ea docuit, ſine quibus ſeruari non poteſt humana ſocietas: nempe, ordinem, magiſtratus, rectores, præſides, atque alios ijſ- dem

Ratio vitæ ſocialis q̃ nos officia doceat.

dem obſequentes, & ſubditos, & ſua ſingulorum officia. Et præterea in dictis factiſque veritatem: & fidem: mutuamque erga ſe omnium humanitatem, & modeſtiam, quæ maxime omnium ſocietatem conſeruat.

Ordo naturę in propagatione humani generis, & quæ inde officia pendeant.

Quin & ordo naturæ, ab eodem conſtitutus opifice, vt generatione ac ſeminis propagatione ad eum numerum, quem ſuæ bonitatis participio dignaretur illa infinita bonitas, multiplicaretur genus hominum, ſtatim docuit etiam legitimas nuptias, quo certi cuique ſui eſſent liberi: docuit parentes educatione eorum, curæque intendere atque vt homini inimicum, & indecens fugere, quicquid eſt huic ordini, & fini quo ille tendit, contrarium: ad quod genus, ſtupra: adulteria, & fœda illa innominandaque carnis ſpectant vitia, & quoniam etiam hoc per ſe euidens eſt, a quo quis accepit beneficium, eidem, quo ad licet, gratum eſſe oportere. Hinc ſtatim quiſque intelligit, ſpeciales illas obligationes, & officia filiorum ad parentes, diſcipulorum ad præceptores, & quæ ſunt ſimilia.

Officia hominis ad ſe ipſum vnde cognoſcantur.

Iam & ex ipſa intrinſeca ratione hominis, & partium quibus componitur, ſua etiam quædam iura naturæ conſurgentia cognoſcuntur, quibus homo ad ſeipſum ordinatur. Eſt enim compoſitus ex terreno mortalique corpore, atque immortali animo: quorum illud inſtrumentum eſt atque organum, hic vero velut agens atque artifex, qui illo vtitur. Proinde huic ſtatim homini notum eſt, & quod corpori ſito præbere debeat neceſſaria: atque ipſum quantum licet ſeruare, quo expedite, libere, & ſine impedimento obſequatur, & ſeruiat animo: & quod liberas illi habenas permittere non debeat, quo ſeſe pro ſua inclinatione, naturalique ſuo deſyderio (quo ſibi blanda appetit, iucunda, & ſuauia) ſe immergat cœno voluptatum carnalium, quo ſeſe aggrauet crapula: mero ingurgitet, & ſubmergat animum, & aduerſus iuſſa rationis, & præcepta iuſtitiæ fiat contumax, tandemque etiam dominium obtineat in regno hominis, atque ipſum etiam animum in præceptis attrahat.

Debet proinde hic ab initio meminiſſe, quæ ſui iuris ſunt: ſuam ſibi authoritatem vendicare: non ita ſe carni inclinare, vt ſubmittat etiam ſed temperantiæ regulis, vltro etiam aſſumpta vitæ victuſque auſteritate, moderari cæcas voluptates corporis: labori, duriſque, & aſperis aſſuefacere, & ſibi ad omnia commodum, & facile inſtrumentum reddere, ſibique perpetuo ſubiectum retinere, atque obſequens per omnia.

Aduerſus extrinſecus incidētia formidāda ac terribilia.

Et quia etiam ab extrinſeco formidanda ac terribilia ſæpe incidunt, nonnunq̄ caſu fortuito, aliquando vero intentata a prauis, violentiſq; hominibus, ad hoc vt prętergrediatur a ſe debitū aut deo aut proximo offici-

officium: facile intelligit, qui prædicta intelligit, aduerſus hæc fortitudine muniri confirmarique oportere animum, vt aduerſus omnia ſit intrepidus. Et ita omnem iſtiuſmodi formidabilium timorem ſemel abijcere, ne perpetuo in timore viuere debeat: vtque cum res, & vſus poſtulat, propterea non dimoueatur ab officio.

Quouſque in his promouerit humana ratio.

In hunc modum, inſertum nobis diuinitus, illud de numinis & diuinitatis exiſtentia ſemen, noſtræ rationis, officij ſui non negligentis, in operum illius contemplatione, diligenti exercitio cõfirmatum cum & ex noſtri cognitione, relationiſq; quam ad Deum habemus, non ſolum ad eius ſapientiæ, & potentię gloriam intelligendam, ſed etiam ad adorandam maieſtatem, amandamq; nos bonitatem perduxit, nõ deſtituitur illius adiutorio, qui tribuit omnibus affluenter, et non improperat, & habenti, ac bene vtenti accepto a ſe talento, addit alterum. Certe, quo audiſti, perduxit illos Platonicos, quos Auguſtinus affirmat paucis mutatis Chriſtianos fore: cum Epicurei, velut bruta pecora: ſuo peccato excæcati, nihil intelligerent eorum quæ nos ad Deum dirigunt: cæterorum etiam, & quæ ad ſe, & quæ ad proximum non admodum multa Ariſtoteles, cum ſtupido illo ſuo deo, & finis noſtri, humanæque animæ tanta ignorantia, grauiſſimæ partis legum naturæ, & omnis noſtri erga Deum officij, ſuis, cognitionem ſuſtulit: ea tantum officia, vtcunque doces, quibus homo ordinatur ad ſe, & ad proximum, & ad communem illum naturæ ordinem. Stoici non paulo felicius aſſecuti ſunt atque intellexerunt hominis officia, a Platonica tamen illa perfectione longiſſime abfuerunt.

Vt cœleſtis philoſophia nos docuerit certius omnia.

Nos vero, diuina, cœleſtiſq; philoſophia, in quo infirmabatur humana, remotis variarum opinionum ambiguitatumq; nebulis, certã, indubiamq; veritatem clarius docuit, & noſmetipſos, & creatorem, & finem bonumque proprium noſtrum cognoſcere, & noſtra nobis officia, in ratione naturæ noſtræ inſculpta, & implicata ab illo opifice, ſed ignorantię tenebris, quę per peccata noſtra inuecta ſunt, obſcurata: clarius explicauit.

Sũma correlatiuę noticiæ dei et noſtri qualis nobis in diuinis ſcripturis proponitur.

Eundem inprimis eſſe finem noſtrum qui principium. Idem quod in ſe, hoc ipſum, & nobis ſummum bonum eſſe, vt ille quia bonus, vniuerſa creauerit, et in primis rationalẽ creaturam, quo ſuæ bonitatis foret particeps: hanc vero, etiam ad beatitudinis ſuę participium elegerit. Cui & talem naturam dederit, per quam habere poſſet, nõ ſolum alienum bonum, atq; aliunde acceptum, vnde nullo honore, nullo pręmio, quantumcunq;, & qualecunq; id eſſet, digna eſſe poſſet: ſed etiã ſuum, ac proprium, vnde ipſa commendari, et quod ſibi poſſet imputari ad meritum: nempe liberę voluntatis arbitrium, per quod, ipſi, ſyncero amore inhærere poſſet, atque illius ſe voluntati humiliter, libenter, fideliterque ſubmittere: poſſet etiam ab illo ſe auertere, & quo vellet ſe conuertere; diuina etiam mandata præuaricari,

& con-

et contemnere: breuiter, quo poſſet, & bene, & male viuere. Vtque inſuper bonæ vitæ, ſe præmium conſtituerit: malæ damnationis, mortiſq; ſupplicium. Quam nobis aſſequendæ beatitudinis facilitatem, ac certitudinem: quam etiam huius vitæ felicitatem in noſtra origine dederit: vtq; nos, in eadem, in ciues regni ſui adoptauerit, ſi modo tam in ſe benefico creatori ſuo, tam benigno ac liberali domino, tam pio patri: permanſiſſet obediens. Vtque idem ille, noſtrum omnium parens, ex tanta illa, ſed gratuita felicitate, ex illo quoq; beatitudinis regno, ſe, noſque in hanc calamitatem & miſeriam præcipitauerit, & regno illo extorres fecerit, & mortis inſuper damnationi obnoxios. Vt denique hanc iacturam quam in illo parente noſtro accepimus, multo nobis copioſius reſarcierit miſericordiſſimus dominus in ſuo filio, quem nobis ſaluatorem redemptoremque dedit. In quo naturam etiam noſtrã ſuper angelicam creaturam omnem ſublimauerit, nobiſque poteſtatem reſtituerit, in illo, & per illum filios Dei fieri, atque illi cohæredes in regno illo cœleſtis & diuinæ beatitudinis. In quo etiam iuſtiſſimo iudicio mundum iudicaturus eſt, cuique redditurus ſecundum ſua opera, recepto a quoque ſuo corpore, quo ſit, aut gloriæ felicitatiſque, aut damnationis particeps, quod participauit atque inſtrumentum animæ fuit in merito aut demerito.

Hæc fere ſumma eſt correlatiuæ illius notitiæ Dei, & noſtri, quę nobis in diuinis ſcripturis proponitur. In qua, vt hoc vnum, maxime nos ad pie iuſteque viuendum, atq; illi amori inhærendum ſolicitat, ſi cogitemus nec quicquam hæſitauerimus iuſtum illum de nobis laturum iudicium, & cuiq; retributurum pro meritis, inquirentes ſe, atq; illi amore ac ſtudio adhærentes, & vita ſancta conformantes, remuneraturum ſeipſo, & ſuæ beatitudinis conſortio: auertentes ſe ab illo, atque illius oblitos, bonorumq; quæ nobis offert negligentes & incurios, eiuſque in ſe obliterantes inſcriptionem & imaginem, chirographum vero mortis & damnationis perpetuæ, ſuis, quibus ſe mergunt & contaminant peccatis non ceſſantes ſcribere & reſcribere, æterno puniturum horrendoq; ſupplicio. Ita non poſſumus iuſtum Dei de nobis iudicium intelligere, niſi intelligamus libero nos præditos voluntatis arbitrio, & in nobis poſitum, vt obediamus præcipienti a malo declinare, et bonum facere: et contra, vt negligamus contemnamuſq; eius monita, quemadmodum ex ſequentibus erit illuſtrius. Atq; hactenus quidem de dei illa, & noſtri mutuo ſe habente cognitione, quæ ex diuinis ſcripturis nobis proponitur, quod inſtituto negotio ſatis eſt, catholicam ſententiam ſimpliciter explicauimus. Quam & luce clarius aſtruemus in ſequentibus, cum ante propoſuerimus, quæ falſa, quæ portenta, quæ blaſphema aduerſus eandem cæca quorundam impietas doceat.

Propoſitũ nobis Dei iudicium ad pie viuẽdũ nos maxime ſolicitare.

Non poſſe nos iuſtum Dei de nobis iudicium intelligere, niſi intelligamus nos liberi ad bonũ & malum arbitrij.

Dictis

Dictis aduerſantem, & cum diuina bonitate maxime pugnantem, quorundam ſententiam, qua & nullum hominibus liberum eſſe arbitrium & vniuerſa ineuitabili nobis, abſolutaq; neceſſitate ex Dei voluntate prouenire affirmant, & quibus eandem argumentis aſtruant, breuiter explicare.

Caput II.

Vt recte intellexerit Lutherus cũ euidenti ratiõe pugnare ſua dogmata.

NOn male hoc vnum intellexit Lutherus, pleraq; dogmata ſua eam probabilitatē habere, vt nemini poſſint perſuaderi, niſi cui ante eruerint mentis oculos, & perſuaſerint, nihil videre, nihil intelligere poſſe hominem, eorum quę ad Chriſti fidē religionemq; pertinent: nec poſſe dei verbum, ſcilicet, illud ſuum, vere percipere, aut fidei illius nouæ compotem fieri, niſi ratione excęcata ſtultus antea fiat, & tam a ratione alienus ſit, quam infantes & moriones ſunt. Imo, hos ipſos, infantes et moriones, ad fidem percipiendam aptiores eſſe, quam adultos & ratione valentes: vt quibus ratio ad fidem ſemper ſit obſtaculo: eam, ſolius Dei opus eſſe: rationem vero, ad ea quæ fidei ſunt, cæcam, mortuam et velut ſtipitem: proinde ſuſque deque habendum eius de his rebus iudicium. Hæc ille mirabilis noui eius, quod nunc iactatur, Euangelij author, palam affirmat, & docet ſuum Euangelicum populum: (quam conſonanter autem ad doctrinam Apoſtolicam, qui negat quenquam, niſi ex doctrinatione poſſe credere, aut niſi docentem prędicantemq; audierit, plane cæcus eſt qui non intelligat. Niſi forte infantes & moriones, quãdiu eo habitu ſunt, percipiendæ doctrinæ aptos dixerimus) Hæc inquam ſuos docet ille: quę niſi ante perſuaſerit, niſi plane excæcatos ante diſcipulos ſuos reddiderit, recte, vt dixi, intelligit nullos ſe habiturum diſcipulos, nec aliter, perſuaderi vllis poſſe pleraque Euangelij ſui dogmata: vt quę euidenti certiſſimęq; rationi palã aduerſari intelligit. Inter quę, quod eſt omniũ abſurdiſſimum atq; impudẽtiſſimum, nec minus in quamplurima ſe extendens, eiuſdem illius Euangelij dogma de nulla noſtri libertate arbitrij, & ineuitabili neceſſitate eorũ quæ nobis accidunt, quæ facimus, quæ patimur omnium, nunc explicandum eſt. Quod principio, etiam Philippus & cæteri vniuerſi eiuſdem Euangelij dogmatiſtæ, magna impudentia aſſeruerant: ille vero eorum coryphęus omniũ in eo ipſo, velut inprimis neceſſario, et vnde noſtri cognitio, noſtręq; ſalutis ſumma præcipue dependeat, ignorato tamen cæteris omnibus, ſibi placebat maxime omniũ, orthodoxos pene omnes multis retro ſęculis, craſſiſſimi atq; intollerandi in eo erroris arguens: cuius vetuſtatē, ita operante ſatana, obſediſſe animos hominũ affirmat, vt vix vllos ei percipiendo ſperet idoneos, nedum qui ſecum de eo concertare valeant. Sed nec idē ille ipſe ſubito, ſed gradibus, & paulatim profecit ad tam ſublimis

Quale illi viſum ſit dogma de nulla libertate noſtri arbitrij.

nis cognitionem myſterij. Docuerat antea liberum arbitrium poſt peccatum eſſe rem de ſolo titulo: ipſum nihil poſſe quam peccare: imo dum facit quod in ſe eſt, ad ſe præparandum ad diuinam gratiam, ipſum peccare mortaliter. In quo non video quem ſequatur hæreticorum veterum, ſed furioſi eius cerebri hoc commentum exiſtimo.

Explicatio ſententiæ Lutheri, de ſeruo hominis arbitrio.

Quam eius ſententiam cum inter alia dogmatum ipſius portenta, pro ſuo officio perſtrinxiſſet cenſura ſedis apoſtolicæ, idem ipſe diabolicam ſuam obſtinationem & pertinaciam orbi conteſtatam faciens, emiſit aſſertionis libellum, quo impia illa ſua dogmata, ſed transformata pene vniuerſa in peius, publice aſſerunt, & primum quidem dictam ſuam de libero arbitrio ſententiam, locis aliquot ex diuinis ſcripturis, maligne, ſycophantice, & uiolenter ad ſuam impietatem detortis, hoc eſt, more ſuo & ingenio, aſtruere conatus eſt: ita ſane, vt Lutheri inuentum hoc non dubites. Deinde, quaſi ea ipſa non ſatis impia eſſet & abſurda aſſertio, Vuicleſi præceptoris ſui: quod ante hunc etiam Petri cuiuſdam Abailardi, Laurentij item Vallenſis fuit, dogma reducere & ſtatuere conatus eſt, quo, nulla contingenter, ſed abſoluta nobis neceſſitate prouenire vniuerſa illi affirmant: Agi homines, non agere in his quæ videntur agere, qualiacunque ea, ſeu bona, ſeu mala ſint. Nihil prorſus omnium eſſe noſtræ poteſtatis & arbitrij, ſed diuinæ tantum per nos operationis eſſe nos inſtrumenta quædam. Quæ ſunt eiuſmodi, vt affirmare non dubitem, nulli Euangelio, nullis ſcripturis, nullis Apoſtolis, ſed nec angelis de cœlo omnibus, de eis crediturum me, ſi ea aſſererent: tam ſunt abſurda, tam impia in Deum blaſphema, & a dulcedine bonitatis eius abhorrentia, atque inſuper communi ſenſui, & conſenſui totius ab initio orbis mortalium omnium aduerſaria, & dabo operam, vt nec impie, nec abſurde hæc a me dici lector intelligas. Et tamen hæc ille videri vult coactus contra ſentienti orbi, & eccleſiæ vniuerſæ, ingerere, quo Dei gratiam iam annis multis oppugnatam, oppreſſam et extinctam a theologis omnibus (quorum neminem non contra gratiam pro gratia ſcripſiſſe affirmat) reuocet, aſſerat, & ſuæ dignitati reſtituat. Cui locum eſſe non vult, niſi ingeratur prorſus indignis: ſi ad eius ſuſceptionem ſui cordis oſtium aperire homo poſſit: ſi terram cordis ſui præparare aratro & vomere pœnitentiæ, quo ſuperfuſo diuinæ gratię imbre herbam oportunã proferat, et fructum, aut trigeſimum, aut ſexageſimum, aut etiam centeſimum: ſi diuinæ gratiæ ad iuſtitiam cooperari valeat. Nihil proinde nos poſſe ante ſuſceptionem gratiæ quam neceſſario peccare, & continuo peiores fieri, magiſq; a Deo elongari affirmat. Naturam damnat et malã facit, et tandem pene nihil facit: nec quicq̃ nobis reliqui facit, ſed velut ſerras, aut eiuſmodi inſtrumenta quędã diuinę per nos operationis, nõ ſolum in bonis, ſed et in malis omnibus: in quibus nihil prorſus ſit noſtrę

poteſtatis & arbitrij:nihilo inquam magis,quam ferre,vt ſcite aut ine‑pte trahatur ab opifice.Hinc fit,vt nec legis nec peccati conſtare illi poſ ſit ratio:quemadmodum poſt demonſtrabimus,vt quibus locus non eſt, vbi arbitrij libertas non eſt. Vnde & ea illi blaſphema dogmata, quod Deus nobis præceperit quæ nobis ſunt prorſus impoſſibilia,& quod mortaliter ac damnabiliter peccemus ea non facientes, quæ æque in noſtra poteſtate non ſunt, quam auium inſtar ſublimes volare per aera.Hinc et illud,quod de peccato originis inducunt,dogma pro digioſum dependet:quanquam illud ipſum, quod poſt intelliges,horum omnium principium ſtatuant.Hinc & illa paradoxa,in omni opere bono, iuſtum neceſſario peccare, Opus bonum optime factum eſſe peccatum veniale ſecundum Dei miſericordiam, ſed mortale, & æterno ſupplicio dignum ſecundum iuſtum Dei iudicium. Neminem certum eſſe ſe non ſemper peccare mortaliter. Et hæc magno applauſu ab vniuerſis Euangelicæ huius doctrinæ dogmatiſtis & apoſtolis,ſimpliciter & abſque vllo diſcrimine ſuſcepta ſunt a principio. Quanquam autem in ſuę,quam nuper ediderunt,et nunc profiteri videntur, fidei expoſitione, hac in parte correxiſſe ſuam fidem videantur,et quam pridem cum euangelij ſui illo coryphęo,eiuſq; præceptore Vuicleffo,aſſeruerũt de ineuitabili & abſoluta omnium neceſſitate, nunc damnare ſententiam: inſuper, & humanæ voluntati libertatem nonnullam tribuere in his quæ ad ciuilem iuſtitiam pertinent, & exteriorem rerum faciem concernunt: quam tamen æque illi adimunt, in his quæ ad regnum Dei atq; eius iuſtitiam pertinent. Quia animalis, inquiunt,homo,non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, illam quippe fieri in cordibus noſtris, cum per verbum ſpiritus ſanctus concipitur (ita ſane habet Auguſtanæ,cui adhuc pertinaciter inhærere videntur, confeſſionis eorundem articulus XXVIII.) Nihilominus non ab re videbitur fortaſſis alicui,non ex animo prodijſſe iſthæc palinodia,ſed ſimulata in commodum negotij,vt vocant, Euangelici:quo ſeruirent & loco & tempori, quum in vno illo ſuo dogmate,totius orbis, & omnium hominum ab initio communi ſenſu & conſenſu ſe damnari animaduerterent. Quem,tametſi magni non faciant,nec vereantur impia ſua commenta,aut deliramenta potius, illi ex aduerſo ſtatuere: tamen non ignorantes,quantum ille apud omnes quibus mens eſt et ratio,momenti habeat,eos præſertim quibus ſuam illic fidem perſuadere conabantur,Imperatorem,Cæſarem,reliquoſque Germaniæ principes,& Imperij ordines,ne ex vno eo dogmate vniuerſum eorum periclitaretur Euangelium,& velut inſanum,quale revera eſt,reijceretur ab omnibus,callido conſilio eius,quamuis primarij ſui dogmatis myſterium, cælandum putaſſe:imo ſimulandum quod in eo nobiſcum conſentiant, Apoſtolorum in hoc prætexentes exemplum: qui cauſa

propa‑

propagandi Euangelij,idem,cum Iudæis a principio de legalibus, & obligatione legis Moſaicæ fecerant. Nam vt hæc quiſquam non immerito de illis credat, multa faciunt:& inprimis illud, quod publice editis etiam libris profiteri non dubitent,fas eſſe etiam fucis & technis promouere Euangelium atque eius negotium.Deinde,quoniam ſi ea vera eſſet palinodia, & procederet ex animo, ſi illius dogmatis, quod dudum aſſeruerunt abſurditatem, impietatem, & in Deum blaſphemiam nunc vere intelligerent, & execrarentur ex animo, non poſſent non execrari os illud blaſphemum, illum ſuum Euangeliſtam & doctorem,qui eiuſmodi,qualia mox aperiemus,blaſphemiarum portenta,in Deum euomuit,atque ipſos docere docuit: cuius tamen eoſdem nondum pudet ſe profiteri diſcipulos: cuius dignitatem authoritatemque magna cura ac diligentia vbiqꝫ aſſerunt,& ſartam tectamque cauent, atque indigne ferunt, ſi quis de eo loquatur pro re & merito: cuius & in cæteris quoqꝫ omnibus profitentur doctrinam vt vere euangelicam:vnius furioſum cerebrum pluris faciunt, quam orthodoxorum retro patrum omnium conſentientem ſententiam. Alterum proinde vt ſit neceſſe eſt: aut illos nondum percipere eas ipſas, quas in eo dogmate latere mox demonſtrabimus,abſurditates & in Deum blaſphemias:tametſi forte non plane illi nunc aſſentiantur,nec euidentiſſimæ veritatis luci etiam inuitis irrumpenti diutius claudere poſſint oculos:aut certe,non ex animo, ſed verbis tantum ac ſimulate, ob cauſam quam diximus, hac in re diſſentire a ſuo illo doctore & Apoſtolo.Quo enim pacto potuiſſet Philippus,illius confeſſionis atque apologiæ eiuſdem præcipuus architectus,potuiſſent & cæteri,ſuum illum tam abſurdum, tam impium, tam blaſphemum errorem, quem editis libris publice aſſeruerunt & aſſerunt,qui adhuc publice legũtur a ſuo illo euangelico populo,leguntur et a nobis,non ingenue agnoſcere,ſi eundem, qualis eſt,vel nunc tandem vere intelligerent, & execrarentur ex animo? Quid hoc portenti eſt,ſibijpſi plane contraria ſcribere, & in poſterioribus, priorum nullam mentionem facere? Erraſſe, humanum eſt, errorem recantare et publice corrigere poſtquam eum publice in orbem ſparſeris, ingenui candoris eſt. At prioribus, quæ a ſe profecta inficiari non poſſunt, & publice per orbem leguntur, nec obliterata ſunt, nec obliterari poſſunt, poſteriora publicare contraria, illorum autem nec meminiſſe quidem,quaſi ad ſe non pertineãt,quid non prodigij & monſtri eſt?

Vtcunque tamen hoc habeat, de illo ipſo Lutheri Vuicleffi Valleníiſque dogmate, quo abſolutam ineuitabilemque nobis omnium neceſſitatem inuehunt:quod ad libertatem arbitrij attinet, in his quæ ad fidem,iuſtitiam,& ſalutem aſſequendam pertinent, certum eſt illos ipſos eandem adhuc ſequi ac tueri ſententiam, quam Lutherus ab in-

itio, nempe, vt poſt Adæ peccatum ante aſſequutam a nobis iuſtificationis gratiam nullum nobis ſit reliquum: vt nihil prorſus poſſit homo ad aſſequendam Dei gratiam: nihil ad eam ſe præparare, non ſe a peccando cohibere & auertere: imo, nihil quam peccare: imo nihil quam neceſſario peccare: adeo, vt dum facit quicquid in ſe eſt ad aſſequendam diuinam gratiam, peccet mortaliter: In cæteris quoque prædictis omnibus. De peccato, inquam, de lege, de obligatione ad impoſſibile. De natura, gratia, fomite, quem peccatum faciunt, peccandi neceſſitate, peccato originis, ab illo Lutheri Euangelio non diſſentire confeſſores illos, æque certum eſt: tametſi, quo diximus conſilio, parum libere, aperte & ingenue dicta confeſſione ſua ſuam ea de re fidem & ſententiam explicent: ſed nonnullam nobis libertatem tribuentes in rebus indifferentibus, vniuerſa hæc, paucorum inuolucro verborum inuoluant, & quid ſentiant, callide diſſimulent. Quorum nobis luculenter nunc eſt explicanda ſententia, ponendaque ſub oculos. Id enim ſarciendæ inter nos concordiæ magis conuenire exiſtimo, quam ſi tegantur ac diſſimulentur quæ reuera ſunt inter nos controuerſiæ. Neque enim parui momenti eſt (quod poſt intelliges) nec de exiguis rebus exigua hæc inter nos controuerſia. Ante tamen, illud, de abſoluta & ineuitabili omnium neceſſitate, dogma, quod Lutherum atque eius aſſeclas, poſt V viclefum Abailardum, & Valleñ. magna ſecuritate & confidentia ab initio docere non puduit, nonnihil excutiendum eſt: non tam dogmatis ipſius cauſa, quod eſt eiuſmodi, vt ipſos eius profeſſores iam illius pudeat: ſed vt omnes clariſſime intelligant, qualem ijdem illi præceptorem ſequantur, atque eius etiam ipſos pudere incipiat.

Is itaque ille, memorato Aſſertionum libello, inter alia pleraque pro ſeruo ſub compedibus peccati arbitrio, quæ poſt audies, hæc fere argumenta abſolutæ omnium neceſſitatis inducit. Inprimis, illud Hieremiæ. Scio Domine, quoniam non eſt hominis via eius, nec viri vt dirigat greſſus ſuos. Quid, inquit, dici potuit apertius? Si via ſua, & greſſus ſui non ſunt in poteſtate hominis, quomodo via Dei, & greſſus Dei erunt in poteſtate eius? Viam hominis eſſe eam quam nos vocamus naturalem virtutem faciendi quod in nobis eſt: quæ, quando in arbitrio hominis non eſt, quid, inquit, eſt ergo liberum arbitrium? quomodo poteſt ſeſe ad bonum præparare, cum nec in poteſtate eius ſit, vias ſuas malas facere? Nam & mala opera in impijs operari Deum: quod a ſcriptura affirmari affirmat. Omnia ſiquidem propter ſeipſum operatum eſſe Deum, etiam impium ad diem malum. Et Apoſtolus in ea quæ ad Romanos eſt. Tradidit, inquit, eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniunt. Et rurſus. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Quorſum citat

& illud

& illud de Pharaone dictum. In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam. Eodem, etiam illud Solomonis. Hominis eſt præparare cor, domini autem gubernare linguam: hoc eſt, inquit, Homo ſolet multa proponere, quæ tamen adeo non ſunt in manu eius, vt nec verba in hoc ipſum in ſua poteſtate habeat: coactus mirabili Dei prouidentia, & loqui & facere aliter quam cogitauit facere: quod in Balaam monſtrari vult, & a Dauid confiteri Pſalmo CXXIX. Non eſt, inquit, ſermo in lingua mea. Affirmari proinde a ſcriptura. Cor regis eſſe in manu Dei, & inclinari ab eo quocunque voluerit. Quod ipſum, & ipſa rei euidentia, ex omnibus omnium gentium hiſtorijs, & ſua cuiuſque vita propria confirmari exiſtimat. Quis enim eſt, inquit, qui omnia fecit quæ voluit? imo quis, qui quod cogitauit facere non ſępius alia ſtatim cogitatione mutauit? Quis audet negare, etiam in malis operibus ſæpius coactum ſe aliud quam cogitauit facere? An non putas, inquit, huius bullæ authores (de diplomate loquitur, quo Romanus Pontifex pleraq; impiorum eius dogmatum publice denotauerat) in eo fuiſſe totis & ſummis liberi arbitrij viribus, vt pro ſe, contra Lutherum loquerentur? & ecce quam non fuerit in eorum arbitrio hæc cogitatio & operatio? Omnia enim & contra ſe, & in caput ſuum operati ſunt, vt nunquam legerim, inquit, quibus fœdius abominabiliuſque ſe dedecorauerint, & in omnem turpitudinem errorum, hæreſum, malitiarumque apertiſſime tradiderint, excæcati, & ignorantes. Adeo non eſt homo in manu ſua vel male operans & cogitans, vt vere ad Epheſios dixerit Paulus. Deum operari in omnibus omnia. Perijt itaque hic etiam, inquit, generalis illa influentia, qua garriunt in poteſtate noſtra eſſe, naturales operationes operari. Cum enim nec vitam ipſam, quæ ęſt radix & caput omnium, vllo momento, in manu noſtra habeamus, audemus inſenſati dicere, in manu noſtra eſſe cogitationem aliquam? Quid, inquit, dici poteſt abſurdius? fratres Ioſeph cogitauerunt illum occidere: quod adeo in poteſtate eorum non fuerat: vt Deus hoc illi in contrarium verterit, & Pontifici deinde petulantiſſime atque impudentiſſime inſultans. Habes, inquit, miſerande Papa, quod hic oggannias? Vnde & dictum ſuum, quaſi ſatis abſurdus ſatiſque impius non fuerit, a Pontifiçe ſubnotatum de ſeruo arbitrio articulum, in hunc modum reuocat, Male enim dixi, inquit, quod liberum arbitrium ante gratiam, ſit res de ſolo titulo: ſed ſimpliciter debui dicere, Liberum arbitrium, eſſe figmentum in rebus, aut titulum ſine re, Quia nulli eſt in manu ſua cogitare quicquam mali vel boni: ſed omnia (vt Vuicleffi articulus Conſtantiæ damnatus recte docet) de neceſſitate abſoluta eueniunt. Hoc & Poetam voluiſſe, cum diceret, Certa ſtant omnia lege: & Chriſtum, cum ſine volun-

tate patris nec folium arboris in terram cadere affirmaret, falli autem hos miſeros homines, rerum humanarum inconſtantia, ſeu, vt vocant, contingentia. Oculos enim ſuos, ſtultos, in res ipſas operaque rerum immergere, nec in Dei conſpectum ipſos eleuare aliquando, vt res, ſupra res, in Deo cognoſcant. Nobis enim ad inferna ſpectantibus res apparere arbitrarias, cum ad ſuperna ſpectantibus neceſſaria ſint omnia. Quia non ſicut nos volumus, inquit, ſed ſicut ille vult, ita viuimus, facimus, patimur omnes & omnia. Ceſſat liberum arbitrium erga Deum, quod apparet erga nos & temporalia. Illic enim, vt Iacobus ait, non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, hic vero mutantur & variantur omnia. Et nos ſtulti, diuina æſtimamus ſecundum hæc temporalia, vt libero arbitrio præſumamus Deum præuenire, & gratiam velut dormienti extorquere, quoties collibitum fuerit. Quaſi ille nobiſcum mutari poſſit, & velit, quod aliquando noluit, idque noſtro libero volente et operante arbitrio? O furor furorum omnium nouiſſimus.

Et hactenus illum audiſti ſacroſancti illius Euangelij authorem, ſua ipſius verba reſonantem, & Vuicleffi præceptoris ſui, aliorumque nonnullorum parum ſobriorum hominum dogma de abſoluta neceſſitate omnium, ſua illa, qua ſua condit omnia, Euangelica ſcilicet, nouaque modeſtia, quæ illi Euangelio eſt propria aſſerentem. Cuius meminimus, non ſine operæ, vt exiſtimamus, precio. Non equidem ipſius, vt ſupra dixi, dogmatis cauſa, quod eſt eiuſmodi, vt ſuos ipſius eius profeſſores iamdudum pudeat: neque eo conſilio, vt ſopitas iam, reuocemus contentiones & controuerſias: ſed quo intelligant omnes, quali, & quam Euangelico ſpiritu afflatus ille, ſuum illud Euangelium, in orbem inuexerit: & quam tuto & ſecure illius quiſquam ſequatur doctrinam, illi ſuam fidem & ſalutem credat: quam indigne illi ſe quiſquam tradat diſcipulum: quod multo clarius intelligēt, cum eius ipſius dogmatis myſteria, quæ poſt explicabimus, clarius intelligent. Alioqui requirebat ſuſcepti argumenti ratio, meminiſſe etiam huius opinionis prodigioſæ atque impiæ, quæ etiam ante Lutherum ſuos aliquot, quos audiſti aſſertores habuit.

Non diuerſam admodum a nunc explicata, de ſeruo hominis arbitrio, in quam illa Vuicleffi & Lutheri ab huius ſectatoribus iam commutata eſt, nec minus impiam, & diuinæ bonitati æque aduerſantem ſententiam luculenter explicare.

Caput III.

Quan-

QVandoquidem ita exiſtimant multi, circa humani arbitrij libertatē, aut nihil, aut parū diſcordare nūc ſectatores Lutheri, qui expoſitam a ſe Auguſtæ fidem profitentur, a catholicæ eccleſiæ ſententia, ope ręprecium mihi viſum eſt, inſuper & ſuſcepti a nobis argumenti rationem requirere, vt in apertam lucem, quæ ab illis denſiſſimis tenebris offuſa inuolutaq; eſt (vt mendacium per ſe tenebricoſum eſt, aut ipſę potius tenebrę: ad hæc, infinitum: vt vix duos eorum reperias, qui idem, quod ad ſpeciē verborum eſt, ſuum ipſorum dogma ſimiliter intelligant: imo, vix vllum qui ſeipſum in vllo ſuorum dogmatum intelligat) operæ inquam precium mihi viſum eſt, vt in apertam lucem euocarem inuoluta atque abdita doctrinæ illius nouę myſteria, atq; oculis omnium conſpicienda proponerem: hoc autem loco, vt de libertate humani arbitrij, eorum diligenter luculenterque explicarem ſententiam, quo intelligant qui ſecus exiſtimant, quantis de rebus, & quanta, ſit illorum a nobis, nec diſſimulanda diſſenſio. Qua in re, vt plus laboris & negotij, quam in ea confutanda, fere vbiq; inuenio: ita hic nobis multum laboris ademit, Iohannis Caluini, quamuis male atque infeliciter collocata diligentia: qui libro ſuo de inſtitutione religionis Chriſtianæ, hac de re, illorum ſententiam, minime diſſimulanter, nec abſque dictionis artificio, & (quod fere in alijs omnibus deſyderes) methodo aliqua diligenter explicare & aſtruere conatus eſt, illorum communem hac de re ſententiam, ſi qua tamen vna vlla & communis ſit illorum ſententia.

Is itaq; hominem bifariam conſiderandum proponit: primum, in ea integritate in qua in ipſa ſua origine conditus extitit: deinde, in miſeria in quam eiuſdem originis culpa et peccato delapſus eſt. Conſtare ſiquidem creatum Adam, ad Dei ſimilitudinem et imaginem: quam in conformitate noſtri ſpiritus cū Deo, hoc eſt, diuinę ſapientiæ, iuſtitiæ, virtutis, integritatis, veritatis atq; innocentię participatione interpretatur conſiſtere: apoſtolicę in hoc innixus ſententiæ, qui iubens, vt exuti veterem hominem cum actionibus ſuis, induamus nouum qui ſecundum Deum creatus eſt, quo intelligeremus deliniamenta et figurā eius imaginis, ſubiunxit. In iuſtitia, & ſanctitate veritatis: & renouatus ad agnitionem & imaginem eius qui creauit illum. Hunc in modum ad imaginem Dei conditum illum, ac ijs dotibus prędítum, quę creatoris largiſſimam atq; indulgentiſſimam beneficentiā erga ipſum teſtarentur, et in quibus, non ipſe tantum: ſed et filij eius omnes victuri fuerant, ſi modo ipſe perſtitiſſet in ea integritate, quā acceperat: non tamen ſtetiſſe diu, ſed ſua potius ingratitudine ſe reddidiſſe indignum illis omnibus. Excidiſſe proinde illum: dei illa ſimilitudine: Et in locum ſapiētiæ, virtutis, ſanctitatis, veritatis, iuſtitiæ, quibus illum ornamentis Dei ſimili- Vt Dei illa ſimilitudine peccato

ſuo excideña, peſtes teterrimæ in locūeius ceſſerint. Vt eiſdem peſtibus implicuerit ſuam quoq; progeniē.

ſimilitudo veſtierat, ceſſiſſe teterrimas peſtes: ignorantiam, impotentiam, impuritatem, vanitatem, iniuſtitiam. Quibus miſerijs immerſum & obuolutum, ſuam quoque eiſdem implicauiſſe progeniem. Et hanc illi affirmant hæreditariam corruptionem: quam peccatum originale veteres nuncupaſſe volunt: peccati vocabulo, naturæ antea bonæ corruptionem deſignantes, quæ propagatione in omnes tranſierit.

Originale peccatum naturæ antea bonæ corruptio in Adā hæreditaria.

Quanquam contra Pelagiani impie ſenſerint, non propagatione a primo in nos homine, ſed tantum imitatione tranſijſſe peccatum. Sed orthodoxos contra affirmare, non aſcita nos corrumpi nequitia, ſed ab vtero matris ingenitam vitioſitatem adferre: confitente Dauid: ſe in iniquitatibus genitum, & in peccatis conceptum a matre, qua in re, cum patris, inquit, & matris delicta illic non redarguat, ſed propriæ peruerſitatis confeſſionem a prima natiuitate repetat, quo Dei erga ſe benignitatem plenius commendet, nec Dauidi peculiare id fuerit. Sequitur communem generis humani ſortem ſub eius exemplo notari: quo intelligant omnes, quotquot ab impuro ſemine deſcendimus, peccati contagione nos naſci infectos: imo eſſe in conſpectu Dei fœdatos, atq; inquinatos, antequam hanc vitæ lucem inſpicimus. Corruptione ſiquidem naturę humanę in Adamo velut radice ſua: ad eum modum vitiatū fuiſſe vniuerſum genus hominum: quo modo per Chriſti gratiā reſtituta nobis eſt vita, & iuſtitia. Quæ, tametſi imitanda nobis proponitur, nihilo tamen minus, cōmunicatione noſtram eſſe.

Corruptionis illius q effectus.

Peccatum ergo originale definit hæreditariam naturę noſtrę prauitatem, & corruptionem: quæ, primum quidem nos reos iræ Dei faciat, tum etiam, fructus illos in nobis pariat, quæ opera carnis ſcriptura vocat, ſic quoq; omnibus naturæ noſtræ partibus vitiatos peruerſoſque reddat, vt ob talem corruptionem damnati merito conuinctiq; corā Deo teneamur, etiam infantes adhuc, noſtram nobiſcum adferentes damnationem ab ipſo matris vtero: qui tametſi ſuæ iniquitatis fructus nōdum protulerimus, habere tamen nos incluſum in nobis illorū ſemen:

Vniuerſā naturā noſtram eſſe q̃ddam peccati ſemen, Deo odioſam et abominabilem.

imo vniuerſam naturā noſtram eſſe quoddā peccati ſemen: atq; ideo non odioſam atque abominabilem Deo eſſe non poſſe. Quin & hanc in nobis peruerſitatem ceſſare nunq̃, vt quę nouos aſſidue fructus pariat, carnis inquam opera: non ſecus atq; fornax inceſa flammā ac ſcintillas efflat: aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit, & hic egregie ſibi videtur patrocinari Deo, aduerſus eos qui illum ſuis vitijs authorem audent inſcribere, quaſi naturalibus, cum Dei opus, non in integra atque incorrupta adhuc Adæ natura: ſed in ea corrupta contēplentur.

In eo, vt aduerſus Manichęos, patrocinetur Dei bonitati & iuſtitiæ.

A carnis ſiquidem noſtræ culpa, nō a Deo, noſtram perditionem eſſe. Quando non alia ratione perimus, niſi quia a prima noſtra cōditione degenerauimus: vt naturæ noſtræ deprauationi, non Deo, ruinam imputandam noſtram, meminerimus. Hærere quidem vulnus exitiale innatu

natura,ſed plurimũ referre acceſſerit ne aliunde, an ab origine inſederit,& quoniam per peccatum inflictum fuiſſe conſtat,non eſt, inquit, quod conqueramur niſi de nobiſipſis, a Deo non ineſſe, qui ſuo operi iraſci non poteſt: ſed operum ſuorum corruptioni infenſus eſt, tametſi ob vitiatam naturam: nõ inſcite dicatur,homo naturaliter prauus: vitioſus, & Deo abominabilis,euaneſcere proinde ſtultũ Manichæorum nugamentum,qui cum ſubſtantialem in homine malitiam imaginarentur,alterum illi conditorem affinxerant, ne bono Deo viderentur mali cauſam & principium aſſignare.

Ab hoc iacto fundamento,& principio,ad inquirendum ſi qua homini libertas arbitrij poſt peccatum remanſerit, duo ante omnia, velut ſcopulos,fugienda in hac quæſtione proponit. Alterum, ne ſi homini bene agendi facultatem adimamus, deſidiæ illi occaſionem demus. Alterum ne ſi quippiam vel minutulum illi arrogetur,temeraria hic confidentia labefactetur, & Deo ſuus honor præripiatur.

Duo fugienda, in inquiſitione de libertate arbitrij.

Ad hos ſcopulos ne impingat, hunc ſibi curſum tenendum exiſtimat,vt homo nihil boni penes ſe reliquum ſibi eſſe edoctus, & miſerrima vndique neceſſitate circumſeptus, doceatur tamen ad bonum, quo vacuus eſt,& ad libertatem,qua caret,aſpirare, ita fore putat, vt acrius ab ignauia excitetur, quam ſi ſumma virtute fingeretur inſtructus. In facultatibus autem hominum expendendis, earum primum partitionem, non admodum ad propoſitam quæſtionem pertinentem, prolixa digreſſione ex philoſophis petit: ad rationem: tandem & voluntatem: vniuerſa inquiſitionis intentione reducta: vt in quibus, quod inueſtigatur, quærendum, excutiendumque ſit, Philoſophos tamen in hac quæſtione, velut ſibi aduerſantes, & virtutes & vitia in noſtra poteſtate ponẽtes, mox ſuggillat & arguit, quibus & veteres quoſque Theologorum & Chriſtianæ profeſſionis doctorum connumerat: quos calumniatur longe plus æquo acceſſiſſe philoſophis, & humanas vires, quam par eſt, extuliſſe, eo quidem conſilio, ne ſi aſſeruiſſent earum impotentiam, primum philoſophorum ipſorum cachinnos, quibus cum: tum certamen habebant, excuterent, ſi quid communi horum omnium iudicio abſurdum traderent: deinde, ne carni, ſua ſponte ad bonum torpenti, nouam deſidiæ occaſionem præberent.

Partitio facultatum hominis.

Philoſophos, in hac cauſa, vt ante omnia reijciat & veteres quoſque Theologorũ, velut in extollenda humanæ voluntatis facultate immodicos.

Inter quos Chryſoſtomum citat,in hæc verba ſcribentem Homi. de prodit. Iudæ, quoniam bona & mala in noſtra Deus poteſtate poſuit, electionis liberum donauit arbitrium, & inuitos non retinet, ſed volentes amplectitur. Item alibi, Sæpe qui malus eſt, ſi voluerit, in bonum mutatur, & qui bonus, per ignauiam excidit, & fit malus, quia liberi arbitrij eſſe noſtram naturam fecit dominus,

Chryſoſto.

B iiij nec

nec imponit neceſſitatem, ſed congruis remedijs appoſitis, totum iacere in ægrotantis ſententia ſinit. Rurſus, ſicut, niſi gratia Dei adiuti, nihil vnquam poſſumus recte agere, ita niſi quod noſtrum eſt attulerimus, non poterimus ſupernum fauorem acquirere, quin & hoc illi verbum paſſim familiare agnoſcit. Afferamus quod noſtrum eſt, reliqua ſupplebit Deus.

Hierony.

His conſentaneum citat, quod ait Hieronymus noſtrum eſſe, incipere: Dei, perficere: Noſtrum offerre quod poſſumus, illius implere quod non poſſumus. Quas tamen ſententias, ille falſiſſimas affirmat: vt homini largientes plus quam par eſt, ad virtutis ſtudium.

Veteres omnes, vno Auguſtino excepto, vult varie, ambigue, & perplexe loqui. Cyprianus Eucherius.

Itaque, tametſi Græcos præ alijs, atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomum, in extollenda humanæ voluntatis facultate, affirmet fuiſſe immodicos. Aeque tamen veteres omnes vno Auguſtino excepto, ſic hac in re vult variare, vacillare, ac perplexe loqui, vt nihil fere certi ex eorum ſcriptis referre liceat. In cuius teſtimonium, primū illud Cypriani citat, de nullo nobis gloriandum eſſe, quia nihil noſtrum eſt. Deinde & Eucherium, libro primo in Gene. Lignum vitæ Chriſtum exponentem, ad quem qui manum porrexerit, cum victurum: lignum autem ſcientiæ boni & mali, voluntatis arbitrium: de quo, qui relicta gratia Dei guſtauerit, eum moriturum. Poſtremo

Chryſoſt.

& Chryſoſtomi verbum quoddam truncum citat, quo dicit alicubi. Omnem hominem non modo naturaliter peccatorem, ſed & peccatum eſſe.

Auguſtino quā affingat ſententiam.

Vnum Auguſtinum ſibi vult conſtare hac in re, & aperte loqui: quem, tametſi & ipſum: diffiteri non poſſit, æque vt cæteros, liberi arbitrij vocabulum perpetue in ore habere, quanti tamen eius vſum faciat, ex eo conſtare vult, quod ſeruum ipſum appellare non dubitet: nec amplius illi concedat, quam ne audeat quiſquam ſic negare liberum voluntatis arbitrium, vt velit excuſare peccatum. Quo etiam & illud eiuſdem adducit, ſine ſpiritu non eſſe liberam hominis voluntatem. Et rurſus illud, Hominem libero arbitrio male vſum: & ſe & arbitrium ſuum perdidiſſe. Item liberum arbitrium captiuatum, ne quid poſſit ad iuſtitiam, Iterum liberum arbitrium eſſe, ſed non liberatum, liberum iuſtitiæ, ſeruum peccati.

Poſteriores vt adhuc in deterius lapſos affirmet.

Qui poſt ſequuti ſunt alios poſt alios, prolapſos, vult in deterius: donec eo ventum ſit, vt vulgo putetur ſenſuali tantū parte corruptum hominem: rationem autem habere incolumem, voluntatem vero, ſi non prorſus, magna tamen ex parte.

Apud Latinos, ſemper fuiſſe li

Apud Latinos confitetur ſemper fuiſſe liberi arbitrij nomen: Græcos arrogantiori adhuc vocabulo αὐτεξούσιον, hoc eſt ſuijpſius poteſtatem,

ſtatem: illud ipſum appellare.

beri arbitrij nomen Græcos arrogantiori adhuc vſos vocabulo.

Exactius autem de libero arbitrio & eius vi inquiſiturus, quo notionem aliquam eius præmittat, quod vere inter omnes conueniebat, illi videtur expreſſiſſe Origenem, cum dixit, facultatem eſſe rationis, ad bonum malumve diſcernendum: voluntatis ad vtrumuis eligendum, Nec ab eo variare Auguſtinum, cum docet, facultatem eſſe rationis ac voluntatis, qua bonum eligitur, gratia aſſiſtente, malum, ea deſiſtente.

Liberi arbitrij definitio.

Hinc auſpicatius, & quod cœpit inquirere pergens (ordinatius tamen quam ipſe & cohærentius membra inquiſitionis & orationis eius connectemus, ne quid eius detrahamus euidentiæ, ſed eam adſtuemus potius.) Ad res medias, & quæ nihil ad regnum Dei pertinent, eius liberam facultatem extendi, affirmari communiter affirmat. Deinde & hoc extra controuerſiam ponit, homini ad opera bona liberum arbitrium non ſuppetere, niſi adiuuetur gratia, & quidem ſpeciali: quam, ſoli electi: per regenerationem conſequuntur. Controuerti vero, ſit ne in totum bene agendi facultate priuatus, an vero eam nonnullam, ſed modicam & infirmam adhuc habeat. Quæ, etſi per ſe & ſola non poſſit, opitulante tamen diuina gratia ſuas & ipſa partes agat. In qua quæſtione & controuerſia, & magiſtri ſententiarum: Et Diui Bernardi ſententiam damnat, qua hominem affirmant, ſua quam a Deo accepit natura, bonum, quodammodo, licet inefficaciter, poſſe appetere, ſed ſine ſpeciali diuina gratia non poſſe efficaciter appetere, vt bona voluntas opus Dei ſit, quam tamen poſſit homo appetere. Quin & eam ſententiam damnat, quam Ambroſius libro de vocatione gentium his verbis exprimit, Liberum eſſe ijs qui rationis iudicio vtuntur, a gratia diſcedere, ita vt non diſceſſiſſe, præmio dignum ſit: vt, quod non poteſt, niſi ſpiritu cooperante fieri: eorum meritis deputetur, quorum potuit voluntate non fieri.

Duo hæc extra controuerſiam ponit. Ad res medias, et quæ nihil ad regnum Dei pertinēt, eius facultatem extēdi. Ad bona opera nō valere, niſi adiuuetur ſpeciali diuina gratia, quæ tantum electorum ſit. Quid in cō trouerſia remanere velit. Magiſtri ſen. & D. Bernardi dānat ſententiam. Vt homo nec appetĕre poſſit voluntatē bonam. Quam Ambroſij damnet ſententiam.

Magiſtro affingit liberi arbitrij dictum hominem, non quia liberam æque boni & mali electionem habeat, ſed quia voluntate male agit, non coactione, Quam ſententiam etſi non improbet, quia tamen plus intelligi in liberi arbitrij vocabulo recte intelligit, quod, niſi periculoſe & falſo homini attribui non poſſe exiſtimat, ipſum ſine ingenti periculo retineri non poſſe affirmat. Et contra, magno Eccleſiæ bono futurum, ſi aboleatur: neque ipſe vti eo velle conteſtatur, atque alios eodem optat abſtinere, quo vere humiliati ſint. Humilitatem ſiquidem, noſtræ philoſophiæ fundamentum eſſe, & tum quenque in ſui cognitione optime profeciſſe, cum ſuæ calamitatis, inopiæ, nuditatis, atque ignominiæ conſcientia deiectus conſternitur.

Magiſtro ſen. quam affingat ſententiā. Sine ingēti periculo retineri non poſſe liberi arbitrij vocabulum.

Vt autem ſuam hanc ſententiam certius explicet, & clarius demon-

mon-

Vt demonſtrare pergat q̃tum facultatis homini ſecundum rationem, & voluntatẽ ſit reliquũ. Duplex genus corũ q̃ ſub intelligentiã noſtrã cadũt, & q̃tum in vnoquoq; valeat ratio. Terrena. Cœleſtia. Cœleſtia in tribus rebus potiſſimum conſiſtere.

monſtret,quid quantumq; facultatis homini ſecundum rationem & voluntatem ſit reliquum : a ratione facto initio, duplex genus facit eorum quæ ſub intelligentiam noſtram veniunt, quorum alia quidem dicit eſſe terrena, alia cœleſtia. Quanquam ſignificantius, & ad ſuam ipſius intentionem conuenientius, illa naturalia, hæc ſupernaturalia diceret.Quum & cœleſtia ipſa:ſed ad quorum cognitionem,ipſa pertingit naturalis ratio:inter ſua terrena numeret. Terrena proinde vocat, quæ cum vita præſenti rationem relationemque obtinent, & intra fines eius quodammodo continentur. Cœleſtia vero, quæ ad Deum, regnum eius, ad veram iuſtitiam, ad vitæ futuræ immortalitatem pertinent. Ad illa:plurimum valere humanam rationem fatetur,ipſa conuictus rei euidentia, tametſi non ſine diuini ſpiritus munere. Qui, quæ in publicum generis humani bonum ſunt, quibus vult, quamuis impijs, diſpenſat. Ad cœleſtia vero quæ diximus, aut ſupernaturalia, etiam ingenioſiſſimos hominum talpis cæciores eſſe. Tribus autem potiſſimum rebus ea conſtare,Deo, eius erga nos voluntate, et formandæ ſecundum eandem vitæ ratione, Diuinitatis exiguum quendam guſtum inditum omnibus, ſed quo ad veritatem non ſatis certo dirigeremur, nedum : quo attingeremus eandem : Diuinæ vero illius voluntatis erga nos certitudinem, vi rationis naturalis ne olfeciſſe quidem vllos hominum.

Ad vitæ probæ componendæ regulam cognoſcendam:plus equidem rationem valere,quam ad ſuperiora concedit, Quando teſtatur Apoſtolus,Gentes quæ legem non habent,dum opera legis faciũt,ſibi pro lege eſſe & oſtẽdere opus legis ſcriptum in cordibus ſuis,attamen etiam hic,eandem:& ſæpe & multum cæcutire.

Quicq̃d ingenium noſtrum concipit, agitat, aut molitur, ſemper malum eſſe.

In ſumma concludendo quo ad hanc partem,nempe rationem hominis,dicit ſpiritum ſanctum, qui nouit omnes cogitationes hominũ vanas eſſe,etiam clare pronunciare.Omne figmentum humani cordis eſſe tantũmodo malum:Si enim,inquit, quicquid ingenium noſtrum concipit,agitat,inſtituit,molitur, ſemper malum eſt, quid quantumq; facultatis homini ad bonum,ex hac parte,nempe ratione, ſuppetat : ex his ſatis perſpicuum exiſtimat.

De voluntate. Sit ne penitus & ita corrupta vt nihil niſi malum generet.

Voluntatem deinceps excutiens, ſit ne vitiata penitus,corruptaque omni ex parte, vt nihil niſi malum generet, an quid in ea permanſerit rectitudinis vnde bona naſci poſſint deſyderia. Principio ad eius rectitudinem nihil pertinere oſtendit,quod a philoſophis traditum,publico conſenſu receptum eſt. Omnia naturali inſtinctu bonum appetere. Quandoquidem, de eo hoc appetitu intelligendum ſit, qui magis ab eſſentiæ inclinatione, quam mentis deliberatione proficiſcitur, & nedum beluis, quæ & ipſæ bene ſibi eſſe cupiunt, & boni ſpecie ducuntur, ſed etiam inanimis ineſt : iſta nempe ad eſſentiæ

perfe-

perfectionem inclinans quædam affectio eſt.

Videri multis,atq; veterum fere omnibus, animæ, ex ſui conditione,& natura, ineſſe facultatem vltro ad bonum aſpirandi,ſed imbecilliorem,quam quæ in ſolidum affectum emergere,aut conatum excitare poſſit,& hanc ſententiam communiter ſequi ſcholas.

Vt non permittant vòluntati facultatem, quamuis ineffieacē, ad bonum aſpirandi.

Sed melius hominem vtraq; ſui parte cognoſci non poſſe, quam ſi cum ijs elogijs quibus inſignitur a ſcriptura, in medium prodeat, vniuerſum ſiquidem depingi,his Chriſti verbis, Quod natum eſt ex carne caro eſt. Quod ſi verum eſt, miſerum prorſus animal eſſe hominem, cum affectus carnis mors ſit, teſte Apoſtolo, atque aduerſetur Deo,& legi eius ſubdi non poſſit. Quod ſi in hominis natura nihil ſit niſi caro (nihil enim ſpiritus niſi per regenerationem habemus) atq; ea eſt carnis peruerſitas, vt toto ſuo affectu ſimultatem aduerſus Deum exerceat: vt cum legis diuinæ iuſtitia conſentire nequeat, vt nihil denique parere queat niſi mortis materiam, quid eſſe boni poteſt in homine?

Totum hòminem, carnē pronunciari a criptura.

Nihil eum ſpiritus niſi per regenerationem habere.

Eā eſſe carnis peruerſitatem vt tòto ſuo affectu ſimultatem cū deo exerceat.

Huc citat verſiculum Pſalmi LXI. iuxta nouam neſcio cuius,verſionem:quo ſignificatur hominum vanitatem:ſi cum vanitate appendatur,ea ipſa fore vaniorem: Eodem & illud quod eſt apud Hieremiam: Cor hominis prauum:ſed verbis ſuis,nempe, hoc pacto, Cor hominis fraudulentum & peruerſum præ omni re.

Præcipue vero vrget verba illa Apoſtoli ad Roma. Quod non eſt iuſtus quiſquam,non eſt intelligens aut requirens Deum : Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, ne vnus quidem : Sepulchrum patens eſt guttur eorum : linguis doloſe agunt, venenum aſpidum ſub labijs illorum : Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, quorum pedes veloces ad effundendum ſanguinem , in quorum vijs contritio & infelicitas , quibus præ oculis timor Dei non eſt. Quibus fulminibus, non in certos homines : ſed in vniuerſam filiorum Adam nationem vult inuehi Apoſtolum : nec in vnius aut alterius ſæculi deprauatos mores declamare, ſed accuſare naturæ corruptionem perpetuam : Neque enim aliter conſtare ſuam argumentationem Apoſtolo, qua docere conatur, ineluctabili calamitate oppreſſos omnes homines : a qua emergere non poſſint, niſi vna D E I miſericordia , niſi de clade & exitio naturæ, illa proferat teſtimonia, ex quibus, naturæ prauitate , non conſuetudinis vicio , tales eſſe conſtet homines, quales hic deſcribuntur ab eodem : omnibus enim eiuſmodi portentis obnoxiam pronunciari vult ab Apoſtolo vnamquanque animam: quæ vniuerſam , etſi vnaquelibet non exerat , coercita Dei nonnulla gratia , vnumquemlibet tamen, hydram iſtam incluſam habere in pectore. Quam : ſi dominus pro ſua inclinatione libere

Quo detorqueant verba Apoſtoli ad Rom. Non eſt iuſtus quiſq̄, &c.

vaga-

Vide, quale portentũ faciant naturam hominis.

vagari ſineret, & non iniectis frenis, quatenus expedire prouidet, ad
conſeruandam rerum vniuerſitatem coerceret, nullam eſſe rabioſam
beluam quæ tam præcipitanter feratur, nullum, quamlibet rapidum
ac violentum flumen, cuius adeo impetuoſa ſit inundatio. Sed hæc fre
na: ſpecialia Dei dona, non communes dotes naturæ, eſſe vult.

Vinctam peccati ſeruitute voluntatem, ad bonum ſe commouere non poſſe.

Ex quibus concludit vinctam peccati ſeruitute voluntatem, ad bo-
num commouere ſe non poſſe, nedum applicare. Quando eiuſmo-
di motus, conuerſionis ad Deum ſit principium: quam totam, diuinæ
gratiæ ſcripturæ attribuant, quemadmodum precatur a domino Hie
remias, vt ſe conuertat ſi conuerſum velit.

Voluntatẽ ſub boni impoſſibilitate, & peccandi neceſſitate manere.
Velle, naturæ.
Benevelle, gratiæ.
Male velle, corruptę naturæ.

Nihilo tamen minus manere voluntatem, vt quæ propenſiſſima af
fectione ad peccandum propendeat & feſtinet. Neq; enim volunta-
tem, ſed eius ſanitatem, per hanc, peccandi, cui ſubiecta eſt, neceſſitatem
auferri. Nam velle, ſimpliciter, humanæ eſſe naturæ: bene velle, diuinæ
gratiæ: male velle, corruptæ naturæ. Nec vult aſperam hanc loquutio-
nem cuiquam videri debere, libertate abdicatam voluntatem, neceſſi-
tate in malum trahi: neq; abſonũ habere quippiam: nec a ſanctorum
vſu alienum eſſe. Tametſi offendat eos qui inter neceſſitatem, & co-
actionem diſtinguere neſciant: inter quæ tamen: ſit ingens differentia,

Coactionẽ non neceſſitatem, voluntati aduerſari.
Deus neceſſario bonus diabolus neceſſario malus.
Non ideo minus volũtarie peccare hominem, quia neceſſario peccat.

nam Deum neceſſario, non tamen coacte, bonum eſſe, & diabolũ ma-
lum. Neceſſitatem diuinæ bonitatis, facere immẽſitatem bonitatis eius
non impulſionem violentam: Diabolum, lapſum ſic a boni communi
one alienum feciſſe, vt nihil poſſit quam male agere. Non ergo quenq̃
ideo minus voluntarie peccare dicere debuiſſe hominem, quod ſit pec
candi neceſſitati obnoxius. Hanc neceſſitatem vbiq; prædicari ab Au
guſtino. Per libertatem nempe factum, vt eſſet homo cum peccato, ſed
iam pœnalem vitioſitatem ſubſecutã, ex libertate feciſſe neceſſitatem.

Quo modo diuinæ gratiæ remedio emẽdetur naturæ noſtræ vitioſitas.
Nec gratiæ diuinæ cũ eam acceperimus, cooperari nos, nec p̃uenienti pediſſequa voluntate nos obſequi.

Explicans deinde quoniam modo diuinæ gratiæ remedio, emen-
detur noſtræ naturæ vitioſitas, ſic totum Deo & diuinæ gratiæ tribu-
it, vt nullas, in eo partes nobis relinquat, neq; amorem, deſyderium, aut
ſtudium iuſtitiæ, aut vllam facultatem aſpirandi, aut nos præparandi
ad diuinam gratiam, nec eidem cooperandi aut collaborandi, nec cum
eam acceperimus, neque vt gratiæ præuenienti pediſſequa voluntate
obſequi poſſimus, nec vt vllæ eius vel ſecundæ partes ſint in bono
opere cum accepta iam diuina gratia. Sed & inchoari in nobis opus
bonum, a ſolo Deo abſq; vlla noſtra, aut præuia: aut cooperante volun
tatis operatione: cum ille corda noſtra efficaciter afficit, flectit, format,
dirigit in iuſtitiam: & perfici conſummariq;, dum ſolo voluntatis ſuæ
beneplacito confirmat: nihil vero ea in re a nobis fieri. Neq; poſſe nos,
(vt multis ſæculis falſo traditum & creditũ affirmat) motioni diuinæ
aut obtemperare, aut refragari. Quod probari vult ſcripturæ authori-
tate. Dabo, inquit, vobis cor nouum & ſpiritum nouum ponã in me-

dio veſtri,& auferam cor lapideum de carne veſtra: Et dabo vobis cor carneum,& ſpiritum meum ponam in medio veſtri,& faciã vt in præceptis meis ambuletis. Ex quibus verbis,inprimis conſtare vult,voluntatis humanę infirmitatem nõ roborari diuinę gratiæ ſubſidio,quo ad boni electionem efficaciter aſpiret, transformari ſiquidem renouariq́ totam oportere,vt enim in lapide nulla eſt mollities, quæ adminiculo tenerior facta:fluxum quemlibet poſſit recipere. Ita nec cor hominis in recti obedientiam,diuinæ gratiæ adiutorio ductile eſſe dicta ſimilitudine oſtendi a domino affirmat: nec vnquam boni aliquid expreſſum iri a corde noſtro,niſi penitus aliud fiat,ne inter ipſum & nos partiamur, quod vni ſibi vendicat,nam vbi in populi ſui cõuerſione duo hæc ponit dominus,vt cor illi lapideum auferat, vtque det carneum: aperte illum teſtari vult, aboleri oportere quicquid ex nobis eſt, quo conuertamur ad iuſtitiam: Quicquid autem in eius locum ſubit,ab vno ſe eſſe. Quod ipſum non vno loco ab ipſo pronunciari vult, cum & alibi apud eundem Prophetam dicat,Dabo eis cor vnum, & viam vnam,vt timeãt me vniuerſis diebus. Et paulopoſt,Timorẽ nominis mei dabo in cor eorum,vt non recedant a me. Rurſum apud Ezechielem,Dabo eis cor nouum,& ſpiritum nouumdabo in viſceribus eorꝝ, cor lapideum auferam de carne eorum , &dabo eis cor carneum.

Aboleri,renouari,trãſformariq́ voluntatẽ noſtram totã oportere,quo ad boni electionem aſpiret.

Quibus iſ ſcripturæ authoritatibꝰ aſtruat.

Non potuiſſe Deum euidẽtius ſibi vendicare,nobis adimere,quicquid in voluntate noſtra boni & recti eſt, quam: dum conuerſionem noſtram:creationem noui ſpiritus,& noui cordis eſſe teſtatur. Proinde,inclinet,inquit Salomon,cor noſtrum ad ſe dominus, vt ſeruemus mandata ſua:peruicaciam videlicet cordis noſtri intelligens,velut in legis diuinæ rebellionem naturaliter exultantis, niſi flectatur. Aeque Dauidem cum dominum rogat vt cor mundum in ſe creet, & ſpiritum rectum in viſceribus ſuis innouet,vult omnes cordis ſui parteis impuritate refertas agnouiſſe, & ſpiritum obliqua prauitate contortum, munditiem autem quam flagitat, Dei creaturam vocando, vniuerſam, illi acceptam retuliſſe.

Hoc ſignificari affirmat ſabbato,quod vt quam religioſiſſime obſeruemus,tam ſæuere a nobis exigit dñs,vt nihil ſęuerius: quieſcendo videlicet ab operibus noſtris,& Dei operibus iuſtum locum cedendo.

Hoc denicq́ affirmari a Chriſto,dicente, Ego ſum vitis, vos palmites,pater meus agricola eſt.Sicut palmes non poteſt fructum ferre a ſeipſo,niſi manſerit in vite,ſic nec vos niſi in me manſeritis.Quia ſine me nihil poteſtis facere. Si, inquit, non aliter per nos fructificamus,quam reuulſus a terra palmes et humore priuatus germinat,non eſt amplius quærendum: quæ naturę noſtrę ad bonum aptitudo ſit,neq́ eſt ambigua iſta concluſio.Sine me nihil poteſtis facere, non dicit nos infirmiores eſſe, quam qui nobis ſufficiamus: ſed nos ad nihilum redigendo,

omnem:vel exiguæ facultatulæ opinionem excludit,ſi in Chriſto inſiti fructificamus inſtar vitis,quæ tum a terræ humore, tum a rore cœleſti,tum a ſolis fomento vegetationis energiam ducit,conſequens putat nihil nobis reſtare in bono opere, ſi domino illibatum ſeruauerimus quod ſuum eſt.Proinde & Apoſtolum totam illi vult ſummam tranſcribere,cum dicit,operari ipſum in nobis, & velle, & perficere, prior ſiquidem pars operis boni, voluntas eſt:altera: validus in exequendo conatus,vtriuſque author cum Deus ſit,illi ſurripere nos vult, ſi quid ad alterutrum nobis tribuerimus,neque enim opem infirmæ voluntati Deum ferre:ſed ipſam voluntatem affirmat efficere.Quēadmodum & in eluctandis pugnæ quæ nobis aſſidua cum carne noſtra eſt, difficultatibus: conatus conſtantiam ad effectum vſq; miniſtrari,& vſque ad finem perſeuerantiam: vt plane conſtet quod alibi docet,vnicū eſſe Deum qui efficit omnia in omnibus.

Chryſoſto. ſuggillat.

Non recte ergo a Chryſoſtomo ſcriptum affirmat,nec gratiam ſine voluntate,nec voluntatem ſine gratia quicquam operari poſſe.Similiter & illud ab eodem toties repetitum: repudiari oportere,Quem trahit,volentem trahit, neque enim offerre nobis illum bonæ voluntatis gratiam: ſi eam acceptemus:ſed ipſum: velle, in nobis efficere, hoc eſt, ſuo ſpiritu cor noſtrum dirigere,flectere, moderari, & in eo tanquam in poſſeſſione ſua regnare.

Non admittit coniugationem gratiæ & liberi arbitrij, ſed vnū Deum efficaciter in nobis ſine nobis bonum velle affirmat.

Nec ſecus accipi poſſe, Chriſti ſententiam,Omnis qui audiuit a patre meo,venit ad me,quam vt efficacem a ſeipſa Dei gratiam doceat, Qua gratia,non quoslibet promiſcue dignetur dominus, vt vulgo iactatur,eam nemini negari, facienti quod eſt in ſe, ſed hanc eſſe electorum prærogatiuam,vt per ſpiritum Dei regenerati, ipſius ductu agantur & ſtabiliantur.

Gratiā dei, electorum tantū prærogatiuam eſſe,nec dari omni faciēti quod in ſe eſt.

Docendos equidem homines expoſitam ſine exceptione omnibus Dei gratiam:eandem quærentibus.Sed cum ij demum quærere incipiant, quibus domini gratia aſpirauit, quam:vt dictum eſt, electorum eſſe vult prærogatiuam, nec hanc quidem portiunculam de eius laude diſcerpendam fuiſſe.De perſeuerātiæ quoq; gratia,quem errorem peſſimum inualuiſſe vult,eam diſpenſari pro hominum merito,prout ſe quiſque primæ gratiæ non ingratum præbuerit, hinc pendentem quod putabat in manu noſtra eſſe, reſpuere vel accipere oblatam Dei gratiam,hac ipſa opinione nunc exploſa per ſe corruere.

De perſeuerantię gratia.

Quanquam non ſimpliciter hic errari velit. Nam præterquam quod noſtram erga primam gratiam gratitudinem,legitimumque vſum poſterioribus remunerari docent, etiam addere, iam non ſolum gratiam in nobis operari,ſed nobis cooperari.

Solā gratiā in nobis operari, non cooperari.

Ipſe vero de vtroq; ſic definit ac ſtatuit, Deum ſua tantum in nobis opera: quæ grata acceptaque habet, nouis gratiæ dotibus proſe-

qui,

qui,& ſeruos ſuos magis indies locupletare. Quo pertinere vult eas ſententias, Habenti dabitur. Item: Euge, ſerue bone & fidelis, quia in paucis fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: Cauendum enim hic vult diligenter, ne remunerari dicatur poſterioribus gratijs, legitimus vſus primæ gratiæ, ex hoc enim conſequi, humanam induſtriam, efficacem reddere Dei gratiam: deſinere proinde haberi gratuitam. Et ne ætatis noſtræ Pelagiani, hoc eſt, Sorbonici, Sophiſtæ (ita ipſe loquitur) totam vetuſtatem ipſi aduerſam pro ſuo more criminentur, hæc confirmare conatur pleriſque Auguſtini verbis, tametſi contra clariſſimã eiuſdem ſententiam, Quam cum poſt, ſuo loco clariſſime demonſtraturi ſumus, vna eademq; opera euidens faciemus, quæ hic citat, contra eius certiſſimam citari ſententiam: proinde breuitati conſulentes, ea hic inſerere non putauimus operæprecium: præſertim: cum non vnius Auguſtini, ſed (quod ipſe a Sorbonicis Sophiſtis audire non abre metuit,) omnium ab initio ſanctorum patrum, & totius catholicæ eccleſiæ nobis conſentientem demonſtrabimus fidem: & ſententiam.

Non remunerari poſterioribus gratijs, legitimũ vſum primę gratiæ.

Pergens itaque ille de effectu, quem multiplicem habet, diuinæ in nos gratiæ, (cuius eam ob rem multiplicem quoque appellationem deſignat, nunc enim velut manumiſſionem quandam: qua a peccati ſeruitute liberamur: nunc reſtaurationem: aut in integrum reſtitutionem: qua depoſito veteris hominis ingenio, ad imaginem Dei inſtauramur: nunc regenerationem, qua in nouos homines renaſcimur: aut etiam reſurrectionem, qua nobis emortui, alij, Dei virtute excitamur: ipſam appellari.) Hoc de eadem non male animaduertendum admonet, nunquam per eandem ita hic nos liberari, quin peccati iugo pars noſtri obnoxia maneat: nunquam ita reſtaurari: quin multæ terreni hominis lineæ ſemper appareant: nunquã ita renaſci aut ſuſcitari, quin de vetuſtate aliquid retineamus. Circunferre enim nos ſemper aliquas noſtrę carnis reliquias quandiu corporis huius carcere circundamur.

De multiplici effectu diuinæ in nos gratiæ.

Fidelem itaq; animam, a regeneratione in duas partes diuiſam imaginatur, quibus perpetuum inter ſe ſit diſſidium: vna qua a ſpiritu Dei poſſidetur & regitur, ad immortalitatis amorem ſtudiumq; euehi: & in iuſtitiam, puritatem: ſanctitatemq; totam intentam eſſe: coeleſtis regni beatitudinem meditari: & ad Dei ſocietatem aſpirare. Altera vero parte, qua naturalem adhuc affectum retinet, in terræ corruptione volutari, prauis cupiditatibis immerſam, quid pulchrum ſit & beatum non videre: In peccati luto defixam, Deum iuſtitiamque eius auerſari: Inde conflictum in nobis naſci, palæſtramque duriſſimã: quę pium hominem per totam vitam non leuiter exerceat, vt dum ſpiritu ſurſum erigitur, a carne deorſum retrahať: dum ſpiritu ad immortalitatem feſtinat, carne ad mortalitatem deprimatur: dum ſpiritu iuſtitiam cogitat, carne ſolicitetur ad iniquitatem: a Deo auertatur & ad

Fidelem animã a regeneratiõe vt diuiſam in duas partes imaginetur.

mundi alliceatur illecebras:ſed diſpari conditione:ſpiritu nempe præualente. Cuius opus etſi nõ diſijciat,euertat effectumq; extinguat, ſuis tamen obſtaculis remoretur,dum conatur abrũpere:atq; impedimentis retardet,dum a curſu auertere vult: ardorem imminuat, dum molitur extinguere. Hoc nempe ſignificari a Paulo, cum dicit,nos non ſecundum carnem ambulare, ſed ſecundum ſpiritum, ſi tamen, inquit, filij Dei ſumus, ſuperiores videlicet in prædicto certamine partes penes Dei ſpiritum ſtare.

Atque hic quantum ſit diſcriminis, inter animalem hominem, & regeneratum: ponit ob oculos. Illum ſiquidem etſi pungatur ac lancinetur ſua conſcientia, ne ſolido torpore in vitijs ſuis conſeneſcat,illis tamen toto cordis deſyderio, delectari: ſibi in illis placere: illis libenter obſequi, nec quicquam, in illis niſi pœnam horrere, quam imminere cernit. Hunc vero,præcipua voluntatis parte legi iuſtitiæ adhærere: odiſſe atque execrari peccatum: quod per imbecillitatem committit: ſibijpſi diſplicere: conſenſione, alio potius ferri: dulcedine legis Dei magis oblectari,quam voluptatum blanditijs: nec vnquam: ſcienter peccare, niſi repugnante non modo conſcientiæ teſtimonio, ſed etiam cordis affectu.

Et hactenus ſatis demonſtratum vult, hominem peccati iugo ita captiuum teneri, ne ad bonum aut voto aſpirare, aut ſuapte natura contendere valeat. Et quamuis neceſſario peccet, nihilo tamen minus voluntarie peccare: imperio ſiquidem ſathanę ſubditum (ad quem iuſto,inquit,iudicio eos ableget,quos ſpiritus ſui regimine non dignatur dominus) illi ſeſe ad omnem ductum neceſſario obſequentẽ præbere.

In rebus in differẽtib. quã nobis libertatem concedat. In rebus vero indifferentibus, & actionibus, quæ nec iuſtæ per ſe, nec vitioſæ ſunt, & ad corpoream magis quam ad ſpiritualem vitam ſpectant, eatenus arbitrium liberum concedit homini (vt paucis eius ſententiam explicem) vt etiam huc ſe protendere diuinæ prouidentiæ vim affirmet: non modo vt rerum euentus ſuccedant, quemadmodum expedire proſpexerit, ſed vt voluntates quoque hominum eodem tendant. Rerum externarum adminiſtrationem,ſub humano arbitrio ſitam eſſe, communi comprobari ſenſu hominum. At domini quoties vult,ſuas quoque in ijs partes eſſe, atque animos hominum quo vult mouere, multis confirmari ſcripturæ teſtimonijs, dum Aegyptiorum voluntates Iſraelitis conciliauit, vt precioſiſſima quæque vaſa illis commodato darent, ex Aegypto proficiſcentibus: dum animum Abſalonis auertit,ab amplexando conſilio Achitopel: dum Roboam: vt iuuenili conſilio perſuaderetur. Ex his enim, & pleriſq; alijs conſtare, Deum: quoties viam facere vult ſuæ prouidentiæ, etiam in rebus externis, hominum voluntates flectere, & verſare: nec ita eſſe liberam illorũ electionem, quin eius libertati Dei dominetur arbitriũ.

Et

Et hactenus, quæ ad demonſtrandam humani arbitrij ſeruitutem, ex ſententia noui, quod impugnamus, Euangelij, diligenter & prolixe Caluinus memorato loco congeſſit, ita perſtrinximus in luculentum compendium, vt argumentorum eius euidentiæ quicquam, nos detraxiſſe, nec idem ille ipſe vt puto. audebit dicere. Nã cętera quæ dictis adiungit, ad ſolutionem rationum pertinent, quæ ſuæ ſententiæ aduerſari intelligit, Quibus poſt ſuus incidet locus, commodior, ſi quando eiſdem aduerſus eundem rationibus vtendum nobis videbitur. Et quanquam Lutherus atque alij eiuſdem Euangelij præcones, & antiſtites, etiam alijs quibuſdam argumentis vtantur ad comprobandam prædictam ſententiam: quia tamen ea dilutiora hic recte intellexit, maiori vi fulta ac probabilitate veſtita: quæ audiſti, in locum eorundem ſupponere conatus eſt. Sed cum perſuadeant ſibi miſeri, quæ in his faciunt ſe neceſſario facere, (Hæc enim ad Dei regnum, non ad res indifferentes, terrenas externaſque pertinent, in quibus nullas eſſe noſtri arbitrij partes contendunt: ſed in nobis, & per nos efficaciter operari diuinam gratiam: aut ante eam: ſathanam, ſuis præſtigijs faſcinatos captiuoſque ducere, ſed ſibi obſequentes neceſſario, quo ipſe vult,) Cum, inquam, hæc ſibi perſuadeant, ſi tamen ſibi certo perſuadent ac ſerio, exigeret rationis conſequentia, vt his laboribus parcerent: quorum fructus nullus ab ipſis rationabiliter ſperari poterat, ſi ad conſequentiam attendant. Nam vera fides vniuerſa: totaque a Deo eſt, nec perſuaderi poteſt hominibus. Cum ante gratiam quæ per fidem & cum fide infunditur, quicquid fit a ſeruo arbitrio, neceſſario malum ſit, & a gratia Dei, (ad quam nullam nobis præparandi nos facultatem relinquunt) & vera fide, longius abducat, non ad eam adducat. Quorſum igitur tam multa in ventum verba fruſtra iaciunt? Sed neceſſario nobis reſpondebunt, etiam neceſſario ſe hæc agere, nec iudicij rationis, nec liberæ electionis ſibi in eo vllas partes eſſe, nec poſſe aliter quam faciunt facere, ſiue bene ſiue male faciant.

Quam abſurde faciant aduerſarij.

FINIS PRIMI LIBRI.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber II.

Aſſertionis illius quam libro priore explicauimus abſurditatem & quantum cum Dei bonitate pugnet, quæ deniq́ quantaque, blaſphemiarum portenta includat explicare.

Caput I.

TAMETSI MIRABILEM ENERGIAM noui huius Euangelij ſæpe & mirati ſumus, & tibi lector alibi demonſtrauerimus, nempe vt ſectatores profeſſoresq́ ſuos repente offundat ſpiritu erroris, ac vertiginis: & cæcitate percutiat, vt videntes non videant, nec intelligant quid intelligant. In vno tamen hoc dogmate quod hic nunc excutiendum deſumpſimus, eam ipſam tam eſt euidenter cernere, vt mihi mirandum ſtupendumq́ videatur, ſi quis eam non videat: Adeo eſt euidenter quanto impudenter falſum: adeo damnatum concordi mortalium omnium, totius ab initio orbis ſenſu & conſenſu: adeo in Deum blaſphemum. Nam ſi eſt, quod tam fortiter, quam impudenter affirmat noui huius author Euangelij, ſi vel cogitare quicquam, aut boni, aut mali, in nullius poteſtate eſt, ſed vniuerſa: abſoluta prorſus neceſſitate eueniant, ſi nec bonas nec malas vias noſtras facere poſſumus, ſed & mala opera impijs operatur Deus, ſi ſicut ille vult, ita viuimus, facimus, patimur omnes & omnia: quis locus relinquitur vlli conſilio, vlli deliberationi, induſtriæ, prudentiæ ac prouidentiæ in rebus mortalium? Quæ enim neceſſe eſt fieri, vt fiant neceſſe eſt: nec vlla noſtra cogitatione, ſolicitudine, prouidentia, induſtria, caueri, mutari, aut aliter poſſunt fieri. Quid non dormit, non ſtertit agricola in æſtate? quid ſua cuiuſq́ tempora diligenter obſeruat ac diſpenſat? q̃d eſt de meſſe ſolicitus: de arbuſtis, de grege, de pecoribus, ſi cũcta abſoluta neceſſitate eueniunt? Quid impiger extremos currit mercator ad Indos? quid ſolum vertit? quid mare ſolicitat? quid merces diligenter commutat? quid eſt ſolicitus & cautus, quo bene collocet nomina? quid vbique fraudem metuit? impoſturam cauet? an non æque dormiente illo, negligente, ac ſecuro omnium euenient omnia quæ prorſus euenire neceſſe eſt? Quid domi ſuæ curat prudens ac frugi paterfamilias, inprimis, vt diligenter, recte, & ad virtutem educentur atq́ inſtituantur liberi? Quid eoſdem peccantes verberibus & virgis

Quã multa euidenter falſa propoſita includat ſententia.

Vt aduerſetur communi ſenſui omniũ hominum ab initio.

virgis corripit, flagellat, erudit? Quid famulos, & ancillas? Quid denique, familiam vniuerſam œconomica diſciplina continere ſtudet in officio? Quid ægrotus medicum, luxatus chyrurgum accerſit? quid morbis & vulneribus remedia adhibet? Nauigaturus nauem cur expeditam, & validam eligit, & gubernatorem quærit peritum rei nauticæ? cum æque fiet quod neceſſe eſt fieri, quicquid tu feceris aut non feceris. Quid ſe miſeri fruſtra cruciant homines? quid currunt, quid ſunt ſoliciti: ſi vniuerſa abſoluta prorſus neceſſitate eueniunt? Quid geſturus bellum prius æſtimat vires & ſuas, & inimici, omnia conſilia eius conatur explorata habere, omnes conatus intelligere: deinde magna, ac diligentiſſima cura ſibi prouidet, ne illi re quauis ſit inferior, in producendo exercitu: committendo prælio, omnes oportunitates captat, & obſeruat, vt ſecunda & fauentia habeat omnia: ſi ineuitabili prorſus neceſſitate vniuerſa eueniunt? Quid magis fratribus opus eſt in conuentibus hominum: in ciuitatibus, in rebuſpu. regnis, Imperijs? ad quid gladio armata poteſtas: niſi vt conſeruetur vita ſocialis, & politica inter homines, vtcꝫ tuta ſit inter improbos innocētia? Ad terrorem, inquit ille, malorum, laudem vero bonorum: & quid hi laude præ illis digni ſunt, ſi vtricꝫ patiantur tantum, quę in ipſis operatur Deus: nihil vero, eorum ipſorum ſit poteſtatis atcꝫ arbitrij: non inquam magis, quã ſerræ quod perite aut inepte trahatur ab artifice? Si omnia abſoluta neceſſitate eueniunt, quid fruſtra molitur poteſtas gladio? quid cruces, & ſupplicia minitatur nocentibus? Quid prohibere quærit, quod prorſus vitari et prohiberi nõ poteſt? Quid immeritos, ſine cauſa et vtilitate flagellat, vrit, ſecat, et ſupplicijs afficit, pro eo quod in ipſis, ſine ipſis, operatur Deus? Nunquid gladio quo in necem innocentiũ eſt vſus ſicarius, an ipſi potius ſicario quis indignatur, iraſcitur, et parat ſupplicia? Ita vero, ſi huius Euãgelij authori et Euangeliſtę Luthero credimus, ſe habent ſcelerati ad ea quæ patrant crimina, vt gladius quo quis iugulat proximũ: cum & mala, vt dicit, opera in impijs operetur Deus, et ita viuamus, faciamus, patiamurcꝫ omnes et omnia: ſicut ille vult. Quorſum valent leges diuinæ, humanę, publicę, priuatę, quorſum cohortationes ad capeſcēdam virtutem: dehortationes a vitijs, his pœnarum comminationes, illis propoſita præmia, quorſum denicꝫ diſciplinæ vniuerſę, ſi in nullius poteſtate eſt quicquam cogitare, aut mali aut boni: ſed Deus operatur in nobis, & per nos, omnia: ſicut ipſe vult? aut ergo neceſſe eſt falſum eſſe & fuiſſe, mortalium ab initio omnium totius orbis ſenſum et conſenſum: qui in rebus humanis, prudentiæ, induſtriæ, ac diligentiæ haud poſtremum locum tribuit: diſciplinam, leges, propoſita virtutibus præmia: criminibus obiurgationes, pœnas et ſupplicia, valere, vt ab his abſterreantur, ad illa vero

alliceantur, & aſſueſcant homines, agnoſcit, confitetur, & prædicat & iuſte puniri præuaricatores legum quas obſeruare poterant: Aut neceſſe eſt omni falſitate falſius, omni impudentia impudentius eſſe hoc ipſum dogma noui huius Euangeliſtæ. Quo vno recepto, nihil video quod poſſet humanæ vitæ cogitari peſtilentius: & ad nos tranſformandos in bruta pecora efficacius & compendioſius. Nam omnem inprimis politiam: omnem ordinem: omnem bene agendi curam: omnem ſolicitudinem: prouidentiam: induſtriam, ſtrenuitatem: proſcriberet ex vita hominum. Et pro eiſdem diſſolutum rerum omnium neglectum induceret, & ſecuram licentiam pecuali ritu ruendi quocunque ſe ferret impetus. Neceſſe eſt enim vt fiat, quod neceſſe eſt fieri. Quis ergo fruſtra conaretur contra? Quis quacunque de re vllam curam aut ſolicitudinem haberet, quam nihil ad eandem in vnam partem aut alteram, momenti habere poſſe, indubitatum eſt, ſi cuncta ineuitabili prorſus neceſſitate proueniunt? Quin & omnem ſemel religionem (quo tendere mihi videtur vniuerſum hoc iſtorum Euangelium tametſi diſſimulent) ex mentibus hominum tolleret? Quis enim de re quacunque fatali illa neceſſitatis lege immutabiliter conſtituta in vnam partem, aut alteram: fruſtra vellet ſupplicare DEO inexorabili? Mihi ſane mira, imo ſtupenda videtur vis noui huius Euangelij, vt ſibi auſcultantes, mox ſui obliuiſci faciat, & ex hominibus transformet in neſcio quæ monſtra: & prodigia: An non tibi videntur eiuſmodi. Qui aduerſus naturalem: eundemque euidentem ſenſum, & conſenſum mortalium ab initio omnium (quē falſum eſſe eſt impoſſibile) quicquid ipſis hæretico furore ebrijs, mente alienatis ac cæcis, vel per ſomnium videtur, audent ſtatuere? audent illi, vnius Lutheri ſenſum: imo amentiam præferre: ad illius vnius edictum, proſcriptam velle ab hominibus vitam hominum, & pro ea introductam pecuinam quandam, ac feralem ſecuritatem: & licentiam? An cuiquam obſcurum eſt, quam author ille huius Euangelij, & quotquot vna ſecum peſtilentiſſimum atque adſurdiſſimum hoc dogma: adhuc editis libris aſſerunt, in vniuerſum humanum genus ſint iniurij? Quam eidem peſtem conentur inducere? Sed ferri poſſit ſi in homines tantum ſint iniurij, portenta hominum: at in Deum execrandas horum atque impias blaſphemias quis feret? Quem ex Opt. Maximo, & cuius, ſi Moyſi credimus, ſunt valde bona vniuerſa opera: authorem malorum omnium: ex iuſtiſſimo, pijſſimo, miſericordiſſimo, iniuſtum atque adeo crudelem faciunt, & ſtultam ac ridiculam infinitam illam ſapientiam.

Vt nihil cogitari poſſit humanę vitæ peſtilentius.

Vt oēm religionē tolleret ex mētibus hominum.

Mira energia noui huius euangelij.

Quas in deum blaſphemias dicta includat ſententia.

Prælusit huic impietati iam olim ſathanas in ſuis Apoſtolis, Priſcilliano, Manichæo, Martione, Cerdone, atque adeo in illo Apo-

Primi authores huius ſententiæ.

ſtolica

ſtolica diſtrictione percuſſo, Simone Mago, a quo vetus ille turpitudinum gurges, vſque in nouiſſimum hunc Lutherum: occulta ſucceſſione manauit: qui omnes, authorem malorum, id eſt, ſcelerum: impietatum: flagitiorumque noſtrorum: auſi ſunt DEVM creatorem dicere: vt quem aſſerunt talem hominibus condidiſſe naturam: quæ proprio quodam motu: & neceſſariæ cuiuſdam voluntatis impulſu nihil aliud velit aut poſſit quam peccare: quorum hic impietatem reſuſcitans, bis tamen præ illis eſt abſurdus atque impius. Nam cum ab eo mens & cogitatio humana refugiat, vt optimi, atque adeo infinite bonum per naturam: malorum, hoc eſt, impietatum: flagitiorumque noſtrorum authorem intelligat, & vellent nihilominus noſtra peccata: & ſcelera: neceſſitati cuidam: & ſuperiori cauſæ aſcribere, duo finxerunt principia contraria: vnum: Deum bonum, bonorum: alium contra malum, malorum: authorem omnium. At hic (quod humana mens plane refugit) vni Deo Opt. Max. noſtra flagitia & ſcelera aſcribit. In quibus nos, velut ſerræ ſimus: tracti atq; acti illius impetu quo ipſe voluit. Et vbi Manichæus, poſt illos ſuos præceptores, duas in homine naturas facit alteram bonam: malam alteram, Vt hanc affirmans non poſſe non peccare, ita illam non poſſe male agere, hic liberi arbitrij naturam: imo vniuerſam hominis naturam, cũ prudentia, carnis eandem faciens, eam aſſerit neceſſario et ſemper, etiam in viris ſanctiſſimis, ſpiritui Dei reluctari, & velut feram quandam indomitam nunquam non repugnare gratiæ Dei, ſemperque peccare mortaliter, etiam ſub ipſa gratia: etiam cum optime operari conatur. Nihilominus vniuerſa quæ ab ea fiunt ineuitabili prorſus neceſſitate fieri. Ita enim dicto aſſertionum libello, Ex ſupradictis, inquit, abunde cognouimus, etiam iuſtos magno certamine contra carnem ſuam laborare, vt faciant bonum, reſiſtitque eis liberum arbitrium, & prudentia carnis, ſummis viribus concupiſcens aduerſus ſpiritum, odiens ea quæ ſunt ſpiritus, & legis Dei, & quomodo poſſibile eſt, vt ſine ſpiritu: ex natura ſua poſſit pro ſuo ſpiritu concupiſcere: ſeu ad ſpiritum ſe præparare, faciendo quod in ſe eſt? In gratia dum fuerit, natura talis eſt, vt contra gratiam indomitum pugnet, & extra gratiam talis eſſe poterit natura eius, vt iuuet ſpiritum? Quid poteſt, inquit, fingi inſanius? Recte ſane, ſi de hoc ipſo ſuo figmento id intelligeret, & hic nos inſanos & miſerrimos Pelagianos facit. Si enim liberum arbitrium, inquit, in gratia peccat, & inſanit aduerſus gratiam, certe contra omnem ſenſum eſt, vt extra gratiam probum ſit, et ad abſentem ſe paret quam pręſentem perſequitur. Agnoſcis opinor Manichęi, cæterorumq; quos enumerauimus diſcipulum, ſed in quo multiplex reuixit illorũ ſpiritus. Neq; enim in diſcipulorum grege hic latere ſuſtinet, ſed omnium ante ſe hęreticorũ impietatem, ita ſuſcitat, vt ter

impiam

Figmentũ Simonis & ſuorum.

Vt Lutherus prę illis fit bis impius.

Duæ naturæ contrariæ Manichæi. Natura vnica Lutheri & ſuorũ, mala neceſſario.

Collatio ſententiæ Lutheri, et Manichęi.

impiam faciat. Nam quæ hic aſſerit multis paraſangis, dogmatis illorum abſurditatem impietatemque antecedunt. Illi & boni & mali participem humanam naturam faciunt. Hic, omnis boni expertem, ſed totam vniuerſamque ſua natura malam: Quod ex verbis illis Apoſtoli aſtruit. Eramus & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri. Mitius, inquit, erat ſi dixiſſet. Eramus filij iræ, ſed addens natura: certe totum quod ſumus, & facimus ex natura, non niſi meritum iræ intelligi voluit. Illi, ipſum per eſſentiam bonum non proſcribunt ex natura vniuerſi, tametſi ipſum malum eidem contrarium e regione ſtatuant. Hic nihil admittit ſyncere bonum: qui ipſum Deum, quem tamen vnicum confitetur, malorum omnium facit authorē fontem & ſcaturiginem: Quæ ſi vere ſunt quod dicuntur & ſunt, nempe mala: peccata, flagitia, non ipſa: quibus abſque vlla ſui poteſtate, & arbitrij libertate patrantur, inſtrumenta: ſed authorem, & patratorem, denominant. Non enim crux ipſa mala eſt, in quam: vitæ authorem, & ſalutis reparatorem, ſuſtulerunt Iudæi: non claui: qui bus pedes & manus confixerunt: non ſpinea corona, capiti impoſita: non lancea, qua latus eius apertum in redemptionem noſtram aquam effudit, & ſanguinem: non cætera paſſionis eiuſdem inſtrumenta: ſed mali: perfidi, atque imprj fuere Iudæi, qui execrabili odio furentes in dominum gloriæ, vitæ & ſalutis authorem perſecuti ſunt, & ſua mala: ſed libera voluntate, affecerunt crucis ſupplicio.

Vt Deum, malū faciat.

Quare ſi eſt quod blaſphemant iſti, in nullius manu eſſe, quicquam vel cogitare neque boni, neque mali: ſed quod ad quemque noſtrum attinet, omnia nobis ineuitabili neceſſitate eueniunt, ſi DEVS ipſe etiam flagitia ac ſcelera operatur in impijs, ſi non: ſicut nos, ſed ſicut ille vult, ita viuimus, facimus, patimur, omnes & omnia: neceſſe eſt vt malum Deum: non malos hæc homines faciant. Quo quid cogitari poteſt blaſphemius? Abſit, inquit ille, hoc a nobis, atque ab omnibus Chriſtianis, vt cauſam cuiuslibet peccati, diuinæ æquitati deputare audeat. Cum nec malitiæ nec impietatis cuiuſquam cauſa eſſe poſſit, niſi in eo qui impius fuerit. Nihil huc pertinet cæterorum huius Euangelij profeſſorum commentum: quo peccandi in nobis neceſſitatem, ad ſeruitutem voluntatis, & captiuitatem ſub iugo peccati conantur reducere. Quod quale ſit poſt excutiemus diligentius. Quando & hic & cæteri eiuſdem Euangelij plerique vniuerſa & bona, & mala in vnam: quomodo audiſti, diuinam voluntatem referunt. Illum eſſe qui etiam flagitia ac ſcelera operatur in impijs. Non ſicut nos volumus, ſed ſicut ille vult, ita nos viuere, facere, pati omnes & omnia. Iam vide vt iuſtiſſimum pijſſimum, & miſericordiſſimum Deum, non ſolum iniuſtum, ſed etiam crudelem: atq; adeo furioſum, et inſanum faciant. Quæ enim eſt iuſtitia, imo quę non immanis crudeli-

Vt deū, nō ſolum iniuſtum, ſed etiam crudelem, & penefatuū faciant.

crudelitas, ſi æterno ſupplicio in nobis puniat, quod ipſe in nobis ſine nobis operatus eſt: & quod ineuitabili neceſſitate patimur magis quã facimus, aut velut ſerræ quædam: ab illo acti, agimus? Si quis herus ſeruũ: quem manicis pedicisqꝫ conſtrictũ, & inſuper carcere clauſum tenet, plagis afficiat quod vocanti nõ accurrat, non miniſtret, nõ obeat, aut domi aut foris imperata officia, quis non illum inſanire diceret, & ſæuire in miſerum ſeruum: non ratione, ſed efferatæ mentis agi libidine? quod ſi idem: ſerui alligati & ſui impotentis pugnum in os aſtantis impingat, & propter hoc ipſum, eundem illum in crucem ſuſtolli iubeat, quis illius iniuſtiſſimam, immanem: & pluſquam ferinam non execraretur crudelitatem? Quis non illum potius dignum omni ſupplicio iudicaret? Quis non æquus iudex, ſeruo eiuſmodi liberato omni culpa: in herum diſtringeret grauioris damnationis ſententiam? E iuſmodi iniuſtitiæ, crudelitatis, & extremæ inſaniæ prodigium ille nobis Deum facit, & hæc audire quis ſuſtinet? Nota Simile.

Quin & hoc ille mihi reſpondeat. Quid ita deſipuit æterna: atqꝫ infinita illa Dei ſapientia, vt hominibus leges præſcriberet, mandata daret, præmijs ad eorundem obſeruationem alliceret, trãſgreſſoribus poenas intentaret, & ſupplicia? Quid tot obiurgationes? tot exhortationes, per ſcripturas, per ſeruos ſuos prophetas, per ſuumipſius filium, atque eius Apoſtolos? Quid tantam fruſtra & ridicule luſit operam: ſi nec cogitare quicquam aut boni aut mali eſt in poteſtate hominis? ſi nobis abſoluta atqꝫ ineuitabili neceſſitate eueniunt omnia: ſi etiam mala, ſcelera, atqꝫ impietates operatur Deus in impijs? ſi non ſicut nos volumus, ſed ſicut ille vult, ita viuimus, facimus, patimur omnes, & omnia? An non ille tibi ridiculus & parum ſanæ mentis videretur, ſi quis lapidibus, lignis, & arboribus (quod de Orpheo ſuo fabulantur Poetæ) ſurdis caneret fabulam? Væ, inquit ille, qui dicit ligno expergiſcere, & ſurge lapidi iacenti: ſed audiunt inquies & intelligunt homines. Quid hoc refert? quando æque nihil omnium quæ ipſis præcipiuntur, aut prohibentur, eſt in poteſtate eorum, quam lapidi, aut ligno ſi idem præcipias? imo quando non ipſi ſunt qui faciunt, quæ eis præcipiuntur aut prohibentur, ſed idem ille ipſe qui præcipit aut prohibet? ita vt ſibi ipſi magis præcipere debuiſſet, in illis vt faceret quæ vellet fieri, prohiberet ne faceret, quæ nollet fieri. Quando non ſicut nos, ſed ſicut ille vult, ita viuimus, facimus, patimur, omnes & omnia? Num tibi ſtultus videretur, ſi quis ſeruum volare iuberet per aera? bis ſtultus, atque adeo inſanus, ſi indignaretur, atque etiam flagella quod non paruiſſet expediret? Si compedibus vinctis, & carcere clauſis mandaret hac illacque diſcurrere, & propoſitis præmijs ad hoc ipſum illos inuitaret, inſuper & mortis ſupplicia minitaretur non obſequentibus? An hic aliud facere tibi videre-

A ſimili. Cauilli remotio. A ſimili.

videretur, quam quod miſerorum inſultaret impotentiæ, & ſuæ illis duplicaret dolorem miſeriæ? Quid ſi inſuper etiam ſerio pararet, aut inferret ſupplicia ſibi non obſequentibus, an hic prodigioſam ſtultitiam etiam execranda, feralique crudelitate, & ſæuitia non cumulare videretur? Et nunquid non eiuſmodi erga nos Deum facitis: ſi ineuitabili neceſſitate vniuerſa nobis proueniunt? ſi nemo poteſt aliter, quam facit facere, non magis quam ego iuſſus volare per aera: quam vincti compedibus, & carcere clauſi hac illacque diſcurrere? Imo ſi nemo facit, niſi quod Deus in ipſo facit, ſeu bonum, ſeu malum id ſit, neceſſe eſt vt ſtultus ſit Deus, qui aliter præcipit facere, crudelis atque adeo inſanus, qui non obſequentibus ſibi infert ſupplicia.

Nihil illic ſuffragatur cæterorum commentum: quo hanc noſtrã impotentiam, culpæ noſtræ deputant: quando hic, vniuerſa ad vnam Dei voluntatem referuntur. Et hæc quiſquam qui Chriſtiano nomine cenſeri vult: cui vel ſcintillula micat rationis rectæ, ac diuini illius luminis, de Deo Opt. Max. pijſſimo, miſericordiſſimo, ſapientiſſimo, audire ſuſtinet? Ad hæc blaſphemiarum portenta non commouebitur Chriſtiani hominis animus? Quenquam non pudebit illi dediſſe nomen: deſerta catholica Chriſti eccleſia, qui iſtiuſmodi euomere non erubeſcit, nec erubuit? Hunc ſequutum quærere Chriſtum cõtra Chriſtum in deſerto, in angulis & penetralibus, derelicto illo corpore ad quod congregantur illæ aquilæ, & in quo ſolo manet Chriſtus, noſtra ſalus, vita, & veritas? Habes tu ter execrande potius, quam miſerande Luthere (vt tuis tibi aduerſus Pontificem verbis occinã) quod his contra oggannias?

Qua impudentia ſcripturas proferant. Sed quid facias, inquit effrons ille, quando diuina ſcriptura ſic diffinit. Cui credendum eſt, etiam ſi totus mundus, & omnes angeli vel perirent vel docerent aliter. Perinde quaſi ante illum ſcripturas legiſſet nemo, aut primus ipſe recte eas intellexiſſet & intelligeret. Alterũ enim horum, vt ſibi perſuadeat, neceſſe eſt. Vtrumque vero, æque eſt, non dicam temerarium, impietatis & arrogantiæ pluſquam diabolicæ, ſed ſtultitiæ, amentiæ, atque euidentis inſaniæ pleniſſimum.

Ego vero ſi quæ ſcripturæ definirent aut docerent iſtiuſmodi, non a ſpiritu ſancto, ſed a veſtro illo paracleto, omnis blaſphemiæ atque impietatis principe Lucifero, dictatas nihil dubitarem dicere: ſed abſit a diuinis ſcripturis, eiuſmodi in Deum blaſphemia: quas, vt diuino ſpiritu dictatas ab initio legit, ſuſcepit, ac venerata eſt catholica Chriſti eccleſia. Legerunt orthodoxi omnes, ſanctiſſimi & doctiſſimi patres noſtri, ita nemo omnium in illis intellexit abſoluta atque ineuitabili neceſſitate nobis prouenire omnia: nec quenquam poſſe aliter quam facit facere. Nemo Deum impoſſibilia nobis præcepiſſe, aut pro his nos damnare, quæ non libera voluntate, ſed fatali neceſſitate

tate

tate impulſi facimus. Nemo Deum nobis eſſe authorem, fontem, & ſcaturiginem impietatum, & ſcelerum, ac flagitiorum omnium. Imo omnes ex eiſdem ſcripturis hauſerunt ſententiam de Deo piam: & his blaſphemijs plane contrariam. Sed ea tantum hęreticorum a Symone Mago per illos, quos ſupra memorauimus, ad hunc nouiſſimum Lutherum perditiſſima, & occulta ſucceſſio eiuſmodi cōmenta eſt. Hæc orthodoxorum & catholicæ eccleſiæ vox eſt & ſententia, Quiſquis dixerit Deum impoſſibile aliquid nobis præcepiſſe, quiſquis in poteſtate noſtra non eſſe cum Dei parato omnibus adiutorio, iuſtis ſanctiſq; legibus obſequi, anathema ſit. Hæc deniq; eſt et fuit eadem tam diuinitus illuminatorum a Deo, quam mortalium omnium, quibus præter lumen rationis naturalis aliud non luxit, vt nemo pro eo quod neceſſario patitur, aut coactus ineuitabiliter facit, merito culpari, obiurgari, aut caſtigari debeat. Vſqueadeo enim peccatum eſſe voluntarium malum: vt nullo modo peccatum ſit, ſi volūtarium non ſit. Quod ipſum affirmat: nec mentitur, ille Auguſtinus adeo eſſe manifeſtum, vt nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare, inquit, aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntarie committi: voluntarie committi intelligunt, & ille, & omnes, quod libere committitur: ita inquam libere, vt facultatis eius qui committit, ſit non committere, vt hic valeat impium horum commentum, quod poſt excutiemus exactius, de neceſſitate nō pugnante, cum voluntario, quo communem hanc, & omnium animis receptam ſententiam conantur obſcurare, obliterare, inuertere, ſed fruſtra, Clarius enim omnium mentibus inſcripta eſt, quam vt eiuſmodi commentis offuſcari, obliterariq; valeat. Hoc omnino certum eſt, quod prædictorum hæreticorum impietatem: quam Lutherus (vt demonſtratū eſt) reſuſcitare conatus eſt, imo ſuperare contendit, et bis impiam facere, orthodoxi ab initio omnes, velut inſanam & blaſphemam in Deum: in humanum genus iniuriam: vniuerſam quoque religionem: leges inſuper & diuinas & humanas tollentē e medio, & quam vniuerſa ſcriptura redarguit, inſectati ſunt. Sic Tertullianus aduerſus Martionem frequenter. Sic Ireneus aduerſus Valentinum atq; eius farinæ hæreticos obiter perſæpe, LXXI. & ſequen. Cap. Lib. IIII. velut ex inſtituto. Sic Origenes quoties locus admonet, toties inſurgit in eos qui libero arbitrio detrahunt, Lib. autem III. Periarchon, vniuerſam hanc quæſtionem proprie tractat, & doctiſſime explicat: quorum nonnulla paulo poſt ſubijciemus. In enarratione Cap. XIII. Matthæi, hæreticā eorum perſtringens ſententiam, qui duas naturas contrarias, bonā & malam induxerant, vt Manichæus, Martion: & cæteri quos ſupra memorauimus a Simone illo Samarita traxiſſe peſtiferi huius erroris originem, in explicanda ſagenæ miſſæ in mare, quam illic tractat, parabo

Dānata ab orthodoxis patribus, a catholica eccleſia, imo ab ipſo genere humano vniuerſo dicta Lutheri ſentētia.

Tertullianus.

Ireneus.

Origenes.

 la di-

la dicit eidem ſententiæ repugnare ſcripturas vniuerſas: vt quæ omnes declarant liberum arbitrium, dum et accuſant eos qui delinquunt, approbant qui recte faciunt. Dein in præfatione in explanationem Epiſtolæ Pauli ad Romanos cauſas difficultatis eiuſdem explicans, vnam præcipuam hanc adfert, quod in ea: quæſtiones plurimas moueat, & eas præcipue, quibus innitentes hæretici, aſtruere ſolent: quod vniuſcuiuſque geſtorum cauſa: non ad propoſitum, aut liberum arbitrium, ſed ad naturæ diuerſitatem referri debeat. Et ex paucis, inquit, huius epiſtolæ ſermonibus, totius ſcripturæ ſenſum, qui arbitrij libertatem homini conceſſam docet, impugnant, Auguſtinus hanc eſſe de genere per ſe euidentium prædicat, vt mirum ſit ac plane ſtupendum, adeo obcæcatos reperiri quoſdam: qui eidem diſſentiant. Imo, cum palam affirmet, catholicam hanc: quam iſti impugnant, veritatem adeo eſſe manifeſtam: etiam his qui lumine fidei illuminati non ſunt, vt nulla illi doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat, obſcurum non eſt, quo hos loco habeat, quos nec inter doctos nec indoctos numerat, nempe monſtra hominum non homines. Quin vna hac aſſertione, vniuerſam Chriſtianam legem: & diſciplinam omnis religionis neceſſario auferri affirmat, Chryſoſtomus in Matthæum, Homilia LX. Poſtquam non ſcripturis ſed communi ſenſu omnium hominum, noſtri demonſtraſſet libertatem arbitrij, & ea ſola merito culpari poſſe, quæ libere committuntur. Noli ergo, inquit, contra: peruerſas in medium ratiocinationes inferre, nec ſophiſmata, & orationis contextum: telis aranearum viliorem: Ille quoque orthodoxus Hieronymus catholicæ Chriſti eccleſiæ communem ſenſum, & conſenſum exprimens, hos omnes anathema pronunciat, imo quotquot affirmant Deum impoſſibile aliquod nobis præcepiſſe. Cum ille dicat omnia nobis factu impoſſibilia, quæcunque non facimus: deuitatu quoque impoſſibilia, quæcunqꝫ committimus. Omnia ſiquidem abſoluta: atque ineuitabili nobis neceſſitate euenire. Iſti vero, in his quæ ad regnum Dei, & eius iuſtitiam: bona & mala opera pertinent, idem affirment. Breuiter, ne ſim fruſtra prolixior, nemo orthodoxorum patrum omnium, (quod paulo poſt clarius intelliges) hocipſum dogma velut peſtilentiſſimum, in Deum blaſphemum, vniuerſæ Chriſtianæ legi, ac religionis diſciplinæ exitioſum: totiqꝫ diuinæ ſcripturæ contrarium non execratur. Sed de libertate noſtri arbitrij mox diligentius. Ille vero dum dictas in Deum euomit nulli ferendas blaſphemias, dum omnes homines ſaxa & ſtipites facit, videri vult egregie ſe patrocinari gratię Dei, quem ex optimo, miſericordiſſimo, ſapientiſſimo, iniuſtum, crudelem, imo bis ſtultum facit: & orthodoxis omnibus quotquot fuerunt ſanctiſſimis, doctiſſimiſque patribus, breuiter, catholicæ Chriſti eccleſiæ vniuerſæ ſuperbiſſime inſul

Auguſt.

Chryſoſt.

Hierony.

tat, & miſeros nos Pelagianos pronunciat, atque anathematizat, ter anathematizatus ipſe. Atque hactenus quidem dictæ aſſertionis abſurditatem: & quæ quantaque blaſphemiarum portenta includat, ſatis explicauimus.

Fidem, traditionem, definitionemque catholicæ Chriſti eccleſiæ de noſtri libertate arbitrij clariſſime demonſtrare.

Caput II.

Videbitur fortaſſis alicui, ab originali peccato exordiendum nobis hic fuiſſe, quo methodo ageremus in aſſerenda noſtri libertate arbitrij. Quandoquidem in illo, quod audiſtis, vniuerſum ſerui arbitrij fundamentum conſtituunt, & ex illo præclaram hanc ſuam doctrinam deriuant aduerſarij. Sed illorum hoc eſt ingenium, vt quæ in partem vnam, aut alteram per ſe ſunt clariſſima: ea ex obſcuriſſimis ſtatuant, quo ita vel dubia faciant. Nam cum de originali peccato atque eius natura & eſſentia, vna ſit omnium obſcuriſſima quæſtio, de quo vnum hoc certum eſt, omnes reos teneri peccato noſtræ originis, qui Chriſti gratia inde liberati non ſunt. Libertatis vero arbitrij omnium certiſſima: & quæ euidens teſtimonium ex communi hominum ſenſu accepit, hanc ex illo tractarunt principio, per ſe claram, & euidentem, ex obſcuriſſimo: ſed nobis ordo contrarius, vt naturæ, & rationi conſentiens magis placet, ex notioribus ad ignotiora procedere. Quanquam de originali peccato explicata iam ſit à nobis quæſtio & controuerſia, & quam de eo abſurde atque adeo impie illi ſentiant demonſtratum eſt ipſa luce clarius, Vt nihil mirum ſit, ſi ex falſo principio, falſiorem & magis abſurdam concluſionem inferant. Cuius, vt euidentem falſitatem, & abſurdiſſimam abſurditatem demonſtremus, & aſſeramus contrariam illi veritatem orthodoxam & catholicam, nihil opus eſſe vt peccati originalis meminerimus, poſt intelliges. Tametſi nec illius obliuiſcemur vbi res & locus exiget. Proinde ad rem futurum non ignorauit Chriſtus, quod ab initio in Eccleſia eius factum: re ipſa atteſtante cognouimus, nec minus etiam nunc videmus fieri, nempe, vt forent inter nos ſectæ & hæreſes, forent qui profiterentur ſe noſſe Chriſtum, & aberrantes ab ipſo, alijs magiſtri erroris fierent, forent lupi rapaces obtecti velleribus ouium, qui incautos ab ouili Chriſti abducerent, & virus ſuum ſub cœleſtis eloquij velut quodam aromate ac dulcedine a ſe deceptis propinarent, forent qui docerent Chriſtum contra Chriſtum, in deſerto, in angulis, in latibulis ac penetralibus quærere: qualeis perſtringit Apoſtolus dicens. Nam eiuſmodi pſeudoapoſtoli, operarij ſubdoli transfigurant ſeſe in Apoſtolos Chriſti. Nec mirum eſt, inquit. Ipſe

Aduerſariorum ingeniũ, vt per ſeſe clariſſima ex obſcuriſſimis ſtatuant.

enim ſathanas transfigurat ſeſe in angelum lucis. Non ergo magnum eſt ſi miniſtri eius transfigurentur ſicut miniſtri iuſtitiæ. Si capitis ſui callida machinamenta ſectentur, quæ ille ad nocendum efficaciſſima expertus eſt. Neque enim eſt alia via ad fallendum efficacior, quam vbi erroris nefarij ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorum eloquiorum prætendatur authoritas. Quibus armis, ſi dominum maieſtatis, ille, omnis impietatis caput, non dubitauit appetere, quid non miſellis homunculis faciet? Illi, ſi Dei filius eſſet, vt e pinnaculo templi ſe præcipitem daret ſuadere aggreſſus. Scriptum eſt enim, inquit, quia angelis ſuis mandauit de te: & quemadmodum tunc caput capiti, ita nunc membra membris, membra inquam diaboli, membris Chriſti, perfidos fidelibus, ſacrilegos religioſis, hæreticos orthodoxis, & catholicæ eccleſiæ filijs, loqui nihil dubitandum eſt, quoties aduerſus catholicam eccleſiæ fidem: diuinæ ſcripturæ verba quenquam proferre audierimus: fideles proinde ſuos Chriſtus (quod & alibi copioſius demonſtrauimus, & ſæpius nobis inculcandum eſt) non ſolum præmonitione cautos reddidit, ſed etiam ſalutari ac facili conſilio præmuniuit, aduerſus eiuſmodi ſeductorum inſidias. Multi, inquit, pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. Prædictum audis, quod etiam nunc fieri prohdolor quotidie videmus, & ne dubites quos pſeudoprophetas intelligat. Eius Apoſtolum audi, qui prophetare, vocat ſcripturas interpretari: prophetas proinde, ſcripturarum interpretes, & pſeudoprophetas, falſos ſcripturarum interpretes. Volo, inquit, vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior eſt qui prophetat, quam qui loquitur linguis, niſi & interpretetur, vt eccleſia ędificationem accipiat, id eſt, maior eſt qui prophetat, quam is qui loquitur linguis, niſi idem etiam prophetet, cuius officium explicauit. Loqui hominibus ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Proinde ſic claudit, itaque qui loquitur linguis, oret vt interpretetur. Prophetæ itaque vt hoc loco, Paulo ſunt ſcripturarum interpretes, ita Chriſto, pſeudoprophetæ falſi ſcripturarum interpretes. Surrexerunt itaque etiam ab ipſo eccleſiæ initio, nec ceſſant adhuc ſurgere indies, iuxta prædictionem Chriſti, multi pſeudoprophetæ. Et quid demum hi faciunt? Hoc nempe idemipſum: quod ille futurum prædixit. Seducent, inquit, multos diuinarum ſcripturarum prætextu: ſed falſa plane interpretatione, vnde & pſeudoprophetarum, vt diximus, illos nomine deſignat, ſeducent multos, hoc eſt, ſeorſum ducent, abducent a corpore illo vnitatis eccleſiaſticæ, a doctrina catholica & vniuerſali, in nouitates profanas, in opiniones ſingulares, in deſertum: in angulos domorum ac penetralia. Audis pium præceptorem denunciantem periculum: quo nos cautos & attentos redderet. Audis vt periculoſiſſimum hoſtem nobis deſignat, atque ea no

Chriſtum ſuos, nō ſolum præmonitione cautos, ſed ſalutari cōſilio præmunitos reddidiſſe aduerſus hæreticorū inſidias.

Pſeudoprophetæ, falſi ſcripturarū interpretes.

ta co-

ra explicet, qua internoſci facile a nobis poſſit: audis denique æque ſalutare ac facile conſilium, cui ſi obſequaris, aduerſus eorum inſidias tutus eris, nempe ſi caueris, quod in manu tua eſt, ne ab illo corpore te ſeduci permittas: ſi in ouili illo firmiter te contineas, atque illos foras euocantes, abomineris, contemnas, negligas. Nam intus manenti ea in re quamuis periculoſa admodum: non multum tamen eſt periculi. Sed ſi quis tunc dixerit tibi, Ecce hic eſt CHRISTVS, ecce illic, ecce apud nos eſt vera eccleſia Chriſti, verum Euangelium, vera proinde ſalus, quæ expectatur a CHRISTO noſtræ fidei, & doctrinæ conſortibus, nolite, inquit, credere: nolite ſeduci: nolite exire: vnde? ab illo videlicet corpore, a quo quiſquis conatur te ſeducere in deſertum: in angulos, ac penetralia: hoc eſt, in nouas, & ſingulares opiniones aliquas, a communi ſenſu illius corporis extraneas, & pugnantes cum doctrina catholicæ eccleſiæ, & ad hoc ipſum proferentem audis diuinarum ſcripturarum eloquia: agnoſce iuxta Saluatoris noſtri doctrinam: pſeudoprophetam ex ſuis operibus: agnoſce lupum ſub velleribus ouium, & caue credas, caue exeas. Et ne poſſis dicere, illud ipſum corpus te non cognoſcere, proinde, nec ſcire te poſſe eius ſenſum: & ſententiam, a qua diſſentire non debeas. Iterum audi hoc ipſum te docentem Chriſtum. Vbicunque enim fuerit corpus, illic congregabuntur, inquit, & aquilæ. Habes ſignum & euidens, & infallibile, ad quod reſpiciens, ignorare non poſſis, vbi, & quod, ſit illud corpus, a quo ſeparari non debeas, nec ab eo ſeducentibus auſcultare. Illic enim hoc corpus eſt, quo congregantur aquilæ: illæ inquam aquilæ, de quibus propheta: qui quamuis carne mortali onuſti, pennis tamen adiutricis diuinæ gratiæ ſubleuati in ſublime feruntur, & Chriſtum per eius veſtigia ſequuntur in cœlum. Quorum eſt & fuit, quamuis hic peregrinantium, in cœlis conuerſatio, atque omne ſtudium, omnis meditatio, omnis denique voluntas in lege domini, qui & ſigna, ne eos non poſſis agnoſcere, inhabitantis in ſe Chriſti ſpiritus, euidentia ediderunt: ipſum nempe exprimentes vita & moribus. Vbicunque congregantur illæ aquilæ, illic eſſe corpus illud cui aſſociari, & conſentire debeas, nihil dubita: de quo etiam Paulus pronunciat quod veritatis columna, & firmamentum ſit: vt falſam eſſe eius ſententiam ſit impoſſibile. Quam, ſi fortaſſis de eo quod ambigitur, velut, non ad explicatam omnium fidem, ſed ad ſecretiora fidei noſtræ myſteria, pertinente, non ita poſſis clare perſpicere, earundẽ illarum aquilarũ congregationem obſeruandam nobis eſſe alibi demõſtrauimus. Illarum ſiquidem conſenſum, certo eſſe ſenſum illius corporis, cuius ſunt velut columnæ quædam, & membra præcipua: donata præ cæteris abundantiori menſura ſpiritus, & ſubtiliori quodam ſenſu prædita: ita vt in illis vniuerſi corporis ſenſus præcipue

Conſilium Chriſti, æque facile ac ſalutare.

Vt facilẽ internoſcere valeamus corpus, vnde abduci nos non permittemus.

Signũ illius corporis infallibile.

Corpus illud, veritatis colũna & firmamentum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Certa regula orthodoxæ veritatis & fidei communis ſenſus & traditio catholicæ Chriſti eccleſiæ.

Quã diſtricte ac vehementer, eãdem nobis commẽdarit Apoſt.

vigeat, & proinde, quicquid illi pariter vno eodemque conſenſu: aperte, frequenter, perſeueranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe noſcuntur, illum indubie ſenſum eſſe & conſenſum totius corporis, eam fidem, & traditionem catholicæ CHRISTI eccleſiæ: aduerſus quam: velut certiſſimam pietatis ac veritatis regulam: nec ſcripturis, nec angelis de cœlo, ſi contra aut aliter docerent, nobis credendum eſt, ſi credamus Apoſtolo, Qui Galatis, imo CHRISTI fidelibus omnibus, eamipſam commendans, & inculcans, Sed licet nos, inquit, aut angelus de cœlo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit. Quod ipſum replicans, Si quis, inquit, vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Neque enim de ſcriptura hic quicquam loquitur, ſed de traditione eccleſiaſtica: quam ab Apoſtolis acceptam velut per manus ſuccedentium ſibi patrum & Epiſcoporum, continua ſucceſſionis ſerie ad nos tranſmiſit illa primitiua eccleſia. Aduerſus hanc, nec ſibi, nec Apoſtolis, nec angelis de cœlo ſi aliter nunciarent, quicquam credi ille voluit. Neque enim dixit, Si quis præter id quod aut nos aut Matthæus, Marcus, Iohannes, Lucas, cæterique Apoſtolorum ſcripſimus, ſed præter id quod accepiſtis, viua nimirum illa traditione noſtra: & apoſtolica (nam eatenus nihil ſcripſiſſe legitur Galatis, quos alloquitur) anathema ſit. Traditionem ergo illam viuam, & apoſtolicam: quam ab initio acceptam continua illa ſucceſſionis ſerie ad nos deduxit Eccleſia, certiſſimam nobis regulam ille conſtituit orthodoxæ fidei: aduerſus quam: nec APOSTOLIS ipſis, nec angelis quidem de cœlo fidem haberi voluit: quantominus obſcuris quibuſdam, & carnalibus homunculis, aduerſus eandem deprauata ex ſcripturis teſtimonia: male accommodantibus. Quam æque infallibilem, ac vniuerſæ Eccleſiæ neceſſariam, ſecutos fuiſſe ab initio orthodoxos omnes, in omni dubitatione, aut quæſtione ex ſcripturis inducta, & ad eandem ſemper & neceſſario, prouocaſſe aduerſus hæreticos, non vero ad ſcripturas, quæ pleræque obſcuræ ſunt, & pro legentium affectu, & captu vario, intelliguntur atque exprimuntur varie, Hierarchiæ noſtræ Libro primo, & alijs pleriſque locis copioſe demonſtrauimus.

Quod ipſum nihilominus etiam hic efficiam, vt ex vnius ORIGENIS verbis clariſſime intelligas. Hic Libro primo Periarchon orthodoxæ & catholicæ fidei, vniuerſæ illius ſuæ inquiſitionis, de fidei religioniſque noſtræ principijs, hanc ipſam regulam, velut axioma quoddam: & primum principium præmittit: ad quam: quicquid conſonat, vt verum tenendum, amplexandumque ſit, quicquid vero diſſonat, ab eadem: reijciendum: vt falſum, vt no-

thum,

thum, vt impium.

Sicut, inquit, multis apud Græcos, & barbaros, pollicentibus veritatem, deſueuimus apud omnes eam quærere, qui eam falſis opinionibus aſſerebant, poſteaquam credidimus, filium DEI eſſe Chriſtum, & ab ipſo nobis hanc diſcendam eſſe perſuaſimus. Ita cum multi ſint, qui ſe putant ſentire quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum: diuerſa a prioribus ſentiunt, ſeruetur vero eccleſiaſtica prædicatio, per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in eccleſijs permanens. Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab eccleſiaſtica traditione diſcordat.

Vt dictam regulã Origenes pulchre explicet.

Audis inprimis neceſſitatem quam alibi euidenter demonſtrauimus, illius regulæ orthodoxæ fidei, nempe, authoritatis, traditionis eccleſiaſticæ, ſine qua nihil inter nos foret conſonum. Audis antiquitatem: ſucceſſionem: conſtantiam. Siquidem Apoſtolos authores habens, aut potius Chriſtũ, per Apoſtolorꝫ miniſterium, ab eiſdem: per ſucceſſionis ordinem ad nos propagata: eadem etiam nunc, in eccleſijs permanet. Audis etiam vniuerſalem & per omnia ſe extendentem energiam eius, atque efficaciam. Quandoquidem illa ſola credenda eſt, inquit, veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſcordat.

Vt itaque veniamus ad quæſtionem propoſitam, ſeruum ne ſit nobis, an liberum arbitrium, ante explicata paucis notione, eius de quo ambigitur, inprimis, & ante omnia: conabimur demonſtrare, quid prædicta orthodoxæ & catholicæ veritatis regula: de eo pronunciet. Quando ea: hæreticorum atque aduerſantium argutijs, tergiuerſationibus, calumnijs, & contradictionibus, non perinde vt ſcripturæ, eſt expoſita, ſecundo nihilominus loco, diuinarum etiam ſcripturarum de eodem ſententiam demonſtrabimus.

De notione eius de quo quæritur, ita accipe, arbitrium nos hic aut electionem aut conuenientius ipſam voluntatem intelligere: nempe facultatem animæ, quia aliquid volumus, aut acceptamus, recuſamus, amamus, odimus, perſequimur, fugimus: de hac quæritur, libera ne, an ſerua ſit. Liberum intelligimus quod ſui iuris eſt, aut ſuipſius poteſtatem habet: poteſtatem dico, ita faciendi quicquid facit, vt non neceſſario faciat, ſed poſſit non facere. Sicut contra ſeruum intelligimus, quod ſuipſius poteſtatem non habet, ſed alieno imperio ſubiectum & neceſſitati obſtrictum neceſſario obſequitur. Liberum ergo nos dicimus arbitrium hominis: quod Græci elegantiori, aut certe ſignificantiori vocabulo αὐτεξούσιον, hoc eſt, ſuipſius poteſtatem,

Quid ſit liberũ arbitrium.

Quid liberum.

Quid ſeruum.

D iij appel-

appellant. Illi contra: non liberum, ſed ſeruum dicunt arbitrium, in omnibus his quæ indifferentia non ſunt, ſed aut bona: aut mala: & ad regnum, ſeu Dei, ſeu ſathanæ, pertinent.

Demonſtratur definitio catholicæ eccleſiæ, de propoſita controuerſia.

Audiamus proinde de hocipſo inter nos controuerſo, definientem illam veritatis orthodoxæ regulam, hoc eſt, catholicæ eccleſiæ ſententiam: Ea certe in vnius Origenis verbis mihi clariſſime videri atque intelligi videtur, qui eccleſiaſticæ traditionis, ac definitionis quæ ſuo ſæculo, atque ante ſe fuit, ad ipſum: vnde non tam longe diſtabat, eccleſiæ initium, quam vno conſenſu toto orbe obſeruatam ignorare non potuit, vt luculentiſſimum, ita irrefragabile de haciſpſa quæſtione teſtimonium perhibet. Cuius vnius etſi: ad dogmatis cuiuſuis aſſertionem: tibi non ſufficiat authoritas, hoc certe illi credes, de re quapiam ſui ſæculi, quæ illi nota eſſe potuit, imo ignota eſſe non potuit, non mentitum ſcienter, impudenterque. Quin, vt in hoc illi fidem habeas, ſi eius vita: eruditio, doctrina: in vniuerſam eccleſiam etiamdum viuentis authoritas, a te impetrare non potuerint, male mihi ad veritatem affectus videris, atque illi aures oculoſque claudere. Ille itaque Origenes, loco memorato, poſt præmiſſam illam ſæpe dictam pietatis & catholicæ veritatis regulam: ſubijciens deinde, per eandem, nempe eccleſiaſticam traditionem: pleraque definita ac certa eſſe: nonnulla vero non definita aperte, ſed velut relicta in medio, quo ſapientiæ amatores haberent, in quibus exercere & explicare poſſent fructum ingenij. Perſequens deinceps, quæ, vt nunc ſunt, ita etiam tunc fuerunt, certa ac definita traditione eccleſiaſtica: inter cætera, etiam hoc enumerat, Quod anima ſubſtantiam: vitamque habens propriam, cum ex mundo diſceſſerit, pro ſuis meritis diſpenſabitur: ſiue æternæ vitæ ac beatitudinis hæreditate potitura: ſi hoc ei ſua geſta præſtiterint, ſiue æterno igni & ſupplicijs mancipanda: ſi in hæc: eam ſcelerum ſuorum culpa detorſerit, Et paucis interpoſitis.

Eſt & illud, inquit, definitum eccleſiaſtica prædicatione, omnem animam rationalem eſſe liberi arbitrij & voluntatis: eſſe quoque illi certamen aduerſus diabolum & angelos eius, contrariaſque virtutes: ex eo, quod illi peccatis eam onerare contendunt, nos vero, ſi recte, conſulteque viuamus, ab huiuſcemodi onere exuere nos conemur, vnde & conſequens eſt intelligere, non ita nos neceſſitati eſſe ſubiectos, vt omni modo, etiam ſi nolimus, vel bona vel mala agere, cogamur.

Si enim noſtri arbitrij ſumus, impugnare fortaſſis nos poſſunt aliquæ virtutes ad peccatum: & aliæ iuuare ad ſalutem: non tamen neceſſitate cogimur, vel recte vel male agere, & cætera. Hactenus ille. Audis

dis itaque clariſſimam definitionem eccleſiaſticæ traditionis, & de libero arbitrio hominis & de meritis ac demeritis, ſecundum quæ hinc diſcedens anima diſpenſabitur: quæ equidem definitio Origenis ſæculo, hoc & longe ante annos mille trecentos, atque etiam ante ipſum ab initio, vno totius eccleſiæ ſenſu: toto orbe prædicata extitit, per quam damnata eſt nouitiſ huius Euangeliſ impietas & blaſphemia.

Iam nunc audi pro quibus Lutherum cum ſectatoribus ac diſcipulis ſuis, & vniuerſo hoc Euangelico populo eadem habeat catholica Chriſti Eccleſia, & quod hos iudicium maneat, & quoniam ita cœpi, eiuſdem illius Origenis verbis etiam hic communem eccleſiæ ſententiam explicabo.

Itaque in epiſtolam ad Titum, tractans illud Apoſtoli, Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita: ſciens quoniam peruerſus eſt qui eſt eiuſmodi, & proprio condemnatus iudicio. Inprimis affirmat (vt eſt legere in Apologia Beati Pamphili martyris, deſyderantur enim a nobis dicta eius commentaria) affirmat inquam hæreſes ex eorum numero eſſe quæ excluduntur a regno Dei, affirmante hocipſum eodem Apoſtolo ad Galatas, Manifeſta autem ſunt, inquit, opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, idolatria, veneficia, & cætera, hæreſes aut ſectæ. Quæ & prædixi vobis, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt: Per quæ, inquit, cognoſcimus, Quoniam ſicut hi qui fornicationibus, & immunditiſs, atque impudicitiſs & idolorum cultibus maculati ſunt, regnum Dei non poſſidebunt, ita & hi qui in hæreſim declinauerint. Neque enim putandum eſt, tanti Apoſtoli, tam abſolutam ſententiam, poſſe vllo genere vacillare, Apoſtolus eſt enim omnium eccleſiarum Chriſti, non ab homine, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum patrem electus, &c. Audis inprimis, quod, hæreticos, diuinum iudicium maneat.

Hæreſim, excludere hominē a regno Dei.

Nunc audi eiuſdem quidem Origenis verbis, ſed catholicæ veritatis clariſſimam definitionem: & ſententiam de Luthero cum ſuis, an inter catholicos & orthodoxos, an vero inter hæreticos numerandi ſint.

Itaque ille, poſt prædicta: paucis quibuſdam interpoſitis, deſcribit quis nobis ſit habendus hæreticus, nempe omnis ille, qui Chriſto ſe credere profitetur. Et aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quam habeat definitio traditionis Eccleſiaſticæ.

Quis hæreticus. *Nota.*

Quodipſum in multis exemplis particulatim explicans, in Marcione, Valentino, Baſilide, Eutichianis, Appelle, Ebionitis, Patripaſſia-

paſſianis. Sed & illi, inquit, qui non omnes humanas animas vnius eiuſdemque dicunt eſſe ſubſtantiæ, ſed diuerſas naturas animarum, inter eos hæreticos numerandi ſunt, qui iniquitatem in excelſum loquuntur, atque iniuſtitiam iniquitatemque eius accuſant: nec non & illi, qui liberi arbitrij poteſtatem ex animabus auferre nituntur: & velut pernitioſo dogmate, communi humanæ vitæ, & virtuti vniuerſæ labem quandam inferre iudicandi ſunt: ne humani propoſiti reputetur, bonum, quid, vel facere, vel dicere, vel ſentire, ex quo, ad contemptum diuini iudicij mens humana formabitur. Sit autem in Eccleſiaſtico ordine, etiam de peccatorum ſupplicijs fides, & de his, qui præmia bonæ conuerſationis, & vitæ, in regno domini: iuſto eius iudicio recepturi ſunt.

Hæreticum eſſe Lutherum, & vniuerſos eius ſectatores Euangelij, ipſius catholicæ eccleſiæ ante annos mille trecētos prolato iudicio.

Si quis ergo horum aliquod, quæ ſupra expoſuimus commutare, vel ſubuertere conatur, vt peruerſus & a ſeipſo damnatus, ſecundum ſententiam Apoſtoli, etiam a nobis, præcepto obſequentibus eius, ſimiliter habendus eſt.

Subiuncta deinde definitione eccleſiaſtica de reſurrectione mortuorum, ita pergit.

Habentur, inquit, nihilominus in eccleſiaſtico ordine, etiam de diabolo rationes, & de omni eius exercitu: quod agones quoſdam & certamina aduerſus omnes homines, præcipue tamen aduerſus eos qui credunt in dominum noſtrum IESVM CHRISTVM mouent, & quod neceſſitatem quidam peccandi imponere per agones & certamina non valent, perſuadere tamen, & decipere ad ſubuerſionem poſſunt, eos qui non omni cuſtodia ſua corda præmuniunt.

Diabolo neminē neceſſario ſubijci.

Habendum quoque in eccleſiaſticis traditionibus quod neque hominum quiſquā, a Deo in perditionem traditus eſt, ſed vnuſquiſque pereuntium ſua negligentia & culpa pereat. Qui habens arbitrij libertatem: eligere quod bonum eſt, & potuit & debuit. Quod etiam de ipſo diabolo ſentiendum eſt, qui in conſpectu Dei omnipotentis dicitur reſtitiſſe, & diſſeruiſſe ſtatum ſuum, in quo fuerat immaculatus, qui vtique potuiſſet in hoc ſtatu, in quo ab initio fuit, vſque in finem perſeuerare ſi voluiſſet.

Nullū hominū a deo in perditionem traditum.

Tandem concludens. Deſignatus, inquit, vt arbitror nobis eſt, prout potuimus, & deſcriptus, quis, & qualis eſſet hæreticus, & quæ vel in quibus, eorum dogmata falſæque opiniones habeantur, & quæ ſit eccleſiaſticæ obſeruantiæ puritas. Hactenus Adamantius ille.

Ex cuius vtique verbis quiſque intelligit qui ad veritatem omnino ca-

no cæcus, & ſurdus non eſt catholicæ Chriſti eccleſiæ etiam, ante annos mille & trecentos, atque adeo ab ipſo ſui initio, de Luthero & conſortibus eius iudicium: idem nempe, quod nunc eſt, pronunciatum per definitionem & ſententiam ſedis Apoſtolicæ, quam a catholicæ eccleſiæ ſententia diſcrepare non poſſe lib. IIII. Hierarchiæ noſtræ, & ſequentibus eiuſdem operis, copioſe demonſtrauimus.

Audiſtis inprimis quem catholica Chriſti eccleſia habeat, quem habuerit a ſui initio pro hæretico. Illum nempe qui Chriſto ſe credere profeſſus, aliud tamen de veritate Chriſtianæ fidei credit, quam habeat definitio traditionis eccleſiaſticæ. Audiſtis quoque definitionem traditionis eccleſiaſticæ, de libero arbitrio, & de meritis ac demeritis noſtris, ſecundum quæ diſpenſantur hinc diſcedentes animæ. Eſt & illud, inquit, definitum eccleſiaſtica prædicatione, omnem animam rationalem eſſe liberi arbitrij. Item: quod anima ſubſtantiam, vitamque habens propriam: cum ex hoc mundo diſceſſerit, pro ſuis meritis diſpenſabitur, ſiue æternæ vitæ ac beatitudinis hæreditate potitura, ſi hoc ei ſua geſta præſtiterint, ſiue æterno igni & ſupplicijs, mancipanda, ſi in hæc: eum ſcelerum ſuorum culpa detruſerit. Audiſtis preterea: cum quibus erit pars veſtra in diuino iudicio, ſi portento illi adhærere perſeueraueritis. Sed & illi, inquit, inter eos hereticos, Marcionem inquã, Valentinum, Baſilidem, Appellem: Eutichianos, Ebionitas, Patripaſſianos connumerandi ſunt, qui liberi arbitrij poteſtatem ex animabus auferre nituntur, & qui de peccatorum ſupplicijs, & de bonæ conuerſationis, vitæque pręmijs, in regno Dei iuſto eius iudicio recipiendis aliter audent aſſerere, quam habeat prædicta definitio, traditionis eccleſiaſticæ. Audiſtis denique cenſuram catholicæ Chriſti eccleſiæ, de eo quod nunc excutimus, noui huius Euangelij dogmate præcipuo, (vt ille eius Euangeliſta primarius affirmat, & quod vniuerſæ illius doctrinæ ſuæ fundamentum conſtituit) non equidem: quaſi de vulgariter impio, ſed velut de pernicioſo communi vitæ humanæ, atque exitiali virtuti vniuerſæ, & quod ad contemptum diuini iudicij informat homines, Qui, inquit, poteſtatem liberi arbitrij ex hominibus auferre nituntur, velut pernicioſo dogmate, communi vitæ humanæ, & virtuti continentiæ labem quandam inferre, iudicandi ſunt: ne humani propoſiti reputetur, bonum quid vel facere, vel dicere, vel ſentire, ex quo ad contemptum diuini iudicij mens humana formabitur. Et vos non pudebit eiuſmodi & doctoris, & dogmatis? Non timebitis illorum quos memorauimus conſortes eſſe in diuino iudicio?

Dictam catholicæ eccleſiæ de propoſita quæſtione communem ſententiam, etiam ex ſanctorum orthodoxorumq́ patrum omnium conſenſu: & conſona: clariſſima, certiſſimaq́ fide & doctrina demonſtrare.

Caput III.

QVanquam ex vnius Origenis verbis (cuius hac in re non potes refellere teſtimonium, quod de notiſſima definitione eccleſiaſticæ traditionis, in vniuerſa: toto orbe, catholica eccleſia, abſq́ controuerſia recepta clariſſimis verbis perhibuit) illam ipſam definitionem eccleſiaſticam iamdudum clariſſime intellexeris, eandem nihilominus ex aquilarum illarum congregatione & conſenſu (quem in omni dubio obſeruare & exquirere nos oportere paulo ante admonuimus, & alibi copioſius demonſtrauimus) conabimur palam facere. Quicquid enim illi, (quod ſæpe nobis repetendum eſt, pariter, vno eodemque conſenſu: aperte, frequenter, perſeueranter, crediḋiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe, inueniuntur, illum eſſe ſenſum & conſenſum corporis, cuius ſunt columnæ quædam & mēbra præcipua: donata præ cæteris abundātiori menſura ſpiritus, & ſubtiliori quodam ſenſu prædita, nihil dubitandum eſt: vt in quibus vniuerſi corporis ſenſus præcipue vigeat. Quem falſum eſſe eſt impoſſibile, niſi Chriſtum eius caput mendacem facias, & falſum ſenſum influere ſuo corpori: niſi & Paulus mentiatur eius Apoſtolus, qui eccleſiā: columnam: firmamentumq́ veritatis affirmat, quod ideo hic rurſus præfari viſum eſt, ne hominum nos niti teſtimonio calumnientur vt ſolent, aduerſarij, cum ex orthodoxorum patrum conſenſu: noſtram & catholicæ eccleſiæ ſententiam rurſus aſtruxerimus.

Neq́ eſt, quod Caluinus ille, occupato properantique lectori malitioſe & falſiſſimo perſuadere nititur, veteres omnes, vno Auguſtino excepto, ſic hac in re variare, vacillare, ac perplexe loqui, vt fere nihil certi ex eorum ſcriptis referre liceat. Imo, contra plane rem habere mox efficiam vt clariſſime intellecturus ſis: omneſque, præter vnum Auguſtinum: ita conſtanter, conſonanter, aperteque hac de re loqui, vt de nulla re conſtātius & apertius. Vnus fere Auguſtinus, ob feruentem tum diſputationem Pelagij & Cœleſtij, qui tantum tribuebant libero arbitrio, vt diuinæ gratiæ iniuriam facerent, ſi quiſquam omnium, hac in re varie & perplexe loqui viſus eſt: ita, vt aduerſus illos, eidem alicubi videatur iniquior, eo quidem conſilio, quod ſequuntur ij qui curua lignorum: ad rectitudinem conātes reducere, ea vltra rectitudinem flectunt, & incuruant in oppoſitum, quanq̃ etiam ille, ſerio, & aperte, ſemper conſenſerit alijs, quemadmodum poſt intelliges.

Habuit iſtorum dogma: primū authorem, illū Simonem magum: a quo ea quam explicauimus impijſſima impietas ſuccedentium hæreticorum: velut hæreditaria ſucceſſione, nūc tandē etiam ad Lutherum peruenit, aduerſus quem Simonem affirmantem fatali quadā neceſſitate, quencꝫ ſapere, intelligere, paticꝫ omnia ille apoſtolici chori Coryphæus Petrus, apud Clementem: Dic, inquit, quomodo ergo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquencꝫ pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit: Hoc ſi teneatur, cōuulſa ſunt omnia: fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora, ſed & iudices ſæculi fruſtra legibus præſunt, & eos qui male agunt puniunt: non enim in ſua poteſtate habuerunt, vt non peccarent. Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus pœnas ſtatuunt, Miſeri erunt, & qui ſeruant cum labore iuſtitiam, beati vero illi qui in delicijs poſiti, cum luxuria & ſcelere viuentes, tyrannidem tenent. Secundum hæc ergo, nec iuſtitia erit, nec bonitas, nec vlla virtus, &, vt vis, nec Deus, &c. Ego igit̄ dico, inquit, ſui eſſe arbitrij hominē. Deinde interrogante Simone, qd eſſet liberū arbitriū, Arbitrij, inquit, poteſtas, eſt ſenſus animæ, habens virtutem qua poſſit ad quos velit, actus, inclinari, Inducta deinde a Simone quæſtione, an ne, quod Deus vellet, hoc ipſum eſſet: quod nō vellet, non eſſet: (Qua confectum putabat, etiam mala a Deo eſſe, nobis vero omnia neceſſario prouenire, ſi annueret, aut certe impotentem eſſe deum: ſi negaret,) Reſpondens Petrus, Vniuerſum motus genus bifariam diuidit: quædam enim neceſſitate quadam, quædam moueri volūtarie: illa ſemper in motu eſſe, quando adeſt mouens cauſa: hæc non ſemper, vt ſolis, inquit, motus, neceſſitate ducitur, vt ſtatutum curſum compleat, omniſque ſtatus cœli, & cœleſtiū corporum miniſteria, neceſſarijs motibus conſtant. Homo vero actuum ſuorum motus voluntarios gerit: & ideo alia ſunt, quæ ob hoc creata ſunt, vt in miniſterijs ſuis neceſſitate deſeruiant: nec facere aliud, quippiam poſſunt, niſi quod eis ſtatutum eſt. Alia vero ſunt, quibus poteſtas eſt voluntatis, & qui agendi quæ velint, liberum habent arbitrium. Hæc, inquit, non ſemper in eo ordine quo creata ſunt permanent, ſed prout voluntas duxerit, & animi iudicium declinauerit: ſiue bonis, ſiue malis ſtudebunt. Ideo & bene agentibus Deus munera poſuit, male agentibus pœnas. Oſtendens deinceps quam ille captionem dicta ſua quæſtione moliretur. Valde, inquit, ignoras o Simon, quomodo in ſingulis quibuſque ſit voluntas Dei. Quædam enim voluit ita eſſe, vt aliud eſſe non poſſent, quam id quod ab ipſo inſtituta ſunt: & his necꝫ præmia necꝫ ſupplicia ſtatuit. Ea vero quæ ita eſſe voluit, vt in ſua poteſtate habeant quod velint agere, his pro actibus ac voluntatibus ſuis ſtatuit, vt aut remunerationes mereantur, aut pœnas. Secundum hanc itaque diſtinctionem, omne quod vult Deus, eſt: quod non vult, non eſt. Hoc eſt, quodque

Primus author dogmatis iſtorum, Simō Magus.

Apoſtolorum principis Petri de hoc ipſo dogmate aduerſus Simonem illum concertatio, apud Clementē, lib. recog. Vide, quæ portenta etiā Petrus affirmat in eludi in hoc dogmate.

Quid liberum arbitrium definiente Petro.

Vniuerſum motus genus diuidi in voluntarios & neceſſarios.

Vt in ſingulis ſit voluntas Dei, ſed nō ſimiliter, nec præiudiciis libertati noſtri arbitrij.

Hoc primũ eſſe q̃d intelligant imbuendi religione Chriſtiana Hominẽ liberi eſſe arbitrij. Inde enim primo intelligi iuſtum Dei in omnes iudicium.

ſecundum modum ſuæ conditionis, & naturæ:neceſſaria,contingentia,libera:quodque vt eiuſmodi. Imo,primum eſſe docet,vt intelligãt homines,qui noſtræ philoſophiæ veritatem aſſequi deſyderant, liberi ſe eſſe arbitrij, inde enim primo intelligi, iuſtum Dei iudicium in eos qui hic impie vixerint, & libidinibus, ac ſceleribus ſe maculauerint: quemadmodum,& quod pijs.& ſe inquirentibus æterna præmia retributurus ſit, vnde ad requirenda diligenter etiam cætera ad ſalutem neceſſaria facile inducuntur. Et hæc ille Petrus dominici ouilis paſtor primus,& Chriſtianæ doctrinæ columen,doctorq; præcipuus,aduerſus primum illum huius impietatis,quam nunc impugnamus,authorem, Simonem Magum: apud Clementem: dictis recognitionum libris. De quorum fide,ſi quis forte ambigat, hoc meminerit, ante annos mille ſupra ducentos, vt tales de quorum fide tunc minime hæſitaretur a Ruffino illo Torano, tot inſignium authorum interprete, e Græco ſermone in Latinum verſos, atque interim lectos aſſidue pro Clementis operibus: tametſi communem cum multis alijs ſortem experti a falſatoribus, nonnullas plagas circunferant, & infarcta quædam,quæ authori non reſpondeant: nec quicquam tibi proderit hæc tergiuerſatio, quando ex vnius fide non pendemus, ſed omnium ab initio orthodoxorum certiſſimum conſenſum demonſtraturi ſumus ſecundam noſtram ſententiam. Audis autem quæ ille portenta,vnum hoc veſtrum dogma includere affirmat, & veriſſime affirmat: Vno hoc confundi,conuellique omnia: auferre omne ſtudium ſectandi meliora, ex hominibus: auferri omnem eruditionem & bene viuendi diſciplinam: leges,& diuinas, & humanas, demonſtrari ſtultas: nedum magiſtratus fruſtra præeſſe exactores legibus,tranſgreſſores & ſontes iniuſte punire,omnem efferatæ mentis in quiduis libidinem permiſſis laxatiſque habenis induci: iuſtitiam,ſanctimoniam: omnem denique virtutem vno hoc,ſi recipiatur, dogmate profligari ex conuentu hominum:omnem religionem,atq; adeo Deum ipſum tolli e medio, hæc ſunt veſtri illius præcipui omnium dogmatis latentia myſteria. Quæ & ſuperiori capite vtcunque explicauimus, & in progreſſu adhuc illuſtriora reddentur.

Clementis, de arbitrij libertate ſententia.

Ipſum nunc audi Clementem ſuamipſius hac de re explicantem ſententiam, (nam in prioribus, Petri, quæ præſens audierat,verba nobis rettulit.) Itaq; Epiſtola ſecunda earum quas Ruffinus latinas fecit, cum ignorantiæ mala ob oculos ſtatuens, ad quærendam agnitionem veritatis omnes exhortetur, eam a nemine q̃ a Chriſto nos aſſequi affirmat: hanc eſſe portam: volentibus ad vitam ingredi,hanc viam:pergentibus ad ciuitatem ſalutis, cuius ſermonem ſi quis audierit,in poteſtate ſua illum habere,recipere cum velit, aut nõ velit, & amplecti onus eius,id eſt mandata vitæ.

Liberi nos eſſe arbitrij

Liberi enim, inquit, ſumus arbitrij, nam ſi hoc eſſet, vt audientes ea: iam non haberent, in pote-

poteſtate aliud facere quàm audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non eſſet, ad aliam migrare ſententiam: Aut ſi rurſus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum: Nunc autem quia liberum eſt animo, in quam velit partem declinare iudicium ſuum, & quam probauerit eligere viam: conſtat euidenter ineſſe hominibus arbitrij libertatem. Igitur priuſquam audiat quis quod ei expedit, certum eſt, quia ignoret, & ignorans vult & deſyderat quod non expedit agere: propter quod, pro hoc non iudicatur. Cum vero audierit cauſas erroris ſui, & rationem veritatis acceperit, tunc ſi permanſerit in his erroribus, quibus dudum fuerat præuentus, recte iam vocatur ad iudicium: daturus pœnas, quia vitæ huius ſpatium, quod ad bene viuendum accepit, in ludibrijs conſumpſit errorum. Qui vero audiens hæc, libenter accepit, & gratulatur ſibi bonorum doctrinam fuiſſe delatam: requirat intentius & cætera, & gratias agat Deo, quod ſibi veritatis lumen oſtenderit, & de cætero dirigat actus ſuos in omnibus operibus bonis, quorum ſibi in futuro mercedem certus eſt præparatam: admirans per omnia, & ſtupens cæterorum hominum errores, & quod ante oculos poſitam veritatem: nemo videat, ipſe autem gaudens ſuper diuitijs ſapiētiæ quas inuenit, inſatiabiliter his perfruatur, & exercitio bonorum operum delectetur: feſtinans ad ſæculum futurum mundo corde & pura conſcientia peruenire, & cætera ſubijciens ſibi carnis deſyderia, & dominus eorum factus, vt ita demum etiam ipſe fiat dominatoris omnium iucunda poſſeſſio. Nam qui permanet in malo, & ſeruus eſt mali, non poteſt eſſe boni portio, donec in malo permanet. Quia ab initio duo regna ſtatuit Deus, & poteſtatem dedit vnicuique hominum, vt illius regni fiat portio, cui ſe ad obediendum ipſe ſubiecerit. Hæc ille Clemens apoſtolorum auditor, & Petri in cathedra & paſtorali cura dominici ouilis ſucceſſor. Qui nunquid inconſtanter, obſcure aut perplexe, hac in re tibi loqui videtur? Nunquid eius ex his verbis dubia cuiquam eſſe poſſit ſententia de eo quod inter nos controuertitur, Liberum ne ſit nobis an ſeruum arbitrium? Tertullianus ille florens, poſt Clementem primus fere, aut certe celeberrimus inter ſcriptores eccleſiaſticos, aduerſus Marcionem, illius Simonis diſcipulum, tam conſtanter, conſonanter, & luculenter aſſerit libertatem arbitrij: vt niſi ex his quæ libro II. aduerſus eundem ſcribit, certam eius indubitatamque intelligas ſententiam, nihil dubito veritati aures te clauſiſſe & oculos.

Quæ ignorantia excuſet hominem.

Vide, vt etiam ad iuſte viuendū, poſt acceptā veritatis notitiam, liberum arbitriū valere affirmet.

Tertullianus.

Introducens inprimis hanc impiorum quæſtionem, Si Deus & bonus ſit, & præſcius futuri, & auertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem & ſimilitudinem ſuam, per animæ ſcilicet ſenſum, paſſus eſt labi de obſequio legis in mortem circumuentum a diabolo?

Marcionis quæſtio. Cur Deus, ſi bonus, futuri præſcius, et auer-

tendi mali potens eſt, paſſus ſit hominem diaboli tentatione in mortē labi.

bolo? Si enim bonus eſt,inquiunt,qui euenire tale quid nollet, & præſcius,qui euenturum nō ignoraret,& potens qui depellere valeret,non eueniſſet quod ſub his tribus conditionibus diuinæ maieſtatis euenire non poſſet.Quod ſi euenit,conſequi e cōtrario, Deum neq; bonum credendum:neq; præſcium, neq; potentem.

Dictā quæſtionem vt ſoluat. Oſtendit inprimis Deū et bonum,et pręſcium,& potentem.

Ad hanc quæſtionem reſponſurus, primum confirmat Deum eſſe qualem illi negabant, bonum,præſcium : & potentem : Bonitatem ſiquidem & potentiam eius euidenter teſtari eius opera, quæ produxit ex nihilo. Præſcientiam tot teſtes habere quot prophetas fecerit. Alioqui,palam eſſe,eam neceſſario requiri in authore omnium, qui vniuerſa vtiq; diſponendo præſcijt,& præſciendo diſpoſuit,&c.

Hominis conſideranda cōditio.

Dei in nobis imago & ſimilitudo, arbitrij libertas.

Ad quæſtionis deinde abſolutionem,conſiderandam dicit conditionem hominis,ne per illam potius euenerit,quod per Deum euenire non potuit. Liberum,inquit, & ſui arbitrij, & ſuæ poteſtatis inuenio hominem, a Deo inſtitutum, nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animaduertens,quam eiuſmodi ſtatus formam: Neq; enim facie, & corporalibus lineis, tam varijs in genere humano : ad vniformem Deum expreſſus eſt:ſed in ea ſubſtantia quam ab ipſo Deo traxit, hoc eſt, anima,ad formam Dei formatus, & arbitrij libertate & poteſtate ſignatus eſt. Hunc ſtatum eius confirmauit etiam lex ipſa, tunc a Deo poſita. Neque enim poneretur lex ei qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate : nec rurſus comminatio mortis, tranſgreſſioni aſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Ita quoque & in poſteris legibus creatoris, proponi ante hominem bonum & malum, vitam & mortem: Sed nec alias totum diſciplinæ ordinem per præcepta increpationes dehortationes, & incitamenta diſpoſitum, auocante, & comminante, atq; etiam hortante Deo, niſi & ad obſequium, & ad contemptum libero & voluntario homini. Ex quo, cum ſit euidens,id quod euenit homini, non Deo, ſed ſibi debere imputari, ne, inquit, & huic tu opponas, non ita inſtitui debuiſſe,ſi libertas & poteſtas arbitrij exitioſa futura eſſet, hoc quoq; prius defendam,ita debuiſſe inſtitui, quo fortius commendem & inſtitutum ita, & digne Deo inſtitutum, potiore oſtenſa ea cauſa quæ ita fecit inſtitui.

Libertatē arbitrij. cōfirmari ex lege data homini. Legē non poni niſi libero & ad obſequiū & ad contemptum.

Debuiſſe liberū a Deo inſtitui hominē tametſi non ignoraret libertatē ſibi exitio fore.

Cōmēdari & bonitatem Dei & ſapientiā, ſeu rationē ex libertate arbitrij data homini.

Bonitatem enim Dei, & rationem eius,huic inſtituto patrocinari, apud illum conſpirantes in omnibus, neq; bonitatem,ſine ratione,bonitatem eſſe, nec rationem, ſine bonitate rationem : niſi forte, inquit, penes Deum Marcionis irrationabiliter bonum. Oportuiſſe itaque Deum cognoſci & bonum & rationalem. Oportuiſſe & dignum aliquid eſſe quod Deum cognoſceret. Quid autem tam dignum, inquit, proſpici poſſet, quam Dei imago & ſimilitudo ? & hoc ſine dubio, & rationale,oportuiſſe proinde imaginem & ſimilitudinem Dei

liberi

liberi arbitrij & ſuæ poteſtatis inſtitui: in quo hoc ipſum, imago & ſimilitudo Dei deputaretur: arbitrij ſcilicet libertas & poteſtas. In quam rem, ea ſubſtantia homini accommodata eſt, quæ huius ſtatus eſſet, afflatus Dei videlicet, vtique liberi & ſuæ poteſtatis. Sed & alias quale erat, vt totius mundi poſſidens homo, non inprimis animi ſui poſſeſſione regnaret, aliorum dominus, ſui famulus. Habes igitur bonitatem Dei agnoſcere ex dignatione, & rationem ex diſpoſitione. Bonitati deputetur, quod tantum homini largiri dignata ſit, id eſt, arbitrij libertatem. At ratio ſibi defendat eiuſmodi inſtitutionem: Nam bonus natura Deus ſolus, qui, quod eſt, ſine initio eſt, non inſtitutione: ſed natura habet illud: Homo autem: qui totus ex inſtitutione eſt, habens initium: cum initio ſortitus eſt formam, qua eſſet; atque ita non natura in bonum diſpoſitus eſt, ſed inſtitutione, ſecundum inſtitutorem bonum, ſcilicet bonorum conditorem. Vt ergo bonum iam ſuum haberet homo, emancipatum ſibi a Deo, & fieret proprietas iam boni in homine, quodammodo natura aſcripta eſt illi, quaſi libripenſe emancipati a Deo boni, libertas & poteſtas arbitrij: quæ efficeret, bonum, vt proprium, iam ſponte præſtari ab homine: quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret voluntariæ exercendæ, ex libertate ſcilicet arbitrij, vt ita demum bonus conſiſteret homo, ſi ſecundum inſtitutionem quidem, ſed ex voluntate iam bonus inueniretur, quaſi de proprietate naturæ, perinde vt & contra: malus.

Vt bonum ſuũ haberet homo, illi fuiſſe neceſſariã, liberã poteſtatem arbitrij.

Subiungens deinde eam quoq; fortitudinem & potentiam a Deo datam, libertati eius arbitrij, vt nec hinc a bono, nec inde a malo poſſet neceſſario impelli aut attrahi. Tota ergo, inquit, libertas arbitrij in vtranque partem homini conceſſa eſt, vt ſui dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando. Quoniam & alias poſitum hominem ſub iudicio Dei, oportebat iuſtum illud efficere, de arbitrij ſui meritis, liberi ſcilicet. Quondoquidem nec boni, nec mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate non voluntate fuiſſet inuentus. In hoc, & lex conſtituta eſt, non excludens ſed probans libertatem: de obſequio ſponte præſtando, vel tranſgreſſione ſponte committenda. Itaq; in vtrunq; exitum libertas patuit arbitrij. Igitur ſi bonitas, & ratio Dei inuenitur circa libertatem arbitrij conceſſam homini, non oportet, amiſſa prima definitione bonitatis atq; rationis, quæ ante omnem tractatum conſtituenda eſt, poſt factis præiudicare: non ita Deum inſtituere debuiſſe, quia aliter quam Deo placeret euaſit: ſed deſpecto quia ita debuerit inſtitui, ſaluo eo quod diſpectum eſt, cætera explorare. Quod qui facit, & a Dei bonitate à primordio operum ſuorum perſpecta: facile perſuaderi, a Deo nihil mali euenire potuiſſe, & a libertate ho-

Eã eſſe liberi a Deo arbitrij potentiã, vt neq; a bono, neque a malo poſſit impelli aut attrahi.

Tolli iuſtum dei iudiciũ ſi tollatur libertas arbitrij.

Vide, vt neceſſitatẽ voluntati opponat perpetuo.

Iam oſtendit, nihil ꝑ iudicare, aut bonitati, aut ſapiẽtiæ ſeu præſcientię dei q̃d homo, accepto eius dono, hoc eſt, lib.,

bertate arbitrij in ſuã ſic abuſus pernitiem. Cur nõ intercеſſerit deus, aduerſus ea quæ fieri noluit, hoc eſt, hominis peccatum.

minis cogitata: ipſam ſe potius ream oſtendere eius quod ipſa commiſit: atque ea ratione, omnia Deo ſalua eſſe, & naturam bonitatis, & rationem diſpoſitionis, & præſcientiæ & potentiæ copiam. Exigere ante omnia nos oportere a Deo, & conſtantiam: grauitatemque ſummam, & fidem præcipuam in ſuis inſtitutionibus: ſed quæ ſapientiſſimo conſilio, & rationalibus inſtitutionibus vni dicandæ ſunt. Ex his nihil mirandum intelligi, quod non interceſſerit aduerſus ea, quæ noluit euenire, quo conſeruaret ea quæ voluit, & inſtituit. Si ergo ſemel homini permiſerat libertatem & poteſtatem arbitrij, & ſapientiſſima ratione permiſerat, vtique fruendas, inquit, eas ex ipſa inſtitutionis authoritate permiſerat: fruendas autem, quantum in ipſo, ſecundum ipſum: id eſt, ſecundum Deum: & in bonum: Quis enim aduerſus ſe permittet aliquid? Quantum vero in homine, ſecundum motus libertatis ipſius. Quis enim non hoc præſtat ei, cui quid ſemel frui præſtat, vt pro animo & pro arbitrio ſuo fruatur? Igitur conſequens erat, vt DEVS ſecederet, a libertate ſemel conceſſa homini: id eſt, contineret in ipſo & præſcientiam, & præpotentiam ſuam, per quas interceſſiſſe potuiſſet, quo minus homo male ſua libertate vti aggreſſus, in periculum laberetur. Si enim interceſſiſſet, reſcidiſſet arbitrij libertatem: quam ratione & bonitate permiſerat. Denique fac interceſſiſſe, fac reſcidiſſe eum libertatem arbitrij, dum reuocat ab arbore, dum ipſum circumſcriptorem colubrum a fœminæ congreſſu arcet, nonne exclamaret Marcion, O dominum futilem & inſtabilem, reſcindentem quæ inſtituit? Cur permiſerat arbitrium ſi intercedit? Cur intercedit ſi permiſit? Eligat, vbi ſemetipſum erroris notet: in inſtitutione, an in reſciſſione? Nonne tunc magis deceptum in præſcientia futuri, cum obſtitiſſet ei, quod, quaſi ignorans quo euaſurum eſſet, indulſerat, quis merito diceret? &c.

Neceſſaria homini libertas arbitrij, ad viuendum recte. Deũ præſtitiſſe homini viuere, mandaſſe autẽ bene viuere. Quẽ adeo, ad mortẽ non inſtituerit, vt etiã mortuũ ad pœnitẽtiam reuocans viuere cupiat.

Hæc atque eiuſmodi merito dicturus in creatorem, ſi libero arbitrio hominis, ex prouidentia, & potentia, quas exigis, obſtitiſſet, Nunc tibi inſuſurra pro creatore, & grauitatem, ſeu conſtantiam: & patientiam, & fidem, inſtitutionibus ſuis functo, & rationalibus, & bonis. Neque enim ad viuendum ſolummodo produxerat hominem, & non ad recte viuendum: in reſpectu ſcilicet Dei legiſque eius. Igitur viuere quidem illi, ipſe præſtiterat, facto in animam viuentem: recte vero viuere demandauerat, admonito in legis obſequium. Itaque non in mortem inſtitutum a Deo hominem probat quod eundem nunc cupit in vitam reſtitutum, malens peccatoris pœnitentiam quam mortem.

Igitur ſicut, inquit, Deus homini vitæ ſtatum induxit, ita homo ſibi mortis ſtatũ attraxit, & hoc nõ per infirmitatem, nec per ignorantiam:

nequid

nequid authori imputaretur, &c. Neque enim legis pondus impoſuiſſet (ſi grauis lex) inualido ſuſtinendi: nec quem excuſabilem ſciret nomine imbecillitatis, cum definitione mortis conueniſſet, poſtremo non ipſa libertate ac poteſtate arbitrij feciſſet infirmum, ſed potius defectione earum. Atque adeo eundem hominem, eandem animæ ſubſtantiam, eundem Adæ ſtatum, eadem arbitrij libertas & poteſtas, victorem fecit de eodem diabolo, cum ſecundum obſequium legum Dei adminiſtrata eſt, &c.

> Peccaſſe hominē nō per infirmitatem, nec per ignorātiam.
>
> Quod legis pondus nō imponat deus ſuſtinendi inualidis.

Oſtēdens deinde, nec inde comprobari Deum aut malum eſſe, aut mali authorem, quod eius imago & velut ſpiraculum, aut ſpiritus delicto ſe cōtaminauerit. Cum minor ſit imago veritate neceſſe eſt, & ſemper imago, non diuinitas: quæ ſola cum peccare non poſſit, hoc ipſum imagini non conuenire indubitatum eſt. Quemadmodum imago hominis, & ſi omnes veritatis lineas exprimat, vi tamen eius caret, nec ſenſum, nec motum obtinens, &c. Potuiſſe afflatum Dei, potuiſſe imaginem Dei peccatum admittere, ſed non debuiſſe: potuiſſe illi conuenire peccatum, per exilitatem ſubſtantię, non debuiſſe autem per arbitrij poteſtatē: qua liber, non ſeruus, aſſiſtente amplius demonſtratione nō delinquendi, ſub comminatione moriendi, qua ſubſtrueretur ſubſtantiæ exilitas, & regeretur ſententiæ libertas. Itaq; non per illud iam, inquit, videri poteſt anima deliquiſſe, quod illi cum Deo affine eſt, hoc eſt, per afflatum aut ſpiritum, ſed per illud, quod ſubſtantiæ acceſſit, id eſt, per liberum arbitrium: a Deo quidem rationabiliter attributum, ab homine vero quia voluit agitatum, &c.

> Eadem arbitrij libertate qua cecidit, factū hominē victorem de eodem diabolo, quando ipſum ſecundum obſequiū legum dei adminiſtrauit.
>
> Potuiſſe imaginē dei peccatū admittere per exilitatem ſubſtantię, ſed non debuiſſe per liberi poteſtatem arbitrij.

Deinde etiam diabolum a Deo in rectitudine, & arbitrij libertate conditum, propria libidine conceptæ vltro malitię peccaſſe affirmās, eodem conſilio, & eius nouiſſimam reclusionem, & hominis ad beatam vitam reſtitutionem: a Deo dilatam oſtendit. Certamini enim, inquit, ſpatium dedit vt & homo eadem arbitrij libertate elideret inimicum, qua illi ceſſerat: probans ſuam, non Dei eam culpam fuiſſe, & ita ſalutem digne per victoriam recuperaret, & diabolus amarius puniretur, ab eo quem ante eliſerat deuictus, & Deus tanto magis bōnus inueniretur, ſuſtinens hominem glorioſiorem in paradiſum ad licentiam decerpendæ arboris vitæ, iam de vita regreſſurum, &c. Hæc ille Tertullianus. Quæ ideo libuit aſcribere aliquanto prolixius, quo a mendaciſſimis atque impudentiſſimis extorqueremus ſui confeſſionem mendacij: aut ſaltem eius pudorem incuteremus. Nō pudet Caluinum illum, vt audiſti affirmare veteres omnes, vno Auguſtino excepto, tam obſcure, inconſtanter, & perplexe loqui de libero arbitrio, vt intelligere non poſſis quid certi de eo ſentiant, et hoc ſimplicioribus, et his quibus non vacauit excutere veteres, perſuadere conatur, cum ta-

> Vt ex malis deus meliora eliciens, ideo certamē cōſtituerit homini aduerſus diabolum a quo victus fuerat, vt recuperata de eo victoria & ipſi glorioſior in paradiſum eſſet regreſſus, & huic pœna acerbior.
>
> Perurgetur Caluinus & impudentiſſimi mendacij conuincitur.

men hocipſum ſciat falſiſſimum:aut ſi neſciat,efficiã vt intelligat. Audiſti Caluine pauloante Clemẽtem illum Apoſtolorum ſucceſſorem & diſcipulum: eorundem:& catholicæ eccleſiæ de illa ipſa libertate arbitrij, non ambiguam : obſcuram, inconſtantem : perplexam, ſed clariſſimam,& ſibi vndique conſonantem et conſtantem proferentẽ ſententiam,imo audiſti in Clemente, & ab ipſo Petro apoſtolorum principe aduerſuspatrem et primum doctorem veſtrum Simonem illum Samaritam, clariſſimis & minime ambiguis verbis eandem affirmari & aſtrui. Audis nunc etiam Tertullianum, eandem,non ſolum clariſſime explicantem:ſed etiam eruditiſſime aſſerentem:aduerſus eiuſdem Simonis diſcipulos,qui et Deum malorum faciebant authorem, & libertatem tollebant arbitrij: quod vtrunq; a Luthero, & vobis fit. Audis oſtendentem:& Dei bonitati,& infinitæ eius ſapientiæ multis rationibus congruere,vt ea ipſius imagine,ac ſimilitudine inſigniretur homo,nempe poteſtate liberi arbitrij : per quam fieret velut proprietas quædam boni in homine, quod non habebat ex natura : tametſi ea in vtranque partem valuerit:ſine qua nec merces iure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate, non voluntate ſuiſſet inuentus. Quin & ex lege homini data : comprobari eius libertatem : & de obſequio ſponte præſtando, & de tranſgreſſione ſponte committenda. Non enim, inquit, poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate : nec rurſus comminatio mortis, tranſgreſſioni aſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrij libertatem deputaretur homini : nec vniuerſum diſciplinæ ordinem : increpationes, dehortationes, incitamenta : niſi ad obſequium, & contemptum libero & voluntario homini:per præcepta diſpoſitum,factum autem hominem ea arbitrij libertate non vt peccaret, & peccando periret, quam adhuc,in vitam reſtitutum cupit : malens pœnitentiam quam mortem peccatoris, ſed vt ſub DEO obedienter & recte viueret, & eo velut merito perpetuo viueret. Nec tamen decuiſſe, vt præſciens hocipſum non facturum Deus, datam illi libertatem impediret arbitrij : nec ipſi imputari poſſe, quod ille ſibi mortem vitæ prælegit : cum hoc nec per infirmitatem, nec per ignorantiam quæ conditori imputari poſſet,fecerit : nec impoſuerit Deus legis pondus ,ſuſtinendi inualido : quum imbecillitatis nomine excuſabilem, cum mortis definitione non conueniſſet. Quinimo, quod idem homo, eadem libertate arbitrij,poſt victor euaſerit de eodem diabolo, cũ diuinis ſe legibus ſubmiſit,euidenter cõuincere,ſatis virium habuiſſe aduerſus illũ ab initio,niſi voluiſſet vltro illi cedere.Adeo autem bonum Deum, vt ex malis etiam meliora elicuerit, homini aduerſus inimicum a quo victus fuerat certamen conſtituens, quo aduerſus eundem recuperata victoria, glorioſior illi in paradiſum eſſet regreſſus, & hoſti pœnæ

Epilogus ſententiæ Tertulliani, de libertate arbitrij.

acerbior. Vides denique vt voluntati non tantum coactionem, ſed neceſſitatem opponat perpetuo. Vides poſtremo, vt huius aduerſus illius Simonis diſcipulos, & quam pauloante referente Clemente audiſti, ipſius Petri aduerſus veſtrum omniũ doctorem & magiſtrum, ſit eadem ſententia: quandoquidem, & ille, velut per ſe notum Simoni obijcit, tolli iuſtum Dei iudicium, ſi in ſua poteſtate non habeant quæ agunt homines: tolli leges diuinas & humanas: tolli magiſtratus: tolli religionem vniuerſam: denique Deum ipſum. At nemo in poteſtate ſua habet, quod aut agit, aut patitur neceſſario. Vt intelligas quale ſit illud ſpecioſum quorundam commentum, ad quod etiã Caluinus vbique confugit, & alijs pleriſque non parui nominis probari videtur, quo inter neceſſitatem & coactionem diſtinguentes, & hanc, non illã, aduerſari voluntario affirmãtes, pulchre atque ingenioſe ſibi videtur voluntatem ſeruare in hominibus, tametſi eadem, vniuerſa neceſſario agat aut patiatur, quæcunque videtur agere. Sed iſtiuſmodi argutia, nihil aliud, quam obſcurare videntur: ac diſſimulare quid inter nos controuerſum ſit. Hoc nempe quæritur, an homo eorum quæ agit liberam facultatem habeat, an ſecus? Habuit (vt ſupra demonſtrauimus) certa definitio traditionis eccleſiaſticæ ab ipſo eccleſiæ initio, eiuſmodi facultate præditum hominem. Eandem: magno conſenſu, & clariſſimis verbis aſtrui ab illis aquilis, illis ſanctis noſtræ religiõis ducibus, anteſignanis, & doctoribus omnibus ab initio, demonſtrare iam cœpimus. Quam nunc voluntatis, nunc libertatis, nunc arbitrij, nunc liberi arbitrij, deſignant vocabulo: eandem nihilominus illam quam ſupra indicauimus, liberam facultatem intelligentes. Sed hic obiter, eius admonere te lector voluimus, quando poſt incidet locus eius proprius.

Proinde cœpto inſiſtentes, pergamus, quem promiſimus aquilarum conſenſum congregationemque demonſtrare, & palam facere: ne quid dubites, illum eſſe ſenſum totius corporis: eam definitionem Eccleſiaſticam, quam Origenis ſæculo inter certiſſimas definitiones eccleſiaſticas haberi, & de quibus nulli Chriſtiano liceret ambigere, ex eiuſdem verbis intellexiſti ſuperius. Inter primos noſtræ religionis ſcriptores, qui ex Apoſtolorũ ſchola prodierunt, eſt etiam Ireneus Lugdunẽ. archiepiſcopus & glorioſus Chriſti martyr, b. Polycarpi Ioan. Euangeliſtæ diſcipuli auditor. Hic aduerſus Valentinum, Marcionẽ, cæteroſque illius Simonis diſcipulos, libri quarti cap. IX. tractans illud baptiſtę de Chriſto. Ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto et igne, palam habens in manu ſua, ad emundãdam aream ſuam: & fructum congregabit in horreum ſuum: paleas autem comburet igni inextinguibili. Homo vero, inquit, rationalis, & ſecundum hoc ſimilis Deo, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, vt aliquando qui-

Irenei de arbitrij libertate ſententia.

Hominẽ in arbitrio liberũ & ſuę poteſtatis, ſibi cauſã eſſe, vt vel frumentũ ſit vel palea, & propterea iuſto dei iudicio, in eo locũ eſſe.

do quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter & iuſte condemnabitur: qui rationalis factus, amiſit veram rationem: & irrationabiliter viuens, aduerſatus eſt iuſtitiæ Dei, tradens ſe omni terreno ſpiritui, & omnibus voluptatibus ſeruiens. Quid tibi videtur? nunquid hæc eſt aut perplexa, aut obſcura: aut ſibi prædictiſq; non conſtans ſententia? hominem factum liberi arbitrij, ſuæ poteſtatis, & qui ſibi cauſa eſt, vt nunc frumentum, nunc palea fiat, & eapropter iudicandum iuſte, quia ea amiſit quæ retinere poterat, ea admiſit, quæ poterat & non admittere, vides autem vt & hic intelligat hominis libertatem neceſſario prærequiri, vt diuini ſubſiſtat iuſtitia iudicij, quæ illa ablata non ſubſiſteret, & ne de primo tantum hic homine, & non de vnoquolibet noſtrum, loqui illum exiſtimes, audi rurſus, quid eodem libro conſequenter dicat. Nam diligentius eam ex ſcripturis aduerſus illam Simonis ſcholam aſſerturus libertatem arbitrij, & illud Chriſti ad Hieruſalem ex Euangelio inducens, Quoties volui congregare filios veſtros, & noluiſti. Poſuit, inquit, in homine poteſtatem electionis Deus, quemadmodum & in angelis. Etenim angeli rationabiles, vt hi quidem, qui obediſſent, iuſte bonum ſint poſſidentes, datum quidem a Deo, ſeruatum vero ab ipſis, ita qui non obedierunt, iuſte non inueniuntur cum bonis, & meritam pœnam percipient. Quoniam Deus dedit quidem benigne bonum, ipſi vero non cuſtodierunt diligenter illud, neque pretioſum arbitrati ſunt, ſed ſupereminentiam bonitatis contempſerunt. Abijcientes igitur bonum, & quaſi reſpuentes, merito omnes iuſtum iudicium incident Dei. Quemadmodum et Apoſtolus Paulus in epiſtola quę eſt ad Romanos, teſtificatus eſt, dicens ita: An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis: ignorans quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiem tuam, & cor impœnitens, theſaurizas tibimetipſi iram in diem iræ, et reuelationis iuſti iudicij Dei. Gloria autem & honor, inquit, omni operanti bonum. Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apoſtolus teſtatur in eadem epiſtola: & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cum poſſint non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, iudicium iuſtum recipient Dei, Quoniam non ſunt operati bonum, cum poſſent operari illud. Quid igitur Caluine? & hæc ne tibi obſcura, perplexa, & ſibi, prædictiſque non conſonantia videntur? Sed audi explicantem adhuc clarius eandem ſententiam, ſi tamen poſſit, explicari clarius. Nam ſequente deinceps Capite vehementius arietans & impugnans Simoniacæ illius ſcholæ impiam ſententiam: quia aſſerebant quoſdam naturaliter factos malos, vt & bonos alios, dicit ex eo conſequi: nec laudabiles hos eſſe quod boni ſunt, nec contra vituperabiles illos,

Dari nobis a deo ſuæ gratiæ bonum, ſeruari autem a nobis.

Libertas noſtra in bonis operibus.

Neminem merito laudari aut vituperari ex eo q̃d aut eſt aut agit patiturve neceſſario.

quod

quod mali: cũ hocipſum quod eſſent neceſſario eſſent. Orthodoxam, vero catholicæ eccleſiæ confeſſionem: & doctrinam hoc tenere, eiuſdem naturæ eſſe omnes homines, & potentes retinere & operari bonum, & potentes rurſum amittere id & non facere: Iuſte proinde etiam apud ſenſatos homines, quanto magis apud Deum, alios quidem laudari, & dignum percipere bonæ electionis & perſeuerantiæ teſtimonium: alios vero accuſari, & iuſto damno affici: eo quod iuſtum, & bonum reprobauerint. Multa deinde inducens diuinarum ſcripturarum oracula quibus Deus per prophetas ſuos, per Apoſtolos: atque etiam per ſeipſum nos exhortatur, iuſte & ſancte viuere, ſe quærere, ſuæ voluntati nos libenter ſubmittere & obſequi, & deterret ab horum contrarijs: omnibus his affirmat, oſtendi liberum: & ſuæ poteſtatis eſſe hominem. Cum alioqui fruſtra adhortaretur, hæc quidem nos facere, ab his vero abſtinere. Imo quoniam, inquit, liberæ ſententiæ ab initio eſt homo, & liberæ quoque ſententiæ Deus, cuius ad ſimilitudinem factus eſt, ſemper conſilium datur ei, continere bonum: quod perficitur ex ea quæ ad Deum eſt obedientia. Nec tantum in operibus, ſed etiam in fide liberum. & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſeruauit dominus, dicens, Secundum fidem tuam fiet tibi: propriam fidem hominis oſtendens, quoniam propriam ſuam habet ſententiam. Et iterum: Omnia poſſibilia ſunt credenti: Et, Vade, ſicut credidiſti fiet tibi. Quæ vniuerſa atque omnia eiuſmodi, ſuæ poteſtatis ſecundum fidem, oſtendunt hominem, & propter hoc: is qui credit ei, habet vitam æternam, qui autem non credit filio non habet vitam æternam: ſed ira Dei manet ſuper ipſum: Secundum hanc igitur rationem: & proprium ſuum erga hominem opus oſtendens, & nihilominus ſui arbitrij, ac ſuæ poteſtatis hominem ſignificans, dicebat ad Hieruſalem, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Quapropter relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Qui autem his contraria dicunt, ipſi impotentem introducunt dominum: ſcilicet quaſi non potuerit perficere hoc quod voluerit, &c. Inducens deinde blaſphemam impiorum aduerſus conditorem accuſationem & calumniam, quod tales fecerit angelos qui potuerint tranſgredi, & tales homines, qui ſtatim ingrati in eum exiſterent, iubet vt naturæ eorundem meminerint: ita fore vt ceſſent ab eiuſmodi in Deum blaſphemia. Quandoquidem & rationabiles, & examinatores, & iudiciales eos fieri oportuit: & non: quemadmodum irrationabilia: atque inanimantia, quæ ſua voluntate nihil poſſunt agere, ſed cum neceſſitate, & vi ad bonum trahuntur: in quibus vnus ſenſus, & vnus mos inflexibilis eſt, & ſine iudicio nec quicquam aliud eſſe poſſunt, quam quod facta ſunt. Cuiuſmodi naturæ ſi eſſent homines, nec ſuaue eis fore quod bonum, nec pre-

Neminem merito laudari aut vituperari ex eo quod aut eſt aut agit patiturve neceſſario.

Fruſtra hortari homines ad bonum, deterreri a malo, ſi liberę poteſtatis ſuæ non ſint.

Non tantũ in operibus ſed etiam in fide liberũ homini a deo ſeruari arbitrium.

Vt repellat blaſphemiã impiorum aduerſus cõditorem accuſationẽ. Q𝔡 tales fecerit homines q̃ ſtatim ingrati in ipſum extiterent.

Nullius merito æſtimationis fore bonos, niſi tales volũtate exiſtẽrent.

Nullã boni gloriã, ijs q ad ipſum nõ ſtuduerunt, nullã coronã niſi victoris in certamine.

nec pretioſam communicationem Dei, nec magnopere appetendum bonum, quod ſine ſuo proprio motu: cura: & ſtudio prouenisset, ſed vltro, & otioſe inſitum. Quin & nullius merito æſtimationis fore bonos, ſi natura magis quam voluntate tales exiſterent, & vltroneum ſed non ſecundum electionem ſuam bonum haberent, neque hocipſum, quale eſſet, intelligerent, proinde nec fruerentur eodem. Quę enim boni fruitio apud eos qui ipſum ignorãt? & quę gloria, ijs qui ad ipſum non ſtuduerunt? Quæ corona ijs qui non eam vt victores in certamine conſecuti ſunt? Propter quod dominus violentum dixit regnum eſſe cœlorum, et qui vim faciunt, inquit, diripiunt illud. Propter hoc et Paulus ait ad Corinthios: Nõ ſcitis, quoniam hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem qui agonizat, in omnibus continens eſt. Ille quidem vt corruptibilem coronam accipiat, nos autem incorruptã. Ego autem ſic curro, non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi aerem cædens, ſed liuidum facio corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte alijs prædicans ipſe reprobus efficiar.

Ad piorũ vtilitatem cõferre, vt ſint impij aliqui.

Bonus igitur agoniſta ad incorruptelæ agonem adhortatur nos, vti coronemur, & pretioſam arbitremur coronam: videlicet quæ per agonem nobis acquiritur, tanto ſiquidẽ pluris eam a nobis fieri, quanto pluris conſtiterit. Neq; enim ſimiliter, inquit, diligimus ea quę vltro adueniunt, atq; illa quæ cum multa ſolicitudine adinueniuntur. Quoniam igitur pro nobis erat plus diligere Deum: cum agone hoc adinuenire, & dominus docuit, & Apoſtolus tradidit. Quin & impiorum cæcitatem: malitiam: pœnas, efficere, vt pijs ſua pietas ſit gratior: ſuum ſtudium ad virtutem: bonitatem: Dei amorem: iucundius ac ardentius. Quemadmodum videntibus, ex cognita cæcorum infelicitate delectabilior viſus eſt: & ſanis, ex ægrotantium miſeria ſua iucundior ſanitas. Ad noſtram igitur vtilitatem conferre, etiam vt ſint impij aliqui, & erudiri eorum nos malo, Dei miſericordia nobis cognito, ad boni ſtudium, & perſeuerantiam in Dei amore, Deo quidem, inquit, magnanimitatem præſtante in apoſtaſia hominis: homine autem erudito per eam. Quemadmodum et propheta ait, Emendabit te abſceſſio tua: præfiniente Deo omnia ad hominis perfectionem, & ad ædificationem: & manifeſtationem diſpoſitionum ſuarum, vti & bonitas oſtendatur, & iuſtitia perficiatur, & eccleſia ad figuram imaginis filij eius coaptetur, & tandem aliquando maturus fiat homo, in tantis matureſcens, ad videndum & capiendum Deũ. Hæc ille ſanctus Ireneus glorioſus Chriſti martyr ac Pontifex, beati Polycarpi auditor, nõ nihil tamen contracta in compendium, aduerſus Simonis illius Magi & diſcipulorum eius ſententiam: Ex cuius, vt ſæpe diximus, ſchola etiam hoc quod nunc oppugnamus Euangelium prodijt. Quem ſi

obſcure

obſcure, inconſtanter, & perplexe loqui dixeris de libero arbitrio, vt intelligi ex his non poſſit certa & conſtantiſſima eius ſententia, ſcio quod velut mimum caluum: ridiculũ Caluinum, in proſcænium introducturus ſis.

Origenis ſententia, nõ ſolũ ex eccleſiaſtica definitione, ſed etiam ex rationis euidẽtia cõſtare, noſtræ poteſtatis eſſe vt recte, aut ſecus viuamus.

Adamantij illius Origenis poſt hunc, de eo quod inter nos controuertitur, niſi claram, certam, conſtantemque ſententiam, ex his quæ ſupra audiſti clariſſime intellexeris, hoc certum habeo veritati te aures obturare, & oculos claudere. Qui Libro tertio Periarchon vniuerſam hanc queſtionem, ab initio repetens ac diligenter pertractans. Tandem concludit, non ſolum ex eccleſiaſtica definitione, ſed etiam conſequentia rationis euidenter oſtendi, noſtræ poteſtatis eſſe, recte aut minus recte viuere: bene & male vti quibuſcunque extrinſecus incidentibus: ratione noſtra diſcernente ac dijudicante, quomodo his vti oporteat: nec ab eiſdem: vel (vt quidam putant) fatis nos cogi vrgentibus. Quodipſum etiam diuinarum ſcripturarum authoritate confirmans, poſt multa vtriuſque teſtamenti citata teſtimonia ſubdit, vniuerſam plane diuinam ſcripturam euidenter oſtendere nos liberi arbitrij poteſtatem habere. Alioqui perquam abſurdum eſſe, nobis dari mandata: ex quorum vel obſeruatione ſaluemur, vel præuaricatione damnemur. Cyprianum hic nullo certo loco cito, quando nuſquam de bonorum malorumque authore, & libertate arbitrij aduerſus Simonis diſcipulos illi incidit conflictatio. Tametſi vniuerſa eius ſcripta, quæ exhortationes ad virtutem: pietatem: iuſtitiam: continent, ſubſcribunt libero arbitrio. Ex quo, cum diuus Auguſtinus Libro IIII. aduerſus duas Pelagianorum epiſtolas citet quædam pro Dei gratia, quam illi ſic a nobis calumniabantur aſſeri, vt liberum tolleremus arbitrium, ita de eodem ſubiungit. Nunquid iſte ſanctus, tam memorabilis in verbo veritatis inſtructor, liberum arbitrium negat eſſe in hominibus, quia Deo totum tribuit quod recte viuimus?

Vniuerſam diuinã ſcripturã, euidẽter oſtẽdere nos liberi arbitrij poteſtatẽ habere.

Noua linea.

Cypriani ſentẽtia eadem.

Hylarius.

Iam & Hylarij illius Pictauorum Epiſcopi, & glorioſi Chriſti confeſſoris, fidem & ſentẽtiam percunctemur de quæſtione propoſita: num quam certam, explicatam, conſtantem: claram apud eum inuenire poterimus.

Is enarratione in Pſalmum II. indemutabilis naturæ Deum oſtendens, beatum equidem & perfectum: in ſe, & per ſe, nihil aliud quod in ſe poſſet incidere, per id quod ipſe ſibi totum totus eſt, reliquiſſe. Ex eius optima ac beneuola beatitudine perfectas omnes cœleſtium, & inuiſibilium creationes, ſpiritualium quoque conſtitutiones, & corporalium, non vt profectum ſibi ex his aliquem acquireret, ſed ad profectum eorundem quę creauit, demonſtraturus, in homine hocipſum præcipue exequitur. Quem, non quod officio, inquit, eius in aliquo eguerit, inſtituit, ſed quia bonus eſt, participem beatitudinis ſuæ con-

didit: & rationale animal, in vſum largiendæ æternitatis ſuæ, vita ſen
ſuque perfecit. Quodipſum verbis ſcripturæ affirmat. Sed nunc Iſra
el, inquit, quid dominus Deus tuus poſcit a te, niſi vt timeas domi-
num Deum tuum: & ambules in omnibus vijs eius, & diligas eum:
& ſeruias domino Deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &
cuſtodias præcepta domini Dei tui, & iuſtificationes eius, quæ ego
præcipio tibi, vt bene ſit tibi. Nullum a nobis, niſi innocentiæ, & re-
ligionis, & fidei obſequium Deus poſtulat. Amari ſe a nobis exigit:
non vtique amoris in ſe noſtri aliquem fructum percipiens, ſed amo-
re ipſo, nobis potius qui eum amamus profuturo. Nam amari ſe, ſi-

In condendis creaturis ſuis quo deus reſpexerit.

bique, nos obſequi: idcirco a nobis expetit, vt digni beatitudinis ſuæ
ac bonitatis munere, per meritum amoris ſui, & obſequij iudicemur:
Bonitatis autem vſus, vt ſplendor ſolis, vt lumen ignis, vt odor ſuc-
ci non præbenti proficit, ſed vtenti. Quod ergo ſumus, noſter pro-
fectus potius quam eius eſt: qui nos in id quod ſumus inſtituit. Quia
Deus bonorum eorum quæ in ſe ſunt æterna: nobis non inuidens, in
ſenſum nos atque vſum beatæ ſuæ bonitatis aſſumit. Sed qui perfe-

Per rationem & liberæ voluntatis arbitrium ſuæ nos beatitudinis capaces feciſſe.

ctus ac bonus eſt, bonitate in nos ac beatitudine ſua non ſine ratione
ac modo vſus eſt. Nam vnicuique noſtrum libertatem vitæ, ſenſum-
que permiſit, non neceſſitatem in alterutrum affigens, vt vnumquen
que ex natura, bonum malumve eſſe lex cogeret: ſed qui nos per bene-
uolentiam vtendæ beatitudinis ſuæ creaſſet, profectū nobis ad id me-

Vt neceſſitatē libertati perpetuo opponat.

ritumque vitæ innocentis, honeſtæque conſtituit. Quid enim hono-
ris, & præmij, bonitatis neceſſitas mereretur, cum malos nos eſſe, vis
quædam nobis conſerta non fineret? Voluntati ergo permiſſa boni-

Bonitatis neceſſitatē nec honore dignā nec præmio.

tas eſt, vt præmium ſibi voluntas bonitatis acquireret: vtque eſſet no
bis æternæ huius beatitudinis profectus, atque vſus ex merito: non
neceſſitas indiſcreta per legem, & quanquam nos ad voluntatem bo-

Voluntati permiſſam bonitatē, vt æternæ beatitudinis profectus nobis accederet ex liberæ voluntatis merito, qđ ſub neceſſitate nullū eſt.

nitatis, id eſt, ad bene honeſteque viuendum, per ſpem promerendæ
& vtendæ ſuæ bonitatis illiceret, pœnam deuitatæ & contemptæ bo
nitatis adiecit: vt cum libertatem nobis voluntatis ad bonitatem pro-
merendam reliquiſſet, quia meritum: neceſſitas naturæ non haberet,
libertatem ipſam propoſitus e contrario terror pœnę argueret. Atque
ita per rationem æqui atq; iuſti, ad meritum præmij, permiſſa liber-
tas eſt: & per bonitatem Dei, vis libertatis, metu conſtitutionis ar-
ctata eſt: vt bene velle, meriti ſpes moneret: malum nolle, propoſitæ
vltionis pœna ſuaderet. Itaque his, quibus ex voluntatis libertate ma

Vt arbitrij libertatem pœnæ terrore a malo prohibere voluerit.

litia magis placuit, vltio conſtituta, ira eſſe Dei creditur. Non quia
indemutabilis illa Dei, quietaque natura, motu impetus turbidi in-
caleſcat: ſed quod ille qui per conſtitutionem pœnæ maneat in pœnā,
ſentiat ſibi authorem huius conſtitutionis iratum. Pœna enim pati-

Ira dei in peccatores quæ.

entis; ira eſſe creditur decernentis, &c. Hactenus ille Hylarius memo-
rato lo-

rato loco. Qui, nunquid etiam dubie, obſcure, perplexe, incōſtanterq; de propoſita quęſtiōe loquitur, vt certi nihil intelligere poſſis quid ſentiat? vnicuique noſtrum vitæ libertatem ad bonum malumve permiſſam a Deo, non affixam neceſſitatem in alterutrum: quando bonitatis neceſſitas nec honorem mereretur, nec præmium. Voluntati proinde bonitatem permiſſam: vt præmium ſibi voluntas bonitatis acquireret: vtque eſſet nobis æternæ huius beatitudinis profectus atque vſus, ex liberæ voluntatis merito: quod neceſſitas non haberet. Hæc ne inquam dubia, perplexa, obſcuraque certam ſententiam non indicant? vides autem: vt voluntati, non coactionem, aut vim extrinſecam, vt nugantur plerique multi, ſed neceſſitatem opponat? Quod ipſum adhuc magis explicat enarratione in Pſalmum LI. verſiculo vltimo, vbi rationem reddens, cur Propheta: confeſſionem tantum extendat in ſæculum, ſpem autem in miſericordiam Dei, non ſolum in ſæculum, ſed & in ſæculum ſæculi, miſericordiæ etiam in futuro ſæculo ſuum locum & operationem in nobis fore affirmat: cum confeſſioni peccatorum, non niſi in huius ſæculi tempore locus ſit. Dum inquit voluntati ſuæ vnuſquiſque permiſſus eſt: & per vitæ licentiam, confeſſionis arbitrium habet. Decidentes nanque de vita: ſimul & de iure decidimus voluntatis. Tunc enim ex merito præteritæ voluntatis lex iam conſtituta, aut quietis, aut pœnæ, excedētium ex corpore, ſuſcipit voluntatem. Cuius temporis, non iam liberam, ſed neceſſariam voluntatem oſtendit Propheta, dicens, Non eſt mihi in diebus illis voluntas. Ceſſante enim voluntate libertatis, etiam voluntatis ſi qua erit, ceſſabit effectus. Tranſire nanque ad Abraham volens diues, chaos medio non ſinitur: cum tamen per libertatem voluntatis in Abrahæ ſinibus eſſe potuiſſet. Intercluſa eſt ergo libertas voluntatis, quia confeſſio nulla ſit mortuis, ſecundum id quod dictum eſt, In inferno autem quis confitebitur tibi? Vides vt hic clariſſime affirmet, voluntatem libertatis, cum hac vita durare & finiri: poſt hanc vitam voluntatem quidem manere intelligens, ſed non voluntatem libertatis ad oppoſita. Cum eis, quos iuſta damnatio pro demeritis excipit, voluntas in malum obſtinata ſit: quos vero æternæ beatitudinis gloria, confirmata in bono, vt ad malum declinare non poſſit, neceſſaria proinde quodammodo, & non plane libera illis voluntas eſt.

In hac vita vnumquē que ſuæ libertati permiſſum a cuius iure, nos vna cū vita decidere.

Poſt hāc vitam manere voluntatem, ſed nō libertatis ad oppoſita.

Imo etiam ad fidem, & non tantum ad opera iuſtitiæ noſtræ voluntatis libertatem ſe extendere, declarat enarratione in Pſalmum CXVIII. Ac ne, inquit, quod a multis dici ſæpe ſolet, rationis aliquam habeat authoritatem, cum aſſerunt, proprium Dei munus eſſe, vt quis in Dei rebus atque operibus verſetur: excuſantes infidelitatem ſuam, quod ceſſante erga ſe Dei voluntate maneant infideles. Eſt quidem in fide manendi: a Deo munus: ſed impediendi: a nobis origo

Etiam ad fidem noſtræ voluntatis libertatem ſe extendere.

Vt noſtræ volūtatis

 eſt.

et diuinę in nobis gratiæ diſtinguat officia & mutuo cõplexu coniungat. Inchoare noſtrũ, dei vero incipienti incremẽtũ dare,

eſt. Et voluntas noſtra hoc proprium ex ſe habere debet, vt velit: Deus autem, incipienti incrementum dare. Quia conſummationem: per ſe infirmitas noſtra non obtinet: meritũ tamen adipiſcendæ conſummationis, eſt ex initio voluntatis: Proinde, Pſalmum ita Propheta conclusit, Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, in æternum: propter retributionem. Cor ſuum ipſe inclinat, & ex naturæ humanæ peccatis in obedientiam deflectit. Natura quidem: & origo carnis ſuæ eum detinebat: ſed voluntas, & religio, cor eius, ex eo in quo manebat originis vitio, ad iuſtificationem opera declinat, &c. Declinat autem propter retributionem: certus ſcilicet ea fidei meritis reſeruari, & in his retributionem eſſe, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus his qui diligunt eum in Chriſto Ieſu, &c.

Rurſus enarrans illum eiuſdem Pſalmi verſiculum, Inclina cor meum in teſtimonia tua & non in auaritiam: Omnia, inquit Propheta, ad munus Dei retulit: ſiue vt lex iuſtificationum ſibi ſtatuatur a domino: ſiue vt ſibi intelligentia præſtetur: ſiue vt deducatur in ſemita: ſiue vt cor eius in teſtimonia inclinetur, &c. Sed forte per hanc Prophetæ religioſam modeſtiam, quiſquam impie loqui ita audebit. Si, inquit, omnia a Deo ſunt, humana ergo ignorantia caret culpa: cum nihil obtinere poſſit, niſi quod donatum a Deo ſumpſerit. Et primum, hoc impiæ eſt voluntatis, exiſtimare idcirco ea ſe quæ ſunt credentium propria non conſequi, quod ſibi a Deo indulta non fuerint: ſed omnem occaſionem huius impiæ excuſationis, Propheta ſubmouit. Primum enim, cum orat, conueniens infirmitati ſuæ egit officium: dehinc, Dei muneribus, humanæ deuotionis ſtudia connexuit. Cum enim ait, Legem mihi ſtatue domine viam præceptorum tuorum, quid ſecundũ orationis noſtrę humilitatem Dei eſſet oſtendit. Cum autem ſubiecit, & exquiram eam ſemper: officium deuotionis ſuæ protulit, & in cæteris quoq;, vtrunq; quodam complexu colligauit, cum deduci ſe in ſemita poſtulauit, & cum idipſum voluit: Prius enim quæ ad Deo ſunt, cum honore præpoſuit, & tunc quæ a ſe, cum confeſſione ſubiecit. Orat igitur vt Deus tribuat. Eſt ergo a nobis, cum oramus, exordium, vt munus ab eo ſit: dehinc quia ab exordio noſtro munus eſt eius: ex noſtro rurſum eſt, vt exquiratur, & obtineatur, & maneat. Hactenus Hylarius, quem vides vt noſtræ voluntatis, & diuinæ in nobis gratiæ, & diſtinguat, & mutuo complexu coniungat officia: & vt nulli ex Deo deſit, quo minus habeat quæ ſunt credentium propria, & ſalutem cõſequatur. Imo impiæ voluntatis eiuſmodi exiſtimationem eſſe. Nec puto lector, Caluino magis quam tuis oculis, auribus, & rationi te crediturum, etiam hunc obſcure, inconſtanter & perplexe loqui de libertate arbitrij: vt ex his certi nihil intelligere poſſis quid de ea ſentiat.

Impiæ voluntatis eſſe, exiſtimare quenq;, ideo ſe quę ſunt fideliũ propria nõ conſequi, quod ſibi a Deo indulta nõ fuerint.

Quin

Quin & magnum illum Baſilium audiamus quid etiã ipſe de hac quæſtione velut certum indubitatumq́ tenuerit,& Chriſtifideles docuerit. Is ſermone quodam,quod Deus malorum author non ſit,oſtendens,vnum peccatum,vere mali appellatione cenſeri,ipſumq́ a nobis exiſtere:et in noſtra optione eſſe,reijcere,an acceptare velimus:nec Dei eſſe opus,qui animam,non peccatum fecerit,tametſi vt boni,ita & mali,omnem animam capacem fecerit, quoniam,inquit,liberi arbitrij facta eſt, quod naturæ rationis participi,maxime conueniebat: ſoluta enim hæc omni neceſſitate,& vitam in ſua poteſtate cõſtitutam a Deo accipiens,ſeſe ad eius imaginem creatam eſſe nouit: ex quo proprium bonum gaudiumq́ intellexit:permanendiq́ in boni contemplatione poteſtatem ac virtutem habet:& dulci intelligibilium conſideratiõe,ſecundum ſuam naturam vitam cuſtodit. Habet autem a bono deflectẽdi quoq́ facultatem. Hoc enim contingit,cum beatæ oblectationis ſacietate affecta: & velut veterno quodam grauata:e ſtatu ſuperiore ad carnis delitias migrans,varijs ſe voluptatum libidinibus,immiſcet.

Baſilius de hac ipſa q̃ſtione,q̃d velut certũ crediderit & docuerit.

Liberi arbitrij factã animã, ſolutamq́ omni neceſſitate vitam in ſua poteſtate a Deo accepiſſe.

Imago dei.

Habere nos virtutẽ facultatẽq́ permanendi in bono, atq́ etiã deflectẽdi ab eodem.

Subijciens deinceps, vt ceciderit Adam,a tanta beatitudine, quam ex Dei atq́ operæ eius contemplatione acceperat,& ſuę conditionis felicitate,qua immortalis paradiſi,& regni cœleſtis perfrueretur delitijs. Tandem,inquit,rebus omnibus refertus,in deſidiam ac bonorũ ſatietatem ruens,apparẽs oculis delectabile,intellectuali pulchritudini prætulit,et ventris ſaturitatem intellectuali pulchritudine potiorẽ habuit. Ex quo ſtatim e paradiſo pulſus, extra beatã illam vitam fuit. Nõ ergo ex aliqua neceſſitate:ſed ex proprio conſilio liberæ facultatis peccauit:ob peccatum vero interijt, obſonium nanq́ peccati mors. Itaq́ mortẽ ſibi Adam ob diſceſſum a Deo parauit,ſecundum quod ſcriptũ eſt. Ecce omnes elongantes abs te peribunt. Quamobrem ſane apparet,Deũ, mortẽ non feciſſe,ſed noſmet ex mente praua ſponte eam attraximus.

Neminẽ vlla neceſſitate malum eſſe.

Inducens deinde quærentem aliquem ex aduerſo. Cur Deus talem non fecerit hominem ne peccare poſſet,quoniam, inquit, & tu ſeruos, non quando vinctos in cuſtodia retines beneuolos eſſe tibi exiſtimas; ſed cum ſponte erga te omnia vt oportet videris agere. Sic item Deo cum puta fore amicũ,qui non coactus, ſed ſponte ſua virtuteq́ illi obtemperat. Arbitriũ in nobis,optioq́ libera laudatur merito aut vituperatur. Is ergo qui creatorem incuſat vt parũ prouidum,parumq́ naturæ conſulentem humanæ, quod nobis peccandi non eripuerit arbitrium,nihil aliud opinari videtur,quam naturam ratione carentem,ea quæ rationis eſt particeps potiorem eſſe:& illa quæ nõ monentur, nec mente deguſtant,ijs quæ eligunt,iudicant,conferunt,præſtare,&c. Deſinamus ergo ſuperuacua quærere ad veram ſapientiam nos omnino recipientes: deſinamus, inquam meliora, quam Deus fecerit indagare,&c. Hæc ille Baſilius, cuius nunquid obſcura: perplexa: nec ſecum,

Cur Deus non fecerit hominẽ impeccabilẽ.

Neminem deo amicũ eſſe poſſe, niſi q ſponte ſua, virtuteq́ illi, obtẽperat.

nec cum prædictis quos audiſti, conſtans tibi videtur ſententia? Affirmat liberi arbitrij factam animam, & hoc naturæ rationali maxime conuenire, imo neceſſario conuenire: quemadmodum in poſterioribus verbis clariſſime innuit. Solutam omni neceſſitate vitã in ſua poteſtate a Deo accepiſſe, & in eoipſo imaginem Dei referre. Audis habere virtutem facultatemque permanendi in bono, atque etiam deflectendi ab eodem. Audis neminem vlla neceſſitate malum eſſe: vtque nemo Deo amicus ſit aut eſſe poſſit, niſi qui non coactus ſed ſponte ſua virtute illi obtemperat.

Quæ rationalis & liberæ in nobis poteſtatis partes ſint.

Non culpari merito corpus aut carnem noſtrã ſi per licentiam laſciuiat, ſed voluntatem noſtrã, quod eandẽ non frenat.

Similitudo aptiſſima.

Rurſus in inſtitutione aſpirantium ad vitã perfectam, docens qualis ſit agenda cura corporis. Duplex eſt, inquit, omnino vis animæ: vna animalis, quæ corpori vitam tribuit: altera rationis particeps, & theorica. Prima, in noſtra quidem poteſtate non eſt: veluti ſol, qui ſplẽdorem ſibi coniunctum habet, ſic anima corpori inſita facere nequit, quin ei vitam tribuat. At virtus theoretica, optionis eſt noſtræ. Eius partes ſunt, corporis impetum, atq; appetitum regere: quod ſi non frenetur, ſi per licentiam laſciuiat, non corporis cauſa, ſed voluntatis ac rationis ei dominantis fuerit. Quamobrem, non, vt quidam exiſtimant, corpus malum, aut reprehendendum. Eius nanque inſtrumento, ad vitam beatam conſequendam plurimum vtimur. Nam & agenti aliquid ſecundum virtutem, & contemplanti, ſano corpore opus eſt. Paret omnino ſi regatur: aſſentitur, modo perſuadeatur: ſequitur, modo ducatur: quieſcit, modo conſilia monentis, ferulam, obiurgationes atq; etiam vulnera ſentiat: haud aliter, quam equus quidam, qui quanto validior animoſiorque fuerit, tanto magis auriga rectoreque indiget: ſi enim dormitantem negligentemque nactus fuerit equitem, ob ferocitatem, in prorupta illum deducit. Si vero, quo decet modo regatur, accommodius eiſdem fuerit, & ad execrandas animæ vires magnum illi præſtabit adiumentum. Vt igitur equi natura, per ſe mala non eſt, ſic nec corporis erit: ſed vtentis tantum, & id regere neſcientis negligentia. Hactenus ille. Breuiter, vniuerſa huius viri ſcripta, libertatem arbitrij euidenter aſſerunt.

Hieronymi certiſſima & clariſſima ſententia de libertate arbitrij.

Iam & orthodoxum illum, & minime ſimulatorem audiamus Hieronymum, quam de hac quæſtione teneat velut certam definitamq; catholicæ eccleſię ſententiam. Epiſtola vna ad Damaſum, illũ Euangelij locum explicans de patre, qui inter duos filios diuiſit ſubſtantiam, et primo illum patrem Deum ſignificare: duos filios, humani generis vniuerſitatem: ſubſtantiam Dei inter hos diſtributam, omne, quod viuimus, ſapimus, cogitamus, in verba prorumpimus, quæ Deus vniuerſis in commune largitus ſit, dicente Euangeliſta: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ. Quanquam quod nos legimus, Qui diuiſit eis ſubſtantiam, ſignificantius

in græ-

in græco hoc pacto legi affirmat, καὶ ἀπείλῳ αὐτὸς τὴν βίον, id eſt, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnuſquiſque, non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo: id eſt, non ex neceſſitate, ſed voluntate: vt virtus haberet locum: vt a cæteris animantibus diſtaremus, dum ad exemplum Dei permiſſum nobis eſt facere, quod velimus, vnde & in peccatores æquum iudicium, & in ſanctos & iuſtos, iuſtum præmium retribuetur. Audis opinor, non obſcuram, non perplexam, non ambiguam, ſed clariſſimam ſententiam. Audis donatos nos libero arbitrio & mentis propriæ libertate, & vnumquenque viuere, non ex Dei nutu & imperio, ſed ſuo obſequio: non neceſſitate, ſed voluntate: quo virtuti eſſet locus: quo velut ad imaginem Dei conditi, excelleremus animantia cætera: quo denique æquum eſſet & in peccatores, & in iuſtos, Dei iudicium: quod nullum foret ſublata nobis libertate arbitrij. Audis denique vt voluntati neceſſitatem, non coactionem ex æquo opponat, & ne vno hoc loco ita, alibi vero aliter ſentire & docere exiſtimes Hieronymum, Quæſtione decima ad Hebidiam locum illum Pauli ad Romanos, de Eſau, Iacob, & Pharaone, ſane quam obſcuriſſimum, tractans, & ad hoc deducta inprimis Apoſtolicæ lectionis ſerie, quod ex electione non ex operibus propoſitum Dei in illis peractum ſit, ſecundum hoc quod ad Moyſen dictum eſt. Miſerebor cui miſertus fuero, & miſericordiam præſtabo cum miſerebor. Cum ex hoc multis, videatur conſequi, nihil eſſe in noſtra facultate & arbitrio poſitum, ſed vniuerſum eſſe miſerentis Dei, & quod hi aſſumantur, & quod illi relinquantur, præſertim cum vt Iacob abſque vllo ſuo merito dilexerit, ita Eſau, abſque vllo ſuo merito odio habuerit: qui in ſcriptura etiam ad Pharaonem ita loquitur, In hocipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuerſa terra: proinde fruſtra illum queri aut cauſari nos, vel bona non feciſſe, vel feciſſe mala: cum voluntati diuinæ reſiſtere nequeat humana fragilitas. Hanc, inquit, validam rationem, ſcripturarum ratione contextam & pene inſolubilem, breui Apoſtolus ſermone diſſoluit dicens, O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? Hoc nempe his paucis verbis ſignificans, intelligere quenquam, ex non intellectis obſcuriſque ſcripturarum locis, falſam ſe imaginari ſententiam. Nam ex eo quod in hunc modum reſpondes Deo, & calumniam facis, & de ſcripturis tanta perquiris, vt contra Deum loquaris, & iuſtitiam voluntatis eius incuſas, oſtendis te liberi eſſe arbitrij, & facere quod vis, vel tacere vel loqui. Si enim in ſimilitudinem vaſis fictilis a Deo creatum te putas, & illius non poſſe voluntati reſiſtere, hoc conſidera, quia vas fictile non dicit figulo, cur me feciſti ſic? figulus enim habet poteſtatem de eodem luto aut eadem

Donatos nos libero arbitrio, vt viueret quiſque non ex nutu Dei, non ex neceſſitate, ſed ſua voluntate, quo et virtuti locus eſſet, & diuinę in nobis imagini, & iuſtitiæ diuini iudicij.

Voluntati neceſſitatē nō coactionē ex æquo opponi.

Vt Pauli locū, de Eſau Iacob & Pharaone tractans reducat & abſoluat aduerſus negantes libertatem arbitrij.

 maſſa

maſſa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facere. Deus autem, æquali cunctos ſorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnuſquiſq; quod vult, ſiue bonum, ſiue malum. Intantum autem dedit omnibus ſui poteſtatem, vt vox impia diſputet contra creatorem ſuum, & cauſas voluntatis eius ſcrutetur, &c.

Rurſus libro Quæſtion. ſeu traditionum Hæbraicarum in Geneſim, explicans iuxta veritatem Hæbraicam, verba domini ad Cain, iraſcentem atque indignantem fratri, quod videret eius ſacrificium acceptum Deo, ſuum vero reprobari. Quare, inquit, iraſceris, & quare concidit vultus tuus? Nonne ſi bene egeris dimittetur tibi, & ſi non bene egeris ante fores tuas peccatum tuum ſedebit? & ad te ſocietas eius: ſed magis dominare eius. Quod autem dicit, hoc, inquit, eſt, quare iraſceris, & inuidiæ in fratrem liuore cruciatus vultum demittis in terram? nonne ſi bene feceris dimittetur tibi omne delictum tuum: ſiue, vt Theodotio ait, acceptabile erit aut ſuſcipiam munus tuum, vt ſuſcepi fratris tui? Quod ſi male egeris illico peccatum ante veſtibulum tuum ſedebit, & tali ianitore comitaberis. Verum quoniam liberi arbitrij es, moneo, vt non tibi peccatum, ſed tu peccato domineris. Hactenus ille Hieronymus. Iterum in Matthæ. capite quinto. Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur. Alioqui vbi neceſſitas, nec corona eſt. Quem intelligis opinor, non perplexe, ambigue, aut inconſtanter locutum, de libero arbitrio.

Nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate nos trahi. Vbi enim neceſſitas, coronã non eſſe. D. Ambroſij cõſonãs prædictis, imo eadem de arbitrij libertate ſententia.

Non poſſum etiam Ambroſium non aduocare, in hunc confeſſum, atque eius percontari ſententiam. Quam vide num certam claramq; ex his quæ ſcribit libro primo de Iacob & vita beata: poſſis intelligere. Sapientiam equidem, diſciplinam & iuſtitiam, ſtudio, & doctrina acquiri atq; accipi affirmans, eo quod in ſtudio, ſit etiam obediendi conatus: obedientiam autem, in vtramlibet partem propenderit, aut culpam inducere, aut gratiam. Eam in Adam primo, nos pertraxiſſe ad mortem: Eandem in Adam ſecundo nos ad vitam vocaſſe. Non eſt, inquit, quod cuiquam noſtram aſcribamus culpam: quam noſtræ voluntati, Nemo tenetur ad culpam, niſi propria voluntate deflexerit: non habent crimen quæ inferuntur reluctantibus, voluntaria tantum commiſſa, ſequitur delictorum inuidia, Non eſt quod culpam deriuemus in alios, voluntarium ſibi militem legit CHRISTVS, Voluntarium ſeruum ſibi auctionatur diabolus, neminem iugo ſeruitutis aſtrictum poſſidet, niſi ſe prius peccatorum ære ei vendiderit. Quid carnem quaſi infirmam accuſamus? Membra noſtra arma ſunt iniquitatis, & arma iuſtitiæ, quod ipſum multis ſubiectis exemplis declarans, concludit, affectum, non carnem eſſe, qui author culpæ ſit, Carnem autem, voluntatis miniſtram. Non

ergo

ergo vendat nos,inquit, voluntas noſtra, per quam ſolam, nos in ſeruitutem tradimur, confirmante hocipſum Apoſtolo, Neſcitis, inquit, quoniam cui exhibuiſtis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis? ſiue peccati in mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam? In vtranque partem concludit ſeruitutem eſſe: ſed hanc eſſe veram libertatem, Qui enim in domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt domini: pretioſa hæc ſeruitus, æque & glorioſa libertas. Hactenus Ambroſius, Qui nunquid aut ambigue, aut inconſtanter, aut obſcure loquitur? Neminem ad culpam teneri, niſi propria voluntate deflexerit: voluntaria tantum commiſſa ſequi delictorum inuidiam, voluntaria ſeruitute nos aut Chriſto, aut diabolo ſubijci. Voluntarium autem, vt audiſti, intelligunt omnes, quod in poteſtate noſtra eſt, vt ſit, aut non ſit, nec neceſſitati ſubijcitur, vnam enim neceſſitatem ex æquo voluntati, aut voluntario, quod iam toties demonſtrauimus, opponi omnes intelligunt. Sed D. Ambroſij hac de re ſententiam, certius clariuſque explicandi adhuc poſt incidet locus opportunior,

D. Chryſoſtomi nihil eſt opus ſciſcitari ſententiam, vt quem vnum ſingulariter, inter veteres, calumniatur Caluinus exceſſiſſe modum in extollenda humanæ voluntatis facultate. Libet tamen, quando ſcriptores eccleſiaſticos omnes ita ambigue, aut varie in hac re loquutos idem affirmat, vt certum quippiam ex eorum ſcripturis haberi nequeat, verba eius ſubijcere, ex Homil. XVIII. in Geneſim, vt etiam in hoc, quemadmodum in ſuperioribus omnibus, mendaciſſimum intelligas.

D. Chryſoſtomi eandem cum prædictis ſentētiam, vt confeſſam ab aduerſario, paucis demonſtrare.

Quemadmodum, inquit, incurabilia vulnera neq; auſteris medicamentis cedunt, ita & anima ſemel captiua, ſi ſe peccato cuipiam obnoxiam fecerit, conſiderare non vult quæ ſibi ſunt vtilia: etiam ſi quis innumera inculcet eius auribus nihil proficiet, nec vllam ex admonitione vtilitatem ſuſcipit: non quia non poteſt, ſed quia non vult, non enim, ſicut in corporalibus vulneribus videri ſolet, ita & in voluntate, Nam in corporibus, naturæ affectiones ſæpe immobiles ſunt: in voluntate autem: non ita res ſe habet, quandoquidem nemo tam malus eſt, quin ſi voluerit mutari poſſit, & bonus fieri: ſicut contra qui bonus, etiam excidere per ignauiam, & malus fieri. Quia liberi arbitrij eſſe noſtram naturam fecit omnium dominus. Ipſe enim quæ ſua ſunt pro ſua miſericordia ſemper exhibet, & ſciens abſcondita in profundo mentis & arcana: laudat, conſulit, conatuſque noſtros incitat & allicit, & neceſſitatem vtique non imponit, ſed congruis remedijs appoſitis totum iacere in ægrotantis ſententia dimittit. Et hæc ipſa in Cain declarat & exequitur.

Liberi arbitrij natura noſtra.

Deū nulli deeſſe, ſed q̃ ſua ſunt, pro ſua miſericordia ſemper exhibere.

Quid ergo tibi aut mentis, aut frontis eſt Caluine? Needum te tui pudet?

Impudentiſs. mēdacij peturgetur Caluinus.

pudet? Adhuc audes dicere veteres omnes, excepto vno Auguſtino, ſic in hac re, aut variare, aut vacillare, aut perplexe loqui, vt certi nihil ex eorum ſcriptis referre liceat? Certe ſi quiſquam eorum eſt omnium qui hac de re aut varie, aut ambigue, aut perplexe loquitur, is vnus Auguſtinus eſt. Qui tamen quid certi hac de re ſentiat, & quam perfide, quam maligne a vobis trahatur in veſtram ſententiam, mox demonſtrabimus. Cæteri vero omnes, quam conſonanter, quam certo, quam clare, hac de re loquantur, tam, inquam, certe, quam de re certiſſima, & notiſſima omnium, vtq; veſtram, ex Simonis illius ſchola, iam olim ſub anathemate & execratione ſepulta, reuocatam ſententiam: velut in Deum blaſphemam, & in vniuerſum genus humanum iniuriam, damnari totius orbis conſenſu, damnari eccleſiæ, damnari ſcripturarum authoritate affirment, ex prædictis euidens factum cuique exiſtimo.

Liberius locutos fuiſſe ſ. patres omnes de libero arbitrio, ante quā poſt, Pelagium.

De quibus vnum hoc mihi admonendus es lector, vniuerſos ante Pelagium, qui primus, ex libertate arbitrij bellum indixit diuinæ gratiæ, multo liberius locutos de libero arbitrio, quam eos qui ſubſecuti ſunt. Cum illorum, in aſſerenda arbitrij libertate, omnis intentio, aduerſus vnam illam dirigeretur Simonis, diſcipulorumq; eius ſententiam, quæ tollebat liberum arbitrium: nec vlla tunc eſſet quæſtio de diuina gratia. Proinde intelligendi ſunt omnes, illam ſemper, velut omnibus paratam, atq; obuiam: includere, non excludere, in his quæ attribuunt facultati liberi arbitrij. At poſt indictam per Pelagium pugnam diuinæ gratiæ, ex his quæ ab omnibus vno conſenſu libero tribuebantur arbitrio, neceſſe erat de eo ipſo loqui cautius, & diligenter ſuum cuique tribuere, & diſtinguere, atque ita aſſerere libertatem arbitrij, ne diuinæ gratiæ videretur iniuria fieri, vtq; ſic damnaretur Simonis, & ſuorum impietas, ne inde impietatis arma in altero extremo conſtitutus Pelagius caperet. Aeque tamen catholicorum omnium: & ante, & poſt Pelagium, vnus conſenſus, vna manſit de libertate arbitrij ſententia: nec quiſquam ſeu orthodoxorum, ſeu hæreticorum eandem negaſſe inuenitur, præter vnum illum Simonem cum ſuis diſcipulis, in quorum & vos iam demigraſtis familiam: ſed omnes, vt audiſti, primum eſſe docent, his qui noſtræ philoſophiæ veritatem aſſequi deſyderant, vt intelligant liberi ſe eſſe arbitrij, & in ſua poteſtate habere, recte & ſecus viuere, prout voluntas, & animi iudicium, hac, illacve declinauerit. In poteſtate nos habere diuinis verbis & admonitionibus credere, mandatis vitæ obſequi, & eorum nos iugo ſubdere, aut ab illis auerti. Hoc diuinæ bonitati & infinitæ eius ſapientiæ multis rationibus congruere, vt ea ipſius imagine inſigniretur homo: poteſtate hac, inquam, liberi arbitrij, per quam fieret velut proprietas quædam boni in homine,

Epilogus dictorū a ci tatis patribus, de libero arbitrio.

mine, quod non habebat, in natura: per quam quiſque ſibi vni imputare poſſet, quod ſit palea exurenda igne terribilis iudicij, & non frumentum colligendum in horreum dominicum. Nulla neceſſitatis vi, hac illacve ineuitabiliter nos duci, trahi, aut impelli: omni neceſſitate ſolutam animam, & vitam in ſua poteſtate conſtitutam a Deo accepiſſe. Quandoquidem nec boni nec mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate, non voluntate fuiſſet inuentus: nec laudabiles bonos, quod boni ſunt, aut vituperabiles malos, quod mali, ſi hocipſum quod ſunt, eſſent neceſſario: neque hocipſum dependeret ex libero eorum arbitrio. Quin etiam ad fundamentum, aut initium vitæ ſpiritalis, nempe fidem, hocipſum extendi: ne ſit & impijs ſuæ infidelitatis excuſatio, ſi in poteſtate ſua non haberent credere: nec contra pijs nulla merces, ſi eis nihil ad hoc cooperantibus, agentibus, aut ſe præparantibus, diuinitus, tantum daretur vt crederent. Quid enim honoris, aut præmij, inquit, ille Hylarius, bonitatis meretur neceſſitas, cum malos nos eſſe vis quædam conſerta non ſineret? Voluntati proinde permiſſam bonitatem, vt præmium ſibi voluntas bonitatis acquireret: vtque eſſet nobis æternæ huius beatitudinis profectus atque vſus ex liberæ voluntatis merito, quod neceſſitas non haberet. Impię hoc voluntatis eſſe, quenquam exiſtimare, idcirco ea quæ ſunt credentium propria: ſe non conſequi, quod ſibi a Deo indulta non fuerint, Neminem vlla neceſſitate eſſe infidelem aut malum: vt contra nec quiſquam Deo amicus eſt, niſi qui ſponte ſua virtuteque, & non neceſſitatis vi quadam illi obtemperat. Breuiter ex intellecta libertate arbitrij, primo intelligi iuſtum Dei iudicium, in eos qui hic impie vixerint, & libidinibus & ſceleribus ſe cōtaminauerint: Quemadmodum & quod pios, & ſe inquirentes æterna præmia retributurus ſit. Quomodo enim (vt beatiſſimi Petri aduerſus illum Simonem verbis, omnium ſententiam exprimam) Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquenque, ſi agere quod egerunt aut non egerunt, in poteſtate non habuerunt? Imo hoc vno veſtro recepto contrario dogmate, conuelli, confundiq; diuina & humana omnia: auferri omne ſtudium ſectādi meliora ex hominibus: auferri omnem eruditionem: omnem bene viuendi diſciplinam: leges, & diuinas, & humanas ſtultas eſſe oportere: ne dum magiſtratus fruſtra præeſſe, exactores legibus: tranſgreſſores, & ſontes iniuſte puniri: omnem effrenatæ mentis in quiduis libidinem permiſſis laxatiſq; habenis induci: iuſtitiam, ſanctimoniam, omnem deniq; virtutem vno hoc veſtro dogmate profligari ex conuentu hominum: omnem religionem, atque adeo Deum ipſum: tolli e medio. Hæc eſt omnium quos audiſti ſanctorum patrum: & noſtræ religionis doctorum præcipuorum, ab ipſis Eccleſiæ incunabilis, ex toto orbe terrarum, maximo conſenſu: ad

nos perducta ſententia. Hæc ille primus Chriſtiani ouilis a Chriſto inſtitutus paſtor Petrus, cui vt præ cęteris iuſſerat hæſitantes fratres confirmare in fide, ita pro vnius fide ne deficeret, aut erraret, ſingulariter rogauit patrem, & exauditus eſt pro ſua reuerentia. Hæc eiuſdem auditor, diſcipulus, ſectatorq́ꝫ continuus, & in paſtorali cura dominici gregis ſucceſſor, Clemens. Hæc ille Tertullianus florens, eius ſæculi eruditiſſimus, continuo poſt apoſtolicorum illorum virorum tempora. Hæc ille Ireneus Galliarum Epiſcopus, glorioſus Chriſti martyr, & ipſe B. Polycarpi auditor. Hæc magnus ille Baſilius Cæſariæ Cappadociæ Epiſcopus. Hæc Hylarius, glorioſus Chriſti confeſſor, & Pictauorum Epiſcopus. Hæc ille ſacer Ambroſius, ille Hieronymus, ille Chryſoſtomus, de Auguſtino mox videbimus. Hæc omnes qui illos ad nos vſque ſubſecuti ſunt, toto orbe terrarum orthodoxi. Hæc Ethnici quoq́ꝫ philoſophorum, omnes denique quibus mens ſana eſt & ratio, ex euidenti rationis lumine: quorum ſententiã Cicero, de natura Deorum, fato, & præſcientia diſputans, exprimit, ex ſublato libero arbitrio, dicens euidenter conſequi, vt omnis humana vita ſubuertatur: vt fruſtra datæ ſint leges, fruſtra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationeſque exhibeantur: neque vlla iuſtitia, bonis præmia: malis ſupplicia poſſe conſtitui.

Concluſio ex p̄dictis. Quæ cum ita ſint, non ſolum impudentiſſimum Caluini mendacium euidenter detectum eſt, quo affirmat omnes veteres ſcriptores, vno Auguſtino excepto, ita ambigue, varie, inconſtanter, obſcureque loqui de libero arbitrio, vt nihil certi ex eorum ſcriptis intelligere poſſis quid ſentiant: ſed etiam luce clarius cuique patet, ea quam nonnunquam indicauimus, energia noui huius Euangelij: quod ſuos profeſſores mox ſibi eripit, & ſpiritu erroris, vertiginis, & prodigioſæ cæcitatis ſibi addictos afflat: atque etiam replet continuo, vt videntes non videant, imo clariſſimę atq́ꝫ euidentiſſimæ veritatis lucem non videant: omnem mentem, omnem frontem ſuis eripiat: Si is eſt hæreticus, & talis ab ipſo Eccleſiæ initio eſt habitus, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quam habeat definitio traditionis eccleſiaſticæ. Habuit autem certa definitio traditionis eccleſiaſticæ, toto orbe recepta: etiam Origenis ſæculo, eſſe hominibus poteſtatem liberi arbitrij, per quam & bene & male nobis viuere liceat, nulla vi neceſſitatis adductis ad vnum aut alterum, quam & tot illi, taleſque quot citauimus patres ex omnibus & ſæculis, & orbis regionibus tanto conſenſu proferentes clariſſime expreſſerunt: quid de his hominibus cenſendum eſt, qui ex obſcuro & ſibi non intellecto vno ſcripturæ loco aut altero, quaſi aut primi, aut ſoli ſcripturas legerint, his ex aduerſo ſuam ſententiam aut inſaniam potius audent ſtatuere? Hoccine eſt humiliter de ſe ſapere? hoc, eſſe in oculis ſuis paruulum?

Sed

Sed iſta eſt, vt dixi, vis & energia noui huius Euangelij, vt addictis ſibi omnem mentem, omnem frontem eripiat: vt clauſis ad omnia oculis, nihil ipſos pudeat, quantumuis abſurdum, quantumuis damnatum omnium ſæculorum totius eccleſiæ præiudicio, fortiter & audacter aſſerere.

FINIS SECVNDI LIBRI.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber III.

Quandoquidem vnum veterum omnium Auguſtinum, vt certe aliquid aſſerentē, ita & ſuæ ſententiæ plane ſubſcribentem producunt aduerſarij, & exiſtimatur etiā ab orthodoxis pleriſq; libertati humani arbitrij iniquior, ex libris eius vniuerſis certam, claram: ſibiq;, & prædictis per omnia conſonantem ſententiā eius de libertate arbitrij hoc libro demonſtrabimus.

ERRANT HOMINES, VT EIVSDEM Auguſtini verbis dicam, non ſeruantes modum: & cum in vnam partem præcipites ire cœperint, ea ſola obſeruant quæ conſtitutæ iam apud ſe ſententiæ videntur ſubſcribere: quam, non ex ſcripturis concipiunt, ſed ad ſcripturas afferunt: atq; eo fit, vt diuerſa diuinæ authoritatis teſtimonia non reſpiciant, quibus reuocari poſſent ab eiuſmodi ſententia, atq; ei quæ ex vtriſq; temperata eſt veritati & moderationi acquieſcere. Quod vt ſemper omnibus hæreticis vſu veniſſe res ipſa comprobat, ita aduerſarios noſtros eiuſdem farinæ & notæ homines, non degeneraſſe ab illis ſuis patribus ipſa nunc luce reddemus illuſtrius.

Audiſti ſuperius, vt veteres omnes, velut a ſuffragij iure depellens Caluinus, ita ambigue, varie, aut perplexe hac in re loquutos affirmat, vt certum quippiam ex eorum ſcriptis haberi nequeat.

Quod quam verum ſit, ex libro præcedenti iam nunc lector intelligis, vnum Auguſtinum excipit, quem & clare, & conſtanter definire hanc controuerſiam, & pro aduerſariorum ſententia definire aſſerit. Ad hoc citans abruptas aliquot, nec intellectas, eius ſententias, vt qui aduerſus Iulianum libro decimoquarto, nihil dubitet ſeruum ap-

pellare arbitrium. Et in Iohannem, tractatu LIII. ſine ſpiritu liberam non eſſe hominis voluntatem affirmat, cum concupiſcentijs vincatur. Et de perfectione iuſtitiæ lib. III. victam vitio in quod cecidit voluntate, cœpiſſe carere libertate naturam. Rurſus in Enchi. cap. XXX. Hominem libero arbitrio male vſum & ſe & arbitrium ſuum perdidiſſe. Quin & alibi iocoſe eludere vſum eius vocis, dicendo, liberum quidem eſſe arbitrium, ſed non liberatum: liberum iuſtitiæ, ſeruum peccati. Sed mirum eſt tam multa in diuerſam ſententiam clariſſime dicta ab eodem Auguſtino, imo etiam illiſipſis locis vnde hæc trunca contra ſuam ſententiam citantur, non potuiſſe hunc reuocare ab ea, quam ex nouo hoc ſecundum Lutherum Euangelico hauſit, falſiſſima, peſtilentiſſimaq́ ſententia: quandoquidem vni Auguſtino, inter omnes veteres, induxit in animum credere.

Quã diuerſa orthodoxis ante, q̃ poſt Pelagium de libero arbitrio ſcribẽdi ratio fuerit.

Cuius & certiſſimam, & ſibi vndiq́ conſonam ſententiam clariſſime intelligas, hoc fac perpetuo memineris quod ſupra admonuimus, ante Pelagium, orthodoxis omnibus vnam fuiſſe pugnam aduerſus Manichæum, Valentinum, Marcionem, cæteroſq́ illius Simonis diſcipulos, de libero arbitrio: quod cum hi tollerent ex hominibus, orthodoxi omnes coniuncta manu illudipſum aſſerebant quanta vi poterant: ſæpe nullam faciẽtes mentionem de diuina gratia, vt de qua nulla tunc moueretur quæſtio, aut controuerſia: atq́ ita indiſtinctius efferebant liberum arbitrium. Eiuſmodi vniuerſa fere inuenies, quæ aduerſus Manichæos ab eodem Auguſtino ſcripta ſunt, quæ ſunt quam plurima: vt liber ille de duabus animabus aduerſus Fortunatũ Manichæum, de Geneſi ad literam: contra Fauſtinum Manichæum, contra Felicem Manichæum, de natura boni: contra Secundinum Manichæum: atq́ alia pleraq́. Quorum omnium ſententiam, quatenus liberũ arbitrium concernit, tribus libris complexus eſt, quos de libero arbitrio proprie inſcripſit.

Tres velut claſſes librorum & ſcriptorum Auguſtini, de libero arbitrio. Prima, aduerſus Manichæos, ante Pelagiũ.

At introducta iam per Pelagium diuerſa de libero arbitrio hæreſi, quod nimium efferendo, diuinam gratiam euacuare conatus eſt, omnes conuerſis ſignis in hunc arma verterunt. Inter quos fere acerrimus, & maxime vehemens idem Auguſtinus extitit. Itaq́ quæcunque ea de re ſcripſit poſt introductam eam (quod operibus ſuis teſtatur) pugnam, multo, vt poſt audies, cautius, & magis ſobrie ſcripta ſunt. Sunt autem ea duorum generũ, Quædam enim ſunt conflictationes aduerſus illum ipſum Pelagium: atque eius ſectatores & diſcipulos, in quibus vniuerſa eius intentio verſatur, in aſſerenda atq́ efferenda diuina gratia, & deprimendo, quantum poteſt, libero arbitrio: quod eius pugnæ ratio exigebat, Quando ex falſa opinione libertatis, ſed nimiæ, vniuerſa pendebat aduerſariorum impietas. Et in his, libero arbitrio alicubi videtur iniquior, et tam parũ illi quam poteſt tribuit: eius facultatẽ vel extenuat, vel diſſimulat, vel eludit: certe

Secunda, diſputationũ eiuſdẽ aduerſus Pelagium.

omnibus

omnibus viribus deijcit:ſalua tamen ſemper catholicę eccleſiæ de ea fide diffinitione & ſententia. Quam etiam in illiſipſis non diffitetur, ſed quando ad hoc vrgetur ab aduerſarijs, ingenue aſſerit. Alia ſunt quæ eadem de re ſcripſit, non eiuſmodi conflictationis calore & pugna aduerſus hæreticos, ſed ſedata meditataq; nudæ veritatis explicatione, orthodoxis & fidelibus: ſuum cuiq; diſtincte, & apte tribuendo: libertati, inquã, arbitrij, & diuinæ gratiæ, In quibus clarius eſt cernere eius hac ipſa de re certam fidem & ſentẽtiam. Primi generis ſunt, De natura & gratia, cõtra Pelagianos, De gratia Chriſti, & originali peccato, contra Pelagium & Cœleſtium, contra duas epiſtolas Pelagianorum, contra Iulianum Pelagianum. Secundi generis ſunt, De peccatorum meritis, & remiſſione, De gratia & libero arbitrio, Et quæ paſſim alijs operibus ſuis, quoties incidit eius rei opportunitas, obiter perſtingit & inculcat, pro admonitione Chriſti fidelium. Hæc ita habere, vt nemo dubitare poteſt, qui in eo verſatus eſt aliquanto diligentius: ita ex his quę in Retractationibus ſcribit, de ſuis illis libris de libero arbitrio, quis ille facile intelligit. Siquidem inchoatos Romæ, perfectos autem Hypponæ a ſe iam presbytero aſſerens, propter Manichæos, qui non ex libero, quod nullũ affirmant, voluntatis arbitrio, ſed ex immutabili quadam & Deo coæterna mali natura: cõmitti contendebant peccata ab hominibus, de gratia, inquit, Dei, qua ſuos electos, ſic prędeſtinauit, vt eorum qui iam in eis vtuntur libero arbitrio, ipſe etiam voluntates præparet, nihil in his libris diſputatum eſt, quod hoc non requireret propoſita quæſtio: Et vbi incidit locus vt huius gratiæ cõmemoratio fieret, curſim & obiter cõmemorata eſt, & non quaſi ex profeſſo ageretur, operoſa ratione defenſa eſt, &c. Quapropter, noui hæretici Pelagiani, qui liberum ſic aſſerunt arbitrium, vt gratiæ Dei nõ relinquãt locum, quandoquidem eam diſpenſari ſecundum merita noſtra aſſerunt, nõ ſe extollant quaſi eorum cauſam egerim, quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius diſputationis cauſa poſcebat. Quorum plurima ſubijciens, fruſtra exiſtimari ab illis dicit, quod ipſorum ſit patrocinatus ſententiæ, tametſi enim voluntas ſit, qua & peccatur, & recte viuitur, in alijs tamen opuſculis aduerſus inimicos hos gratiæ, aſſeruiſſe ſe affirmat pie viui non poſſe, niſi eaipſa voluntas liberetur a ſeruitute peccati diuina gratia.

Tertia, quibus nudam veritatẽ ſedato meditatoq; ſtudio, catholicis explicare conatus eſt.

Age nunc ex ſingulis iam commemoratorum librorum Auguſtini illis claſſibus, certam eius, claram ſibi, prædictiſq; omnibus perpetuo conſonantem de libero arbitrio ſententiam: Lutheri, atque eius Euangelij, impijſſimæ, quamuis communis ſententiæ, quam Caluinus, vt audiſti, aſſerit, e diametro contrariam: atque eamipſam: condemnantem velut euidenter falſam, inſanam, & pernitioſiſſimam, clariſſime demonſtrare aggrediamur: Idque non, qui aduerſariorum

Ex ſingulis librorum Auguſtini illis claſſibus certiſſimam, clariſſimã & ſibi prædictiſq; vndique conſonã, demonſtrare ſententiam.

mos eſt, citatis truncis & ad noſtram ſententiam detortis, accommodatiſq; verbis, ſed ita, vt dubitare non poſſis quæ ſit Auguſtini ſententia. Qua in re hoc nobis ignoſces lector, ſi forte prolixiores tibi videbimur. Nam viſum eſt, quando vni ſe Auguſtino hi profitentur credere, atque eius a ſe ſtare ſententiam (quam tamen, ego, ſi cæteris, quos audiſti, conſentientibus contradiceret omnibus, non magni facerem, ſed hominis fuiſſe ſcirem: cui ſubripi potuit, qui & falli & fallere) tamen quando eius ſe profitentur ſententiam ſequi, nec nouam inueniſſe: aut introducere ſe affirmant, eandem ita demonſtrare viſum eſt, vt a pertinaciſſimis erroris ſui confeſſionem extorqueremus: certe, ſui incuteremus pudorem, Quod indubie obtinebimus, quantumuis frontis perfrictæ ſint. Incipiemus autem a claſſe prima librorum, in quibus, ante introductam a Pelagio pugnam aduerſus diuinam gratiam, in Manichæos vniuerſa eius ferebatur intentio. Quorum hac in re ſunt præcipui quos proprie ſcripſit, de libero arbitrio, ex quibus vt clariſſimam eius ſententiam intelligas.

Ex lib. II. de libero arbitrio.

Cur Deus liberũ arbitrium homini dederit, quod niſi accepiſſet, peccare nõ potuiſſet.

Oportuiſſe hominẽ liberi eſſe arbitrij, vt ſine quo non poterat recte viuere, ad quod, nõ vero ad peccãdum ipſi datum eſt.

Poſtquam libro primo aſtruxerat, peccata noſtra non ad Deum, ſed ad liberum arbitrium, & voluntatem propriam referri oportere, vt quæ ſola: mentem cupiditati ſubmittat, libro deinceps ſecundo, quæſtionem introducens, cur liberum voluntatis arbitrium Deus homini dederit, quod vtique ſi non accepiſſet, peccare non poſſet: reſpondit idem: quod ſupra eidem quæſtioni reſpondentes audiſti, Tertullianum, Ireneum, & cæteros, æque ſine eo nec bene agere potuiſſe homines: cuius gratia, non autem ad peccandum ipſum datum eſſe. Hæc ſunt verba Auguſtini. Si enim homo aliquod bonum eſt, & non poſſit, niſi cum velit, recte facere, debuit habere liberam voluntatem, ſine qua non poſſet recte facere. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dediſſe credendum eſt. Cur dari debuerit, ſatis cauſæ eſſe, quod ſine illa non poſſit homo recte viuere: ad hoc autem datam: vel hinc poſſe intelligi. Quia ſi quis vſus ea ad peccandum fuerit, diuinitus in eum vindicatur: quod iniuſte fieret, niſi non ſolum vt recte viueretur, ſed etiam vt peccaretur, libera eſſet data voluntas. Quomodo enim iuſte vindicaretur in eum, qui ad hanc rem vſus eſſet voluntate, ad quam rem data eſt? Nunc vero Deus cum peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere, niſi cur non eam ad rem vſus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi? hoc eſt, ad recte faciendum. Deinde, illud bonum quo commendatur ipſa iuſtitia in damnandis peccatis, recteque factis honorandis, quomodo eſſet, ſi homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum eſſet, aut recte factum, quod non fieret voluntate: & per hoc, & pœna iniuſta eſſet, & præmium, ſi homo voluntatem

Non ſubſiſtere iuſtũ Dei de hominibus iudiciũ, ſi libero carerent arbitrio.

Neq; enim aut pctm̃ aut recte factũ ſine eo fore.

non

non haberet liberam. Debuit autem & in ſupplicio, & in præmio eſſe iuſtitia. Quoniam hoc vnum eſt bonorum quæ ex Deo ſunt. Debuit igitur Deus dare homini voluntatem liberam.

Hanc autem ſeipſam in ſua poteſtate habere, ſeipſa vti oſtendens, etiam hoc demonſtrare pergit, vt ea inhærente incommutabili bono, homo vitam beatam habeat, auerſa vero ab eodem: peccare homines, & ab alia vita excipi, quæ prioris comparatione mors ſit. Quæ equidem auerſio, inquit, atq; conuerſio, quoniam neceſſitate coacta non eſt, ſed voluntaria eſt, digna & iuſta eam miſeriæ pœna ſubſequitur. Hactenus ille libro memorato. In quibus audis Auguſtini clariſſimam equidem: & certiſſimam ſententiam, ſed quæ e diametro pugnat cum aduerſariorum ſententia. Ille liberam homini voluntatem neceſſariam affirmat, vt ſine qua non poſſit recte facere, tametſi per eandem poſſit etiam peccare: & ad hoc datam a Deo libertatem, vt per eam viueremus recte. Hi, nullam facultatem, nullam voluntatis in nobis libertatem ad recte viuendum nobis reliquam faciunt. Ille, ex negata ea voluntatis in nobis libertate, tolli affirmat diuini iuſtitiam iudicij, atq; ipſum adeo diuinum iudicium. Hi proinde quid conentur perſuadere hominibus, docentes nec ad bene nec ad male agendum vllam nobis competere libertatem arbitrij, atque adeo ipſum liberi arbitrij nomen: non ſolum velut inane, ſed velut peſtilens, ſublatum cupientes, & a mentibus & ab ore Chriſti fidelium, & anathemate proſcribi ex eccleſia, haud obſcurum eſt, Sublatam nempe fidem: ſublatum timorem diuini iudicij: ſublatam omnem religionem: ſublatum deniq; Deum ex hominibus.

Liberã voluntatem, ſeipſam in ſua poteſtate habere, ſeipſa vti. Auerſionẽ voluntatis a bono incommutabili, & conuerſionem ad creaturã nõ eſſe neceſſariam, ſed voluntariam. Colla. ſententiæ Auguſtini, cũ aduerſariorum ſententia.

Et ne dicant Auguſtinum in præmiſſis loqui de ea voluntatis libertate, non quam per naturam: ſed quam habet per gratiam: quam valere, imo neceſſario requiri ad recte viuendum confitentur, non admittunt ipſa Auguſtini verba hanc ſententiam. De ea enim libertate voluntatis loquitur, quam vnuſquilibet a creatore accipit: qua: vt bene, ita & male vti poſſumus: vt iuſte, ita & impie viuere: & per quam vnam: in peccatorum punitione & pœna, agnoſcitur & commendatur diuina iuſtitia. At illa libertate a peccati ſeruitute, quæ nobis ineſt per gratiam, nemo male vti poteſt. Eſt enim ex primo illo bonorum genere, quæ idem Auguſtinus eodem libro diſtinguit, quibus nemo male vtitur, nec vtendo peccare poſſumus: libertatem autem illam arbitrij de qua loquitur, in ſecundo bonorum genere collocat, quibus vtrolibet vti contingit: qua & recte viuere, & peccare poſſumus: inhærere bono incommutabili, & inhærendo vitam beatam aſſequi: ab eodem etiam auerti, & auerſione hac miſeram merito vitam, quæ illius comparatione mors ſit, incidere.

Cauſſli remotio.

Vt autem conſtantiſſimam hanc, & ſibi vndique conſonantem Auguſtini ſententiam intelligas, audi nunc quæ ſcribit libro tertio eiuſdem operis.

Idem Aug. lib. iij. de libero arbit.

Inquirenti cuius, & vnde ſit ille motus voluntatis liberæ, quo ab incommutabili bono ad inferiora peccando conuertitur: extorquet primo confeſſionem ab eo, quem ex aduerſo ſecum diſſerentem facit, velut euidentis & indubitabilis veritatis, quod ille motus naturalis dici non poſſit: quaſi neceſſitate quadam naturæ ab illo bono incommutabili ad hæc inferna deflectens, peccet anima: ex eo quod eſt culpabilis, & merito reprehenſibilis. Neque enim, inquit, vlla culpa deprehendi poteſt vbi natura: neceſſitaſque dominatur.

Nullã culpam deprehendi poſſe vbi natura neceſſitaſque dominatur.

Ex hoc concludit eum eſſe voluntatis motum proprium: nempe, voluntarium, quo fertur, non lapidis inſtar, cum ſuo pondere ad inferna tendit, ſed ita, vt eum in ſua poteſtate habeat: Cum alioqui nec laudandus inde nec vituperandus eſſet homo, nec omnino monendus, vt neglectis his perituris, & caducis ad æterna adipiſcenda ſe conuerteret: vt nollet male, vellet autem bene viuere. Hoc autem quiſquis exiſtimat, exterminandum merito eum de numero hominum.

Nec vituperandum de malo, nec laudãdum de bono hominẽ, ſi libertate arbitrij in vtroq; careret, ſed nec monendũ quidem.

Exterminio dignos qui negant liberũ arbitrium.

Oſtendens deinde Dei præſcientiam peccandi nobis neceſſitatem non inducere, Præſciri ſiquidem a Deo malas voluntates noſtras. Voluntas autem noſtra, inquit, nec voluntas eſſet, niſi in noſtra poteſtate eſſet.

Porro quia eſt in noſtra poteſtate, libera eſt nobis, non enim eſt nobis liberum quod in poteſtate non habemus. Ita ſit, vt et Deum non negemus eſſe præſcium futurorum omnium, & tamen libere nos velimus quod volumus. Cum eñ ſit præſcius voluntatis noſtræ, ipſum autem erit cuius eſt præſcius, voluntas ergo erit: quia voluntatis eſt præſcius. Non igitur per eius præſcientiam mihi poteſtas voluntatis adimitur: quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præſcientia non fallitur, affuturam mihi eſſe præſciuit.

Vt Dei pręſcientia libertatem voluntatis noſtræ non tollat, ſed ſtatuat.

Voluntatẽ noſtrã, nec voluntatẽ fore, niſi libera & in noſtra poteſtate ſit.

Ipſos præterea creaturarum defectus diſtinguens, & qui eorum, & quatenus ſint culpandi oſtendens, et quod in eoipſo laudemus conditorem cum culpamus vitia, vitium ſiquidem cuiuſq; rei eſſe, quod integritati aduerſatur naturæ: quod dum vituperamus, laudari a nobis naturam atq; eius conditorem: Nullum tamen eſſe defectum vituperatione dignum affirmat, qui voluntarius non ſit. Nihil enim vituperari recte, quod eſt, ſicut eſſe debuit, neminem debere quod nõ accepit: nec alteri debere, q̃ a quo accepit: Proinde cum recte vituperetur natura peccatrix, ideo eam vituperari, quia non eſt vt eſſe debuit: hoc eſt, q̃a non operatur bene. Hocipſum ſiquidẽ eã debere Deo: a quo vt accepit poſſe recte facere cum velit, ita quoq; accepiſſe ab codẽ: vt ſit miſera

Nullũ eſſe defectum vituperatiõe dignũ, qui voluntarius non ſit.

ſi non

ſi non fecerit, & beata cum fecerit.

Hæc ne tibi lector aut ambigua videntur aut præmiſſis diſſona? Hæc ne tam ad inhærendum bono incommutabili, quam ad auertendum nos ab eodem, quã illi negãt nos habere, libertatem arbitrij, & voluntatis, ex illo omnibus intellecto, & naturaliter noto, communi axiomate. (Nullam in eo culpam eſſe, nihil aut laude aut reprehenſione dignum, in quo aut natura dominatur aut neceſſitas: nihil in eo, qui actiones ſuas & motus in poteſtate non habeat) non clariſſime demonſtrant? Quam qui negat hominibus, eum eſſe dignum qui exterminetur ex grege hominum. Quid igitur de his hominibus cenſendũ eſt, qui omnem nobis noſtri poteſtatem libertatemque adimunt, qua & bene, vt male poſſemus viuere: ſed neceſſario nos male viuere affirmant quamdiu ille nobis ſuum nõ infundit ſpiritũ? ad quem aſſequẽdum, æque nihil poſſe nos aut agere, aut præparare, aut diſponere: ſed nec, vt nobis detur, optare quidem: aut orare, priuſq̃ iam eius beneplacito datus ſit? nec cum iam datus eſt, quicq̃ illi nos cooperari, quicquã ex noſtræ electionis arbitrio, quãuis illius adiutorio, agere: ſed vniuerſum illius eſſe: illum in nobis, & per nos operari quæ vult: noſtras vero in eo partes nullas eſſe? Hæc, inquam, cum illi clauſis ad omnia oculis ad communem naturę omnibus inditum conſenſum, ad eccleſiaſticam definitionem: quæ hac ipſa de re fuit ab initio, aduerſus omnium orthodoxorum patrum: certiſſimam: clariſſimam & conſonam ſententiam, aſſerant ac doceant, intelligunt opinor, quam idem illeipſe de ipſis Auguſtinus (cui vni veterꝝ omniũ hac in re ſe credere affirmant) ſententiã proferat: nempe dignos ipſos eſſe, qui exterminentur e cœtu hominũ: hac luce, hac vita indignos, vide autem, vt omnes tergiuerſationes ipſorum, omnia commenta: omnes cauillos, & præuenerit, & excluſerit. Voluntas, inquit, noſtra, nec voluntas eſſet, niſi in poteſtate noſtra eſſet: hoc eſt, niſi libera eſſet, Necꝫ enim liberum quicquam nobis eſſe affirmat, quod in poteſtate noſtra non eſt: Hoc in poteſtate noſtra eſt cuius domini ſumus: quod eſt, ſi volumus: non eſt, ſi non volumus: & vtrunque velle, inquam, & non velle, in poteſtate habemus.

Nihil eſt quod hic mihi quiſq̃ occurrat de volũtate, qua beati eſſe volumus, quod, neſcio qua bona cõſtructione naturæ, omnino nolle non poſſumus, attamen eã voluntatẽ eſſe, etiã ſi naturali neceſſitate ad eam conſtringimur. Item Deum neceſſario bonũ eſſe, neceſſario bene agere: hoc tñ liberã eius voluntatẽ in bene agendo non impedire: nec propterea minus laudabilẽ, ꝙ neceſſario bonus eſt. Adhęc de dãnatis et diabolo q̧ neceſſario mali ſunt, q̧ et nõ poſſint niſi male agere, attamẽ eos voluntate male agere. Nihil, inquam, eſt, vt hæc nobis obijciant. Nam de Auguſtini, quem vnum veterum oĩm ſuũ ille facit, ſententia, hic vna quæſtio eſt: quam, eoipſo pro ſe dicente, euidentiſſimam fecimus

Cauilli aduerſariorũ aduerſus prædicta.

Quod maneat voluntas quamuis conſtricta neceſſitatis legibus.

Dictorum cauillorũ remotio.

Eam vero qualiſcunque eſſet, ſequi ſe, non impugnare profeſſus eſt. Quod ſi ſibi iam neceſſarium intelligit, quo ſua aſtruat, etiam hoc intelligit, non ſolum deſtitui iam ſe, & veterum, & multo magis recentiorum omnium ſuffragio, ſed omnes concordi ſententia ipſorum damnare ſententiam. Ipſe illi pro ſe Auguſtinus reſpondeat, & ſuam aduerſus calumnias eius tueatur ſententiam. Quod ſi hanc a me gratiam, diſcendæ veritatis ſtudio requirat, vt pro ipſo Auguſtino, ſuis ad uerſus eius ſentētiam argumentis ſatisfaciam, faciam & id quidē haud grauate, modo hoc inprimis agnoſcat et confiteatur, pro nobis, nō pro ſe, ſtare Auguſtini ſententiam. Ne tamen hoc prætextu tergiuerſari me exiſtimet, aut argumentis ſuis reſpondere non poſſe ſibi alijſque perſuadeat, quod tametſi non poſſem, aduerſus tamen catholicæ diffinitionem eccleſiæ, aduerſus aquilarum illarum congregationem, hoc eſt orthodoxorum patrum ab initio omnium cōſonam & certiſſimā ſententiam, imo communem ſenſum & conſenſum mortalium omnium, nec tantillum me mouerent: vt multa veriſſima & certiſſima ſunt, quorum tamen omnem rationem non comprehendit rationis noſtræ imbecillitas, quamdiu incluſa eſt hoc ergaſtulo, quamdiu onere corruptibilis corporis aggrauatur. Ne tamen, vt dixi, hic in ſinu gaudeat, & ſibi ſuiſque nos viciſſe perſuadeat, quia non deeſt quod cauillis eorum reſpondeam aduerſus prædictam Auguſtini ſententiam. Hoc ante omnia meminiſſe te lector volo, non eſſe vnius Auguſtini, ſed omnium, quos priori libro audiſti, ſanctorum & orthodoxorum patrum, atque adeo ipſius veritatis veriſſimam & certiſſimam ſententiam: comprobatam communi ſenſu mortalium omnium. Illos omnes audiſti vno cōſenſu affirmare, nec boni, nec mali mercedem iure penſari illi, ſi quis aut bonus, aut malus neceſſitate non voluntate eſſet inuentus: nec laudabiles bonos, quod boni, nec vituperabiles malos, quod mali ſunt, ſi hocipſum quod ſunt, neceſſario ſunt, nec ex libero eorum pendet arbitrio, ſic, an aliter ſint: nihil honoris & præmij mereri bonitatis neceſſitatem: ſi malos eſſe vis quædam conſerta non ſineret. Hęc, inquam, illorum quos audiſti omnium communis ſententia eſt: quam exprimit illud tritum omnium linguis, omnium ſenſu & conſenſu approbatum, ab his quæ aut natura: aut neceſſitate quadam ineuitabili nobis inſunt, neminem merito laudari, aut vituperari oportere: neminem præmio, caſtigatione, aut ſupplicio dignum. Nemo enim niſi ſtultus, pumilioni, capite, pectore, aut dorſo gibbero, ſtraboni, luſco, varo, loripedi iraſcitur: nemo indignatur, nemo illos caſtigat, nemo pœna ſed commiſeratione potius dignos exiſtimat. Sicut contra: nemini laudi, aut honori apud ſapientes datur, quod eleganti, & compoſita forma ſit: ſed ſi formam honeſtis moribus exornarit. Quandoquidem hoc in poteſtate noſtra

ſitum eſſe omnes intelligunt, & noſtræ ignauiæ deſidiæque merito aſcribendam ſi nobis defuerimus, vt vero hac aut illa corporis ſeu forma: ſeu valetudine naſceremur, in noſtra poteſtate, nec fuiſſe, nec eſſe.

His autem quod de Deo nobis obijciunt, qui neceſſario bonus eſt, nec tamen ideo minus, ſed magis laudabilis: extra cautionem eſt. Nos enim cum patribus illis ſanctis, et mortalibus vna omnibus, de creaturis, non de creatore loquimur. Illæ ex ſe non habent quod ſunt, ſed a cõditore acceperunt, quod ipſis dare dignatus eſt. Ad ipſius ergo, non ad creaturarum ſuarum laudem pertinet, ſi quid boni ex conditionis neceſſitate ipſis ineſt. Quod in earum poteſtate nõ eſt: ea ſiquidem in re noſtras partes nullas aut fuiſſe aut eſſe indubitatũ eſt. Proinde nec laudari inde nos oportere, nec præmio affici: non plus quam vituperari: aut caſtigari illos, quibus illud boni elargitus non eſt, quam ſi quis ex natiuitate aut cæcus aut loripes eſt, aut alijs morbis affecto corpore.

Cur deus laudabilis tametſi neceſſario bonus ſit, imo eo magis laudabilis.

Vnius conditoris eã laudem eſſe, ſi quid boni, eius creatura ex conditionis neceſſitate accepit.

Sortitos proinde nos infinitæ illius bonitatis benignitate ſapientiſſima: liberi facultatem arbitrij, per quam in nobis, velut proprietas quędam boni fieret, quod nõ habebat naturæ conditio: vtq; ex illo bono, velut proprio, non neceſſario, ſed cum noſtro ſtudio, noſtro labore & conatu parto, digni honore haberemur, & præmio: quo, ob neceſſitatẽ conſertę nobis a conditore bonitatis digni non haberemur. De conditore longe alia ratio eſt, vt cuius infinita bonitas alio referri nõ poteſt: alium non habet, ad quem laus eius deferri poſſit ſuæ bonitatis authorem. Proinde in ipſo quieſcat ſuæ bonitatis laus et honor neceſſe eſt, ex cuius immenſitate eſt quod neceſſaria eſt, quod natura eſt. Ad eius vnius laudem totum pertinet, quicquid creaturis ſuis ſine ipſis cõtulit. Nec hæ ob illa, quantacunq;: & qualiacunq;, aut honore vllo, aut præmio dignę ſunt: ſed ob id, ſi quid boni proprij, excolendo talento ſibi a conditore credito, ſuo labore, ſua induſtria, adiuuante & cooperante nihilominus diuina gratia: de qua ſuo poſt loco, acquiſierunt.

De cõditore longe aliam rationẽ eſſe, vt cuius boni tatis laus, alio referri nõ poteſt.

De diabolo, quod affertur, ſi neceſſario malus eſt, hoc ipſum peccati quod libere nec vlla neceſſitatis vi coactus admiſit, iuſto Dei iudicio, pœna eſt: vt ſit neceſſario malus et miſer, qui cũ poſſet bonus et beatus fieri, libere elegit malus & miſer fieri: nec tã culpæ hoc illi deputatur, ſi modo neceſſario talis ſit, q̃ iuſto ſupplicio. De volũtate quod aſtruere conantur, cũ neceſſitate eam poſſe conſiſtere, non admodũ pugnauerim, mõ ſimpliciter de voluntate loquantur, neq; contradicit Auguſtinus ſi ipſum recte intelligas. Qui tametſi in ſuperioribus dicat, volũtatem noſtrã, nec voluntatem fore, ſi in noſtra poteſtate non ſit, & eo liberam nobis eſſe, quod in poteſtate noſtra ſit, hoc tamen de noſtra, hoc eſt viatorum voluntate intelligit, qui in eo adhuc ſtatu ſumus, quo nobis conandũ, laborandũ, & militandũ eſt pro corona et adeptione boni illius incõmutabilis: qbus niſi adſit voluntas libera, et ſui poteſtatẽ habens,

De diabolo, an, et q̃modo neceſſario malus ſit.

Nõ pugnare abſolutam neceſſitatẽ cum volũtate, ſed cũ voluntate viatoris.

bens,nec merito, nec demerito hic locus vllus eſſet: nec illic,iuſtæ pro meritis retributioni & præmio, iuſtove Dei de nobis iudicio. Cuiuſmodi voluntas(quā voluntatem libertatis,vt ſupra audiſti,ille Hylarius appellat)ipſa in morte ceſſabit: quando iuſti per ſuperabundātes illas diuinæ gratiæ diuitias, in bono incommutabili, infixi, abſorptiq; immutabiliter,acquieſcunt,impij vero,ab eodem auerſi, pro ſuis demeritis in profundum malorum irreparabiliber prolabuntur. Ceſſat ergo cuiq; voluntas hæc libertatis, cum huius viæ atque incolatus terminum attingit:cum demenſo agonis ſpatio,tempus & locum pro meritis recipiendi ingreſſus eſt. Itaque libertas demutabilis iſtiuſmodi non eſt ſimpliciter voluntati, ſed noſtræ voluntati, huius in quo decertamus agonis tempore, neceſſaria: ſine qua, nec merito, nec præmio, nec iuſto Dei iudicio locus foret. Argumenta tamen Caluini,neque hocipſum conficiunt quod vltro illi admittimus.

Vt libertatis illa voluntas, in morte nobis ceſſet.

Argumentorum Caluini futilitas,& inefficacia.

Quod dicit voluntatem qua beati eſſe volumus, ea libertate non eſſe nobis liberam, ſed neceſſariam, neutiquam illi admiſero: Vt autem verum ſit,quod in eius probationem aſſumit,naturali neſcio qua: bona conſtructione naturæ, non poſſe nos nolle beatitudinem: ex eo tamen conſequens non eſt, neceſſario nos velle beatitudinem: hoc enim euidenter falſum eſt. Poſſum enim non velle beatitudinem, tametſi non poſſim nolle eandem. Quemadmodum nihil poſſum nolle, quod ſub boni tantum ſpecie, & ratione proponitur. Neque enim in hoc eſt libertas noſtri arbitrij, vt quodlibet poſſit & velle & nolle, ſed in hoc, vt ſit domina ſuorum actuum: hoc eſt, vt eos in poteſtate habeat: vt nihil agat, nihil velit, nihil nolit neceſſario, ſed quodq; ita, vt poſſit ceſſare ab actione eiuſmodi,ſicut potuit ab initio non agere.

De voluntate qua beati eſſe volumus, vt æque nobis ſit libera ſicutq; uis alia.

In quo conſiſtat noſtri libertas arbitrij.

Quod ſecundo loco adducit, Deum neceſſario iuſte agere, neque tamen hoc, liberam eius voluntatem in bene agendo impedire. Iamdudum intelligis aliam noſtram,aliam Dei eſſe voluntatis libertatem: nobis in hoc agone adhuc certantibus, demutabilis libertas eſt neceſſaria. Victoribus non eſt,multo minus Deo.Sine illa,merito locus nō eſt, illis iam aſſecutis coronam & præmiū,meriti ſpatiū decurſum eſt.

Quanquam, quod ad Dei voluntatem attinet, tametſi iniuſte agere aut velle nihil poſſit, nihil tamen omnium aliorum a ſe, etſi iuſta ſint, neceſſario agit aut vult: ſed mere libere. Ita: vt non velle eaipſa in poteſtate habeat.Si dicatur,neceſſario,attamen libere,ſe velle iuſtum et bonū,non video vt hoc verum ſit. Ipſum neceſſario iuſtū & bonum eſſe intelligo: vt autem velit ſe iuſtum, & bonum eſſe non intelligo. Quomodo enī hoc vellet,quod natura eſt, & aliquo modo prius ipſa voluntate eſt? Nec tamen dico quod inuite bonus & iuſtus ſit: ſeipſo enim beatus eſt: ſeipſo perfruitur, & complacentiam illam beatificam in ſe habet. De damnatis, & reprobis iam dictum eſt, æque, vt de his;

his, qui brauium ſupernæ felicitatis aſſecuti ſunt.

Sed ad Auguſtinum vt reuertamur, pergamuſq; vt promiſimus et iam cœpimus, eius clariſſimam, & ſibi vbique conſonantem, de propoſita cōtrouerſia demonſtrare ſentētiam. Libro itaq; III. de libero arbitrio, prædictis conſequenter, magis vrgens id quod aſſeruit, nempe ibi culpæ rationem inueniri non poſſe, vbi dominatur natura aut neceſſitas. Quandoquidem iniuria vituperetur quippiam, ſi eſt ſicut eſſe debuit: neminem autem debere quod non ita accepit, vt in ſua ipſum poteſtate habeat. Ex eo ergo, inquit, quod non accepit, nullus reus eſt. Ex eo vero, quod non facit quod debet, iuſte reus eſt. Debet autem, ſi accepit, & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem, &c. Si enim debet quiſque quod accepit, & ſic homo factus eſt, vt neceſſario peccet, hoc debet vt peccet. Si autem iniuſte patitur, quomodo peccat? nō enim iniuſte aliquid pati, ſed iniuſte aliquid facere, peccatū eſt. Quod ſi neque ſua, neque aliena natura quis peccare cogitur, reſtat vt propria voluntate peccetur.

Cap. 16

Neminem debere q̄d non ita accepit, vt in ſua ipſum poteſtate habeat.

Audis rurſum lector Chriſtiane, eandem quam prius, ſibique conſonantem per omnia, & clariſſimam ſententiam, neminem debere, niſi quod acceperit, atq; ita acceperit, vt ipſum in facultate ſuæ liberæ voluntatis habeat: non ſtare proinde cum ratione peccati, peccādi neceſſitatem. Audis præterea, vt inter coactionem, & neceſſitatem, hac in re, non diſtinguat: nec coactionem appellet vim tantum extrinſecam, qua ad aliquid inuiti impellimur: ſed omnem & qualemcumque vim neceſſitatis: ſiue in nobis, noſtrave natura ea eſſet, ſiue incideret extrinſecus. Sed pergamus adhuc ex eodem libro certam demonſtrare Auguſtini ſententiam.

Reſpondēs poſt prędicta, curioſe inquirenti de ipſius volūtatis cauſa, quęcunq;, inquit, iſta eſt cauſa volūtatis, ſi ei nō poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si aūt poteſt, non ei cedatur, & nō peccabitur. An forte fallit incautū? Ergo caueat, ne fallatur: An tāta fallacia eſt, vt caueri omnino nō poſſit? ſi ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis eñ peccat in eo, quod nullo modo caueri poteſt? Peccatur aūt: caueri igitur poteſt. Vides etiam hic, vt vnam neceſſitatē rationi peccati aduerſari intelligat. Occurrens deinde ſibi, ex eo, quod etiam per ignorantiam facta quędam improbanda corrigendaq; teſtētur diuina eloquia: vt illud Apoſtoli, Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci: æque illud Prophetæ, Delicta iuuentutis meę, & ignorātias meas ne memineris. Similiter, & neceſſitate facta quædam, vbi quis vult, & non poteſt recte facere: quorum ſunt illæ voces. Non eñ quod volo, facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc ago. Et illud, Velle adiacet mihi, perficere aūt bonum nō inuenio. Et, Caro concupiſcit aduerſum ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vt non quæcunque vultis, illa & faciatis, &c. Sed hæc, inquit,

Cap. 18

Neceſſitatē oēm ſemper culpam excludere.

Obiectio contra prædicta de ignorantia, & bene agendi difficultate in quibus ob originis peccatū omnes naſcimur.

Dictæ obiectionis ſolutio.

quit, omnia,hominum ſunt, ex illa mortis damnatione venientium. Quam pœnam eſſe quis dubitet? Omnis autem pœna: ſi iuſta ſit,peccati pœna eſt,& ſupplicium nominatur. Si autem iniuſta eſt pœna, (quandoquidem pœnam eſſe nemo ambigit) iniuſto aliquo dominante homini impoſita ſit oportet. Porro quia de omnipotentia Dei, & iuſtitia dubitare dementis eſt, iuſta hæc pœna eſt, & pro peccato aliquo penditur, &c. Relinquitur ergo, vt hæc pœna iuſta de damna-

Cap.19

tione hominis veniat. De quo indignas compeſcens murmurãtium aduerſus Deum hominum querimonias, & dicentium. Quid miſeri nos commeruimus, quod ob primorum parentum peccatum cum ignorantiæ cæcitate & difficultatis cruciatu naſceremur, & primo erremus, neſcientes quid nobis faciendum ſit? Deinde vbi nobis incipiunt aperire præcepta iuſtitiæ, vellemus quidem ea facere, ſed renitente carnalis concupiſcentiæ, neſcio qua neceſſitate, non valeamus? Has, inquam,compeſcens hominum de ſua conditione querimonias. Recte, inquit, fortaſſis quererentur, ſi erroris & libidinis, nullus homo victor exiſteret. Cum vero vbiq; ſit præſens,qui multis modis,per creaturam,ſibi domino ſeruientem,auerſum vocet,doceat credentem,cõſoletur ſperantem, diligentem exhortetur,conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras: neque illud quod vulnerata membra colligas,ſed quod volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim hominũ ablatum eſt ſcire vtiliter, quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam imbecillitatem, vt querenti & confitenti: ille ſubueniat, qui

Cap.20

nec errat dum ſubuenit, nec laborat. Vndecunque ergo & quacunque cauſa, quocunqe modo hoc eueniat, vt ob peccatum originis in ignorantia, & bene agendi difficultate naſcantur homines, non habere quod inde conquerantur, ſed gratias potius agant conditori: nõ ſolum pro tam nobilis, quam acceperunt, naturæ excellentia: ſed etiam, quia ea facultate præditi ſunt,vt adiuuante creatore ſeipſos excolant, et pio diligentiq; ſtudio poſſint virtutum omnium compotes fieri, per quas & a difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberentur.

Haud merito queri de ſua illa cõditione homines.

Ignorantiã illã & bene agẽdi difficultatẽ, nõ tã eſſe nobis peccati ſuppliciũ, quã proficiendi admonitionẽ, & perfectiõis exordium.

Quin & hanc ignorantiam, & bene agendi difficultatem,ſi recte æſtimentur, non tam eſſe naſcenti, peccati ſupplicium,quam proficiendi admonitionem, & perfectionis exordium: vt ad eam non naſcendo, ſed ſtudendo perueniat. Vtque corpus, quod de pœna peccati, hoc eſt, mortalitate primi hominis naſcitur, bene adminiſtrando, hoc eſt, caſtigando per virtutes, & ordinatiſſimæ, ac legitimæ ſeruituti ſubijciendo, etiam ipſi, ordine, & tempore oportuno, cœleſtis incorruptionis locum comparet: vt quod in primo homine ſupplicium peccati fuit, ad animi expendendam miſeriam, in iſtis ſit ianua miniſterij, ad reparandam corporis incorruptionem. Neque enim iſta ali-

ter dici

ter dici peccata, niſi quia caro de propagine peccatorum veniens, infuſæ ſibi animæ hanc ignorantiam difficultatemque facit, quæ neque illi, neque creatori culpanda tribuatur. Dediſſe equidem hunc, & facultatem bene operandi in laborioſis & difficilibus, & lumen fidei in ignorantiæ cæcitate, &c. & præparaſſe ciuitatis beatiſſimæ gloriã triumphantibus de illo qui primum hominem, ad iſtam miſeriam produxit, &c. Quiſquis autem hoc iſtius vitæ captus amore neglexerit, nullo pacto flagitium deſertionis ſuæ, regis imperio iuſte deputabit: ſed erit potius ſub omnium domino, in eius partibus ordinatus, cuius turpe ſtipendium, vt caſtra eius ſequeretur, adamauit. Vtcunque autem, quando cum ipſa ignorantia, & difficultate, liberam nobis voluntatem petendi, quærendi, & conandi non abſtulerit daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperiturus non eſt, quod in illum vllam culpam noſtram referamus, vt qui hanc ignorantiam & difficultatem: ſtudioſis & beneuolis euincendam, ad coronam gloriæ valere præſtiterit: negligentibus autem, et peccata ſua de infirmitate ſua defendere volentibus, non ipſam ignorantiam difficultatemque pro crimine obiecturus, ſed quia in eis potius permanere, quam ſtudio quærendi, atque diſcendi, & humilitate confitendi, atque orandi, ad veritatem, & facilitatem peruenire voluerunt, iuſto vindicaturus ſupplicio. Qualitercunq; vero nunc dicta ſe habeant, hoc indubitatum eſſe, peccatorum ſuorum ſupplicia animas iuſtiſſime luere, quæ non niſi propriæ voluntati earum tribuenda ſint. Ignorantia vero, & bene agendi difficultas, ſi, inquit, naturalis eſt, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem: & requiem: donec in ea perficiatur vita beata, promoueri. Quem profectum in ſtudijs optimis atque pietate, quorum facultas ei non negata eſt, ſi propria voluntate neglexerit, iuſte in grauiorem, quæ iam pœnalis eſt, ignorantiam difficultatemque præcipitatur, &c. Non enim, quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc illi deputatur in reatum: ſed quod ſcire nõ ſtuduit, & quod dignam facilitati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit. Loqui enim non noſſe, atque non poſſe, infanti naturale eſt: quæ ignorantia difficultaſque ſermonis, non modo inculpabilis, &c. ſed etiam humanis affectibus blanda, & grata eſt: non enim vllo vitio, vllam facultatem comparare neglexit, aut negligit: aut vllo vitio, quod comparauerat, aut acceperat amiſit. Itaque ſi nobis in eloquentia eſſet beatitudo conſtituta, atque ita crimini duceretur, cum peccatur in linguæ ſonis, quemadmodum: cum peccatur in ratione agendæ vitæ, nullus vtique argueretur infantiæ, quod ab ea eſſet exorſus ad conſequendam eloquentiam: ſed plane merito damnaretur, ſi ſuæ voluntatis peruerſitate, vel ad eam recidiſſet, vel in ea permanſiſſet. Sic etiam nunc, ſi ignorantia veri, & difficultas recti

Vt ea dicantur peccata.

Cap. 12

H natu-

naturalis eſt homini, vnde incipiat in ſcientiæ, quietiſq; beatitudinem ſurgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit, ſed ſi proficere noluerit, aut a profectu retrorſum relabi voluerit, iure meritoq; pœnas luet, &c. Nec propterea malam creatam animam, quia nondum tanta eſt, quanta vt proficiendo eſſe poſſet, accepit, &c. Quod ergo ignorat quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt, quod nondum vt cognoſceret accepit: ſed hoc quoque accipiet, ſi eo quod accepit, bene vſa fuerit. Accepit autem vt pie, & diligenter quærat ſi volet. Et quod agnoſcens quid ſibi agendum ſit, non continuo hoc valet implere, & hoc quoque nondum accepit. Præceſſit quidem pars quædam eius ſublimior, ad ſentiendum recte facti bonum: ſed quædam tardior, atque carnalis, non conſequenter in ſententiam ducitur: vt ex ipſa difficultate admoneatur eundem implorare adiutorem perfectionis ſuæ, quem inchoationis ſentit authorem: vt & ex hoc ei fiat charior, dum non ſuis viribus fidit, ſed cuius bonitate habet vt ſit, eius miſericordia, ſubleuari quærit, vt beata ſit. Si enim arboris nouellum ac rude virgultum, nullo modo ſterile dicimus, quamuis aliquot æſtates ſine fructu traijciat, donec opportuno tempore expromat feracitatē ſuam: cur nō author animæ debita pietate laudetur, ſi ei tale exordium tribuit, vt ſtudendo proficiēdoq; ad frugem ſapientiæ iuſtitiæq; perueniat: tātumque illi præſtitit dignitatis, vt in eius etiam poteſtate poneret, ſi vellet ad beatitudinem tendere. Hactenus ille, libris memoratis de libero arbitrio. Audis itaq; Caluine Auguſtini, non tui, ſed noſtri, clariſſimā ſententiam, nō diuerſam ab ea quam paulo ante audiſti ſanctorum orthodoxorumque patrum, & definitionis catholicæ ab initio eccleſiæ, ſed eandem per omnia: non detrahentem, ſed doctiſſime patrocinantem libero arbitrio. Audiſti hic rurſus, neceſſitatis vim qualemcunque, quam, vel non admittere vel amoliri in noſtra facultate non eſt, peccati culpam excludere: Quis enim peccat, inquit, in eo quod nullo modo caueri poteſt? Non tibi deputatur ad culpam, quod ignoras inuitus, quod vulnerata quæ accepiſti membra foues, & colligas: ſed quod valentem ſanare contemnis: iſta tua propria peccata ſunt. Ea facultate prēditos homines, vt adiuuante creatore ſeipſos excolant, & pio diligentique ſtudio poſſint virtutum omnium compotes fieri, per quas, & a bene agendi, quam ex natiuitate velut naturalem nobiſcum attulimus, difficultate, & a veri liberentur ignorantia: eas ſiquidē non velut ſupplicia, ſed vt proficiēdi admonitiones, & initia quędam, aut velut terminum a quo, vnde ad perfectionem promoueremur ab optimo, ac ſapientiſſimo creatore conſtitui, quo ad eam, non naſcendo (quod nobis merito laudi aut coronæ deputari nullomodo poſſet) ſed ſtudendo, conando, certando, vim nobis inferēdo perueniremus: quo etiam cum illo poſſemus tandem dicere, bonum certamen certa-

Epilogus dictorum Auguſtini de libero arbitrio ex libro III. de libero arb.

ui, fi-

ui, fidem ſeruaui, curſum conſummaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex, qui vnicuique ſecundum opera ſua retribuit. Porro ſi ex conditione naturæ noſtræ & natiuitate, nobis ineſſent, & iuſtitia, & veri cognitio, & virtutes cæteræ, nullo nobis poſſent merito deputari, vbi non eſt certamen, nec iuſtitiæ corona eſt: ſi ſtudia noſtra: noſtroſque ad ad virtutem & iuſtitiam comparandam conatus abſtuleris, ſed vnius conditoris hoc ſit, vt hic virtutibus ornatus ſit, ille iis careat, & proinde vitiis ſit ſubiectus contrariis, tollis ſimul, & diuinum iudicium, tollis religionem vniuerſam, Deum ipſum denique: proinde, quia ipſe ſimul, & iuſtus, & bonus eſt, dediſſe illum, bene operandi facultatem hominibus: ſingulariter illum adeſſe conantibus, in laborioſis & difficilibus: lumine fidei illuſtrare noſtræ cæcitatis, quam nobiſcum naſcendo attulimus, quaſi naturalem ignorantiam, & ad veri cognitionem ſatagentes nos adiuuare: ſemper præſto eſſe, ſemper manum porrigere: & quo animum ſimul & conatum noſtrum prouocaret, præparatam a ſe beatiſſimæ ciuitatis gloriam perſeuerantibus in boni ſtudio, & triumphantibus de illo hoſte noſtro, qui primum hominem ſibi conſentientem ſubiugauit, nobis oſtentare: & ſimul inculcare, ne quis animum in his militiæ laboribus deſponderet: ſe ſemper paratum, dare petentibus: demonſtrare quærentibus: aperire pulſantibus: ad quæ liberam nobis facultatem contulit: vt nemo niſi ſibi, imputare iuſte poſſit, ſuæ deſertionis flagitium. Proinde & peccatorum ſuorum ſupplicium quenque iuſtiſſime luere, quæ non: niſi propriæ noſtræ voluntati tribuenda ſunt: Quia ad hæc vltro defleximus, & in optimis ſtudiis (cuius facultatem accepimus) nos exercere propria voluntate neglex

imus. Non deputari nobis in reatum, aut defectus, aut vitia, quibus carere in noſtra facultate non eſt: non magis quam balbo ſuam balbutiem, aut infanti infantiam, ſeu ſermonis peccatum & vitium, etiam ſi in eloquentia eſſet beatitudo conſtituta: atque ita crimini duceretur, cum peccaretur in linguæ ſonis, quemadmodum nunc cum peccatur in vita & moribus: ſed illum merito damnari, qui ſuæ voluntatis peruerſitate eam ſibi accerſiſſet: aut a natiuitate contractam, cum ſtudio poſſet euincere, per negligentiam ac deſidiam in ea permanſit: aut in eandem ſemel ſtudio ſuperatam, relapſus eſt. Neminem equidem debere quod non accepit: ſed hoc accepiſſe vnumquemlibet, vt poſſit veritatem quærere, poſſit virtuti ſtudere. Qua facultate qui bene vſus fuerit, accepturum illum quod non acceperat: nempe veri cognitionem, & virtutem ac iuſtitiam: quibus & naturalem effugabit ignorantiam: & difficultatem bene agendi ſuperabit. Breuiter tantum nobis dignitatis contuliſſe Deum, vt in noſtra poteſtate poſuerit, ſi vellemus ad

beatitudinem tendere. Hanc,inquam,Caluine audiſti Auguſtini ſententiam non ambiguam, aut perplexam: ſed clariſſimam: qui ſi vnus veterum omnium: quod tu illi tribuis, vt clare, ita etiam conſtanter conſonanterque hac de re ſentit, & loquitur, hanc eius ſententiam, nihil opus erit etiam ex alijs eiuſdem libris aſtruere. Tibi certe Caluine, modo conſtes tibi, ex his non ſatis demonſtrata eſſe non poterit.

Quia tamen in alijs pleriſque idem ſibi non perpetuo conſtat Auguſtinus, ne etiam hac in re ipſi vſu hoc veniſſe quis exiſtimet, pergendum eſt in eo quod promiſimus & iam cœpimus, & ex omni librorum eius genere, ſibi perpetuo conſtans eiuſdem demonſtranda ſententia: ſi forte hæc legentes illi reſipiſcant, aut certe ſuæ ipſos impudentiſſimæ impudentiæ pudere aliquando incipiat.

Ex libro, de duabus animabus. Capite decimo libri de duabus animabus aduerſus Manichæos, oſtendit totius humani generis conſenſu: a puero ad ſenem: ab illiterato ad ſapientis ſolium: natura ipſa proclamante, nihil cuiquam imputari niſi quod voluntate committitur. Voluntas. Voluntatem definiens, animi motum cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiſcendum: Coactio. Coactionem neceſſitatis vim qualemcunque, quæ in poteſtate noſtra ſita non ſit, intelligens. Neque enim: vt ſupra affirmantem eundem audiſti, vlla culpa deprehendi poteſt, vbi natura neceſſitaſve dominatur. Quis enim peccat,inquit, in eo quod cauere nullo modo poteſt? Quin voluntatis noſtræ rationem affirmat neceſſario exigere, vt ſeipſam in poteſtate habeat. Quandoquidem nec voluntas, inquit, eſſet, niſi in noſtra poteſtate eſſet, & in eoipſo rationem libertatis eius docet conſiſtere, quod ſui eſt domina: ſui potens, vniuerſas actiones ſuas in poteſtate ſua habeat, nullius neceſſitatis legibus aſtricta. Proinde poſt dictam voluntatis definitionem: etiam peccatum definiens. Peccatum. Peccatum eſt, inquit, voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere: quanquam ſi liberum non eſt, non eſt voluntas: Nec hic libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, vnde diſcerem, neminem vituperatione ſupplicióve dignum, qui aut id velit quod iuſtitia velle non prohibet, aut id non facit quod facere non poteſt, nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Adhuc perſpicuum tibi Caluine non eſt, quæ ſit huius ſanctiſſimi & doctiſſimi viri ſententia? Quid huius dico? imo doctorum: indoctorum: Chriſtianorum: ethnicorum, & totius ab initio humani generis ſententia: eamipſam proclamante natura? hanc nempe, Nihil cuiquam imputari poſſe, niſi quod voluntarie, hoc eſt, libere committit. Quandoquidem quod liberum non eſt, voluntarium non eſt: & vbi deeſt libertas, ibi deeſt & voluntas,

tas. Neminem vituperio aut ſupplicio dignum, qui id non fecit quod facere non poteſt. Hæc cantari & in montibus a paſtoribus, & in theatris a poetis, & ab indoctis in circulis, & a doctis in bibliothecis, & a magiſtris in ſcholis, & ab Epiſcopis in templis, denique in vniuerſo orbe terrarum: a genere humano vniuerſo, & vos quid? hanc ipſam ſententiam affirmatis eſſe falſiſſimam: imo peccare nos neceſſario: & merito iuſteque damnari a Deo, ob id quod vitare prorſus non poſſumus. Et adhuc tui te non pudet Caluine? Adhuc vnus ſaltem veterum omnium Auguſtinus clare & conſtanter, veſtræ vbiqꝫ ſubſcribit ſententiæ? Quo loco ille vos habeat, ex nunc dictis haud obſcurum eſt: inter eos nempe, quibus effigies quidem eſt humana, ſed non mens, ſenſus, aut ratio.

Vt euidenter et e diametro pugnet Auguſtini, et aduerſariorũ ſententia.

Sed forte huius tam euidentis ſententiæ deinceps oblitus, alibi aſſeruit contrariam. Quod ſi feciſſet aut faceret, connumerarem illum vobiſcum: & degeneraſſe dicerem ab humana natura: in brutalem aliquam, ſed abſit tam indigna, a tam ſancto, tam docto viro contumelia: Abſit vt tam euidentis ſententiæ, quam natura in omnibus loquitur, quæ in cordibus omnium digito Dei deſcripta eſt, ipſe obliuiſci potuerit. Audi igitur an non eius vbique meminerit.

Cap. XIIII. libri de vera religione habet in hæc verba: Defectus autem iſte, qui peccatum nominatur, ſi tanquam febris inuitum occuparet, recte iniuſta pœna videretur, quæ peccantem conſequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero vſqueadeo peccatum voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatum: ſi non ſit voluntarium, & hoc quidem ita manifeſtum eſt, vt nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi, &c. Poſtremo ſi non voluntate male facimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus. Quibus ſublatis, Chriſtiana lex, & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt, voluntarie ergo peccatur: & quoniam peccari dubium non eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſeruos ſuos meliores Deus eſſe iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent. Quod autem homini a peruerſo angelo perſuaſum dicitur, etiam ad hoc vtiqꝫ voluntate conſenſit. Nam ſi neceſſitate id feciſſet, nullo peccati crimine reus teneretur. Audis quid dicat? vt ſecum pugnent, neceſſitatis & peccati ratio: & vt neceſſitatem, oppoſitam intelligat voluntario. Rationem peccati exigere, vt voluntarie committatur: & quandoquidem conſtat peccari per nos, cõſequens eſſe, quid? animas liberum voluntatis arbitriũ habere. Expectabas vt ſimpliciter inferret, (quod feciſſet ſi argumentationis formæ in terminis ſeruire voluiſſet) animas aut

Ex lib. de vera religione.

Vt ſecũ pugnẽt neceſſitatis & peccati ratio. Vtque neceſſitas volũtario opponatur

Nota hanc expenſionẽ verborum Auguſtini.

homines voluntatem habere (quod etiã vos non diffitemini) ſed quia in noſtræ voluntatis ratione (quod ſupra audiſti) libertatem neceſſario includi intelligit, quo veſtram illam: quaſi præuideret, cauillationẽ excluderet, maluit hoc oratione explicare, q̃ vno ſimplicíq; voluntatis vocabulo innuere. Quare etiã continuo poſt, voluntati neceſſitatẽ opponit. Tales, inquit, ſeruos ſuos meliores Deus iudicauit, ſi ei liberaliter ſeruirent: quod nullo mõ fieri poteſt, ſi nõ voluntate ſed neceſſitate ſeruirent. Et primũ hominem, ſi neceſſitate conſenſiſſet perſuadenti mandati præuaricationẽ diabolo, nullum inde peccati crimen & reatũ incurſur: fuiſſe. Et hæc adeo manifeſta affirmat, vt nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctor: turba diſſentiat: Et quiſquis diſſenſerit, illum hoc neceſſario inferre, vt nemo obiurgandus, nemo monẽdus ſit: imo & Chriſtianã legem, et oẽm religionis diſciplinam auferre ex cœtu hominum. Et hęc vos cũ impudentiſſime aſſeratis, cum nullam nobis liberæ voluntatis facultatem reſtare doceatis, qua poſſemus vti aut ad viuendum bene, aut ad declinandum a malo, & peccatum vitandum: ſed neceſſario nos peccare, ad bene aũt viuendum, aſpirandumve ad vitam bonã, aut ad eam ſaltem deſiderandum, nec hylum quidem liberæ facultatis adeſſe, ſed vnius Dei in nobis hoc opus eſſe, in quibus voluerit: nihil vero per nos ad hoc cõferri: expectandum nobis proinde, imo neceſſario, neceſſitatis quibus aſtringimur legibus obſequendũ: & peccatis ſeruiendum: donec illi placuerit nos inde eripere, ad ſe conuertere, & in nobis ſine nobis operari quæ ſibi ſunt placita. Hæc, inquam, cum vos fronte perfricta aduerſus totius orbis conſenſum nõ dubitatis aſſerere, nondum vos pudet affirmare vnum ſaltem veterum omnium Auguſtinum, vbique conſonanter & clariſſime veſtræ ſententiæ ſubſcribere? quo vno, nemo, veſtram ſententiam luculentius traducit, efficacius impugnat, liberius ac vehementius execratur, etiam vos indignos iudicans qui inter homines cõnumeremini: dignos vero qui exterminemini e cœtu hominum? Quem rurſus audi quantopere cæcitatem hanc veſtram admiretur, libro de quantitate animæ, cap. vltimo. Datum eſt, inquit, animę liberum arbitrium: quod qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur, adeo cæci ſunt, vt ne iſta quidẽ vana & ſacrilega: propria ſe voluntate dicere intelligãt. Audite ergo, et intelligite inſipientes cęcitatem veſtrã, et lumini orthodoxę veritatis aperite oculos: quos illi clauſit, nõ neceſſitas, ſed voluntaria veſtra malitia, nec tñ facultatem illos rurſus aperiendi eidẽ, vobis abſtulit, cũ parato ad hoc omnibus illud ipſum humiliter et fideliter inquirẽtibus, diuinę benignitatis adiutorio: quãdiu in huius agonis nobiſcũ decurretis ſtadio. Tametſi ea ipſa ſociata cõtumaci illa et ſuperbiſſima de vobis præſumptione, craſſiores vobis ignorãtiæ, & cæcitatis tenebras inuexerit. Ineluctabiles equidem, niſi illa ipſa depoſita qua audetis aſſerere

Ex lib. de quantitate animæ.

rere quicquid vel ebrijs vel ſomniantibus apparuerit, aduerſus totius ab initio eccleſię ſentētiā:eidē vos hūiliter ſubmiſeritis,aduerſus quā ita ſcripturas inducitis,quaſi nemo ante vos ſcripturas legerit:certe intellexerit. Ita audet viliſſimus quiſq; homuntio,nouo hoc Euāgelio veſtro initiatus, & de repēte repletus illo, quem ſuis infundit,ſpū, dicere,nihil moror quid Clemens, quid Tertullianus, quid Irenæus , quid Origenes, Cyprianus, Baſilius,Hieronymus,Ambroſius, Hylarius , Chryſoſtomus, Leo,Gregorius, Bernardus , quid deniq; cæteri orthodoxorum patrum dixerint, crediderint, ſenſerint , fuiſſe hos in carne homines: carnem nihil ſapere eorum quæ Dei ſunt,intelligi diuinas ſcripturas per Chriſti ſpiritum,quem ſtolidiſſime & ſuperbiſſime ſibi arrogant,illis adhuc impudētius derogāt,vt quos palā inhabitauit Chriſti ſpiritus,& ſui euidentiſſima ſigna in vita vere ſpūali & Euāgelica: cœleſti & angelica in terris conuerſatione,atq; etiam euidentibus,quę per eos operatus eſt,ſignis & miraculis,clariſſime exhibuit. Aduerſus quę, quænam ſui ſpiritus hi ſigna & indicia proferunt?homines vita plane carnali,qui orbē inquietant & perturbant , quo ipſis liceat cum ſcortillo,aut ſanctimoniali aliqua:abſtracta ex ſacris adytis,ex ſctō vitæ inſtituto ac propoſito,voluptuari in cœno libidinis:ſacrilega copula ſociari,& ſuā cum eis explere libidinem ſub coniugij colore & titulo. Quo ſuis profuſis,ſi quæ modo ſua habuerunt, aliena inuadunt ſibiq; vſurpant. Tēpla,monaſteria,& quicquid Deo dicatū eſt,profanant,demoliuntur,ac diruunt:Chriſti & diuorū erectas ſtatuas , & poſitas imagines (cum interim quæ mortalibus adhuc, atq; impijs fortaſſis hoībus erectæ ſunt,æquo animo ferant) cōminuunt & obliterāt: ſacroſanctis magiſtratibus in ſuo regno,ſuo ouili nobis cōſtitutis a Chriſto, ſuperbiſſime reſiſtunt. Hæc vita illis eſt vere ſpiritalis & Euāgelica,hi mores hoc digni & cōgruētes Euāgelio:eiuſmōi eius Euāgeliſtę,pcones,et apoſtoli:pudet ſuis illos colorib. magis exprimere,hoīes(ꝙ de ijſdē affirmat Apoſt.)mēte corrupta,et circa fidē reprobos. Neq; eſt ꝙ noſtra in nos pctā & vitia retorqueāt,pro qbus nō dubitamus diſtrictā a nobis rōnem exacturū iuſtiſſimū iudicē: Neq; em̄ multorū e nr̄is vitā pdicamus:ſed illorū qs noſtrę religionis,nr̄æ fidei duces & doctores ſeqmur, cū ea q̄ antiſtitū eſt,pręconū,et aſſertorū noui huius,qd nunc impugnamus,Euāgelij,cōferimus:vt qto ſit tutius illos q̄ hos ſeq, qſq; intelligat.

Sed ad Auguſt. redeundum eſt,& adhuc copioſius demōſtrandū: q̄ vbiq; cōſonanter & conſtāter libertatē arbitrij aſtruat, & iſtorū non probet,ſed dānet impietatē & amentiam: vt mirari mecū non ſufficiā: quid Caluino illi in mētem venerit,quid frontis aut mētis habuerit,cū ita ſcriberet,ab vno Auguſt. vbiq; cōprobari,& aſtrui ſuā ſententiam.

Contra Fauſtum lib. XXII. cap. XXVIII. In eo genere facta eſſe a ſuo conditore rationalia vniuerſa affirmat, vt ipſis inſit poſſibilitas, aut facultas frenandi delectationem, aut concupiſcentiam ab illicito, quam Ex li. xxij. contra Fauſtum Manichæum.

tur e cœtu hominū? Certe in Retractationū ſuorꝫ libris nihil horum omnium recantaſſe inuenitur,ſed aſſeruiſſe & confirmaſſe potius.

Videamus tamen an nō ea in re & verius ita tibi dicendū fuerat, ꝗ etſi non vnus oīm,tñ etiā ipſe vnus ex omnibus,ſibi perpetuo cōſonet de libero arbitrio,et eandē ſemper ſententiā,non dubiā et perplexā, ſed velut oīm certiſſimā ſemper proferat. Non quidē veſtrę ſubſcribentē ſententię:ſed eāipſam,omni condēnantem atꝗ execrantē anathemate.

Reſtant aūt duo librorum eius genera:primū eorꝫ,quæ diſputationes & conflictationes ipſius cum Pelagio & diſcipulis eius continent, Qui cum ex facultate liberi arbitrij(ꝗ nimiam illi tribuebant)exterminare conabantur diuinā gratiā,eo tendit vniuerſa in conflictationibus

Intētio Augustini in libris aduerſus Pelagianos.

illis Auguſtini intentio,vt depreſſa quantū omni artificio potuit,extenuataꝗ facultate liberi noſtri arbitrij, contra efferret diuinæ in nobis gratiæ efficaciam:In quibus non equidē negat,ſed quantum poteſt,declinat,fugit,& diſſimulat quæ hactenus audiſti eū aſſerentem de libertate arbitrij,vt eiuſmodi cōflictationum exigebat ratio:niſi vbi ad hoc cogitur per aduerſarium.Ita fere ſingula aduerſariorꝫ verba captat: in ſingulis collectiōibus aliquid quærit quod cauilletur,vt ita dicam,quo eorꝫ infirma omnia apparerent auditorio.In quorum tñ nōnullis, niſi diſputationis mos excuſaret,candorem eius requireres.Ita lib. de natu

Qualis ſit Auguſt. in pleriſꝗ aduerſus Pelagium diſputatiōibus.

ra & gratia cap. XLVI.aduerſus hoc Pelagij dictum:Quod voluntatis arbitrio ac deliberatione priuetur, quicꝗd naturali neceſſitate conſtringitur,argutatur ex ea voluntate qua beati eſſe volumus, Qñquidem id omnino,neſcio qua bona conſtructione naturæ,nolle non poſſumus.Item ex voluntate Dei,nec enim dicere nos audere,ideo Deum non voluntatem ſed neceſſitatem hābere iuſtitię,quia non poteſt velle peccare.Et eiuſdē lib.cap.XLIX.hanc Pelagij collectionem infirmare conatur,Quia non peccare noſtrum eſt,poſſumus & peccare, & non peccare. Quid, inquit, ſi alius dicat, quia nolle infelicitatem,noſtrū eſt, poſſumus eā & nolle & velle?& tñ eam velle omnino non poſſumus.

Hæc ſiquidem Auguſtini,ſed diſputantis ſunt,& in illo cōflictationis calore:vbi aduerſarij aſſumpta omnia:tametſi vera ſint,qbuſcunꝗ tamen modis ac medijs apparentibus impugnare conamur,quo pluri

In diſputationibus, non quæ ſerio ſentias, dici omia.

bus modis illum viciſſe videamur ſi diſſoluere nequeat.Alioqui indigna hæc ſunt,ꝗ ſerio dicta ab Aug. fuerint,nullā eſſe culpæ aut peccati rationē,vbi natura dñatur aut neceſſitas:neminem ob hoc merito laudari aut culpari,quod neceſſitate quadā ſibi ineſt, nec in ipſo ſitum eſt, vt habeat, aut non habeat, toties, idem ipſe affirmauit ita eſſe euidens præconizante natura, vt nulla in eo doctorum paucitas,nulla indoctorum turba diſſentiat,vt hocipſum ex naturali quodam ſenſu decantetur in ſyluis ac montibus a bubulcis, & paſtoribus ouium : in theatris a poetis: ab indoctis circunferatur in circulis: a doctis inter ſtudia,

& li-

& libros: a ludimagiſtris in ſcholis: a ſacerdotibus & diuini verbi præconibus in templis: in vniuerſo denique terrarum orbe,ab vniuerſo genere hominum, Quis enim peccat,in eo quod vitare nullo modo poteſt? Nihil cuiquam deputari poſſe ad reatum, quo carere in noſtra facultate non eſt,non magis quam balbo balbuties ſua, & infanti infantia,aut ſermonis vitium:etiam ſi in eloquentia beatitudo conſiſteret,atq; ita crimini duceretur cum peccatur in linguæ ſonis,quam nūc cum peccatur in vita & moribus, vnum hoc nobis imputari poſſe, quod committimus voluntarie, hoc eſt,libere, & quod non committere in noſtra poteſtate fuerat. Quandoquidem, inquit, quod liberum non eſt,voluntarium non eſt: & vbi deeſt libertas, deeſt & voluntas. Aduerſus hæc, ſi quis Auguſtino obijciat,quæ hic nunc Pelagio eadē dicenti obijcit,de voluntate qua beati eſſe volumus, quaſi ad eam neceſſitate naturali conſtringamur, & tamen voluntas ſit,an non illi,facile & recte reſponderet,quod ſupra pro eodem aduerſus Caluinum reſpondimus? fac me illum,qui dixerim,voluntatis arbitrio ac deliberatione priuari, quicquid naturali neceſſitate conſtringitur: fac inſuper conueniri me dictis Auguſtini verbis de voluntate qua beati eſſe volumus: negabo ad illam: nos vlla neceſſitate cōſtringi. Sed, inquis, nolle non poſſumus beatos nos eſſe,ſit ita,quid tum deniq;? Ergo neceſſario volumus beatos nos eſſe? Negabo hoc recte concludi: q̄nquidem: quod infertur,euidēter falſum eſt, Non neceſſario volo me beatū eſſe: imo libere volo,& in poteſtate mea eſt non velle: ſicut & maxima temporis parte nō volo, vt cum ago aliud, non tamen poſſum nolle, quia nihil poſſum nolle,quod ſub boni tantum ratione proponitur,fac etiam de diuina voluntate me conueniri eiſdem verbis, quibus Auguſtinus oppugnat idem dictum a Pelagio, dicere nos non audere, ideo Deum non voluntatem ſed neceſſitatem habere iuſtitiæ,quia non poteſt velle peccare. Reſponderem aliam voluntatis noſtræ rationem eſſe, qui adhuc in præſentis vitæ agone decurrimus, & certamus quo aſſequamur coronam iuſtitiæ: aliam eorum qui huius agonis metam exceſſerunt,& locum iā obtinent in quo mercedē,quiſq; ſecundū laborem ſuum & opera, recipiunt: aliam denique voluntatis diuinæ. Ad hæc dicerem: locutionem obſcuram & ambiguam: vtiq; me dicere audere, natura: non voluntate,iuſtum,& bonum Deum eſſe,tametſi inuitus talis non ſit: audere me dicere, ea quæ iuſte, & iuſta vult, non neceſſario ſed libere velle,& eadem poſſe non velle, tametſi non poſſit aut velle peccare, aut iniuſte agere, fac etiam ita me collegiſſe,Quia peccare & non peccare, noſtrum eſt, poſſumus peccare & non peccare, fac ex aduerſo mihi dicere aliquem, quod Auguſtinus aduerſus eandem collectionem Pelagij. Quid ſi,inquit,alius dicat, Quia nolle infelicitatem, noſtrum eſt, poſſumus eam & nolle, & velle, quam tamen velle

velle omnino non poſſumus. Ego ſane iuberem hunc contradictorem: leges argumentationum rectius diſcere. Neq; enim ſimilem eſſe noſtram & Pelagij, quam infirmare nititur, collectionem: ſed per omnia diuerſiſſimam. Aliud nanq; eſt, velle & non velle: aliud velle, & nolle. Recte nos collegiſſe, nos poſſe velle & non velle, quicquid noſtrum eſt: hoc eſt, ſitum in poteſtate liberi noſtri arbitrij: non tamen inde recte colligi, quod eorum quodque poſſimus & velle, & nolle. Nihil enim velle poſſumus, niſi quod ſub boni alicuius ratione proponitur: nihil item nolle, niſi quod offertur ſub mali alicuius ſpecie. Proinde, ſi quid ſub vna tantum aut boni aut mali ratione proponitur, nõ poſſumus ipſum & velle, & nolle, ſed tantum alterum: bonum velle, malum nolle: vtrunq; tamen libere, non neceſſario: vtriuſq; actus nos plenam poteſtatem habere: poſſe nos velle bonum pro noſtro arbitrio: poſſe & non velle, & a voluntate ceſſare: poſſe nolle malum: poſſe etiam, non nolle, & a nolendo ceſſare. Non tamen, ſi nolle ceſſat, continuo vult, nam etiam aliud agens, etiam dormiens, ceſſat.

Horum ideo te lector admonere volui, vt intelligeres, quantum ponderis & momenti habiturum eſſet, ſi quid in iſtius generis Auguſtini libris occurreret, detrahens libertati arbitrij. Quin potius veram eius & ſeriam ea de re ſententiam, requirendam: & ex illis quos nunc citauimus libris eiuſdem: & etiam ex alijs, quos ſcripſit quidem poſt introductam a Pelagio eam pugnam aduerſus diuinam gratiam: ſed ſcripſit catholicis: aut proprie eam controuerſiam explicans, aut obiter tractans, vbi eius locus admonuit, faciam tamen vt nihilominus ex vtraq; hac librorum eius claſſe, clariſſime intelligas vt ſuam: quam hactenus audiſti, ſententiam, vbiq; tueatur & aſſerat. Et primo ex eo librorum genere, in quibus, quantum poteſt, facultatem liberi arbitrij conatur deijcere, & quaſi per contentionem confert cũ diuina gratia.

Oſtenditur ſibi perpetuo cõſona de libertate arbi. Auguſtini ſentẽtia, ex ea etiã claſſe librorũ eius quos ſcripſit aduerſus Pelagianos.

Ex lib. I. cõtra duas epiſtolas Pelagiano.

Itaq; cum Pelagiani perpetuo in ore haberent liberum arbitrium, & eius quiduis faciendi facultatem, & contra in diſputationibus diceret ſoleret Auguſtinus, liberum dici non poſſe, quod peccato ſeruit: & calumniarentur propterea illi, liberum a nobis negari arbitrium: contra duas eorum epiſtolas ſcribens, & ad eam alterius eorum partem reſpondens, qua dicebant affirmari a nobis, peccato primi hominis ñobis perijſſe liberum arbitrium, libro I. cap. II. hanc a nobis refellens calumniam. Quis, inquit, noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt propter peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam: propter quod, natura humana, diuina gratia indiget.

Digreſſio.

Admonet nos hic Auguſtini locus, quo idem & vniuerſa: quæ deinceps ex illo citabuntur, præſertim quæ ad ſe trahunt aduerſarij, cla-

rius intelligantur, paucis diſtinguere, quæ libertas velut naturalis rationali creaturæ, perpetuo conueniat hominibus: quæ ſit illa, quam aut peccato originis, aut noſtris peccatis proprijs perdidimus, et nobis hic ex parte reparatur per iuſtitiam, Dei gratiam, ac diuinum ſpiritum: quæ denicꝗ libertas eorum qui vitam beatam adepti, Deo coniunguntur in gloria.

Diſtinguitur triplex libertas.

Eſt, quod ſupra demonſtrauimus, omni rationali creaturæ data voluntatis libertas, qua eadem: proprios ſuos motus, actioneſque omnes in ſua poteſtate habet: nec vlla neceſſitatis ſeruitute conſtringitur, vt hac moueatur aut illac: hoc proſequatur amore, illud abominetur ac fugiat: hoc velit, hoc nolit: ſed ita horum quodcꝗ facit, vt in poteſtate habeat non facere. De hac vna libertate, in vniuerſis illis aduerſus Manichæos libris ab Auguſtino actum eſt hactenus: & ea eſt, quæ proprie appellatur liberum voluntatis arbitrium, & quam omnes & ethnici, & diuinis eruditi oraculis, ſub hac voce intelligunt: de qua: & omnium hactenus intellexiſti ſententiam.

Libertas, quæ velut naturalis rationali creaturæ, perpetuo conuenit hominibus

Quoniam autem: voluntas hæc, hic non acquieſcit in ſuiſipſius tantum actionibus: nec eiſdem: aut ſeipſa perfruitur, ſed illi, velut regi cuidam: gubernacula mandata ſunt in regno hominis, ita: vt illi, ſua poteſtate ſerio, vehementer, efficaciterꝗ vtenti ac præcipienti, membra vniuerſa quæ motui voluntario deputata ſunt, obtemperent: ſentiunt nihilominus vniuerſi, ex carnis naturali quadam infirmitate, & propenſione ad ſibi amica, ſuauia: ac delectabilia: quæ vniuerſum hominem ad ſe attrahit, ex cognatione & naturali quodam conſenſu: quæ eſt animæ cum corpore cui coniungitur, & cuius famulatu & miniſterio vtitur. Ex hac, inquam, carnis ad ſibi iucunda, amicaꝗ propenſione, in ſe ſentiunt vniuerſi difficultatem, cum: quæ carni aduerſantur, quæ illi ſunt dura & aſpera, iuſtitiæ reſpectu voluntas imperat, facit enim, vt pigra membra, haud prompte, nec libenter obſequantur voluntatis imperio, facit inſuper, vt ipſa etiam voluntas, ad carnis ſibi cognatæ deſyderia inclinata: atꝗ eis condeſcendens, eiſdem quoque illectetur facile: nec facile aduerſus eadem: vtatur ſui imperij libertate, vehementia: & efficacia. Quod tamen, cũ facit, etiam aduerſus trahentis in oppoſitum carnis deſyderia: membra noſtra in ſeruitium iuſtitiæ eidem vt obtemperent neceſſe eſt. Hæc autem: velut cognata nobis bene operandi difficultas, ex voluntatis augetur ignauia, & peccandi creſcit conſuetudine, cum ſuæ dignitatis, ſui quocꝗ cui ſeruire debuit, domini, hoc eſt, Dei oblita, ſuo ſeruo, carni nempe deſyderijſque eius ſe ſubmittit, & in ſeruitutem mancipat: & eo ſe demittit ignauiæ, vt iam ægre ius ſuum ſibi vendicet, ac recuperet. Non: quod vel ſic, illam amiſit ſibi naturalem libertatem arbitrij: ſed quia ſibi placet illa cui ſe ſubmiſit ſeruitus. Quod quamdiu eſt, inde eximi non poteſt,

Seruitus, et bene agẽdi difficultas, quã & originis, & proprijs noſtris peccatis incurrimus.

Seruitus peccati, vltronea.

I quia

quia eximi non vult. At cum ſibi ſerio diſplicere incipit, iam etiam ſeruitutem illam excutere & vincere incipit. Quod tamen non facile obtinet: quandoquidem & contra domeſticum, familiarem, & cui naturali quodam ſenſu amice afficitur, carnem: & contra multo violentiſſimam inueteratæ conſuetudinis vim ſibi dimicandum eſt.

Vt difficulter excutiat voluntas ſeruitutem peccati, cui ſemel ſe ſubdidit.

Vt ad hoc adiutrice diuina gratia, illi opus ſit.

Vt iuſtitia, & diuinus ſpiritus, amiſſam peccato libertatem reparet.

In hac difficultate & pugna, quo poſſit tandem victor euadere, opus habet adiutrice diuina gratia: per quam: ſi non plane exterminatis, certe victis & ſub iugum miſſis illis hoſtibus quos ante nutrierat, fouerat, & aduerſum ſe armauerat, compos fiat iuſtitiæ: qua creſcente indies ſingulos, magis magiſque & illa ſuppeditetur carnis aduerſus rationem rebellio, & vis extirpetur conſuetudinis malæ.

Qualem arbitrij libertatem perdiderimus peccato originis.

Quoniam autem fide tenemus, primos parentes illos noſtros, non habuiſſe eam in ſe pugnam carnis & ſpiritus, ſed illam, huic prompte & abſque vlla detrectatione paruiſſe in omnibus: vim naturæ, ſuperante dono gratiæ, & originalis iuſtitiæ, quam ijdem: non ſolum ſibi, ſed etiam nobis acceperant, & ſua præuaricatione perdiderant: & proinde habuerunt non ſolum eam: quæ nobis reſtat, liberi facultatem arbitrij: qua voluntatis, ſed etiam, qua membrorum ſuorum: & totius corporis motus, abſq; vlla difficultate, aut reſiſtentia in poteſtate haberent: q̃ libertatẽ poſſibilitatis, aut bonũ poſſibilitatis ſæpenumero Auguſtinus appellat. Hanc ſane libertatem amiſimus oẽs in peccato originis. Quæ erat energia quædã voluntatis viuacior & efficacior, per donum originalis iuſtitiæ, quo, plane ſuperata: & velut abſorpta carnis illa propenſione & natura: impediebatur eadem hebetare, vim voluntatis & arbitrij. Hoc eſt illud vulnus, quod omnibus nobis inflictum eſt per peccatum originis: quod multo magis augemus peccatis proprijs, peccandi, inquam, conſuetudine: vltro ſe carni ſubmittente voluntate, & per omnia obſequente eius deſyderijs. Hoc vulnus, mortificatio carnis & corporis peccati, exterminatio prauæ conſuetudinis, cum Dei gratia & diffuſo in cordibus noſtris eius ſpiritu; ſanat, non tamen perſanat: ac primæve illi libertati, nos quodammodo, non tamen plene reſtituit, quamdiu mortale hoc corpus circunferimus. Quam plenam cum integra ſanitate obtinebimus, quando vt Pauli verbis dicam, creatura hæc liberabitur a ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei: ſeruitutem corruptionis, neceſſitatem corruptionis, aut mortalitatem intelligens.

Libertas poſſibilitatis.

Vulnus nobis omnibus inflictum, pctõ originis.

Vt ſanetur illud vulnus in nobis, non tamen perſanetur.

Libertas plena, & perſanata beatorum.

Auguſt. Hyponoſticon li. iij.

Hoc eſt quod dicit Auguſtinus contra Pelagianos Hyponoſticon lib. III. hominem peccato originis perdidiſſe libertatem arbitrij, non ad velle, ſed ad poſſe, aut perficere. Perdidiſſe quippe poſſibilitatis bonum: ſolo autem ad velle arbitrio potitum, vulnerato. Hoc vulnere, cunctos nos, libero claudicare arbitrio: nec implere nobis naturaliter ſufficere poſſe bonum; nec tamen ideo, liberum arbitrium perdidiſſe,

didiſſe, aut nomen aut rationem liberi arbitrij, quod illud poſſibilitatis bonum perdidit.

Nonnunquam etiam de libertate & ſeruitute, aliter idem loquitur Paulus Apoſtolus: liberum dicens non ſubditum, aut non obſequens: ſeruum contra: ſubiectum & obtemperans, & vtroque velut reſpectiuo vtitur, vt obſequentes carnis deſyderijs, & peccatis ſubditos, dicit liberos iuſtitiæ: hoc eſt, non ſubiectos iuſtitiæ, ſeruos autem peccati: contra vero, eos qui iuſtitiæ, non carni aut diabolo obtemperant, dicit ſeruos iuſtitiæ, liberos autem peccati. Proinde vt eſt veriſſimum, quod libro de ſpiritu & litera aduerſus Pelagianos idem Auguſtinus ſcripſit, ita male citatur a Caluino velut ſuæ ſubſcribens ſententiæ: Veriſſime equidem affirmat, liberum arbitrium non euacuari per gratiam: ſed magis ſtatui: vt per quam a peccati vitio ſanatur anima: per ſanitatem autem, ſuam libertatem vindicari arbitrio, vt non ſolum velle, ſed & illud poſſibilitatis bonum, aut perficere iam in poteſtate habeat: Ex libero arbitrio, iuſtitiæ dilectionem procedere: ex dilectione denique iuſtitiæ, legis impletionem: Legis, hanc vocem eſſe, Non concupiſces. Fidei vero, Sana animam meam: quoniam peccaui tibi. Gratiæ autem, Ecce ſanus factus es, iam noli peccare. Sanitatem dicere, Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me. Liberum arbitrium, Voluntarie ſacrificabo tibi. Dilectionem item iuſtitiæ, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ſicut lex tua domine. Vt quid ergo, inquit, miſeri homines, aut de libero arbitrio audent ſuperbire antequam liberentur: aut de ſuis viribus, ſi iam liberati ſunt? Nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrij, vtique libertatem ſonare, vbi autem ſpiritus domini, ibi libertas. Si ergo ſerui ſunt peccati, quid ſe iactant de libero arbitrio? ſi liberati ſunt, quid ſe iactant velut de opere proprio, & gloriantur quaſi non acceperint? An ita ſunt liberi, vt nec illum velint habere dominum, qui eis dicit, Sine me nihil poteſtis facere? Hæc rectiſſime dicuntur aduerſus Pelagianos: & iam intellexiſti, vt per gratiam: iuſtitiam: & inhabitantem nobis Chriſti ſpiritum: ſanetur illud vulnus, illa imbecillitas liberi noſtri arbitrij, quam & ex illo peccato originis, & ex peccatis proprijs accepimus, & vehementer adauximus. Sanam iam voluntatem: iuſtitiam deligere, & legem adimplere. Cum illi, nullum vulnus, nullam arbitrij noſtri imbecillitatem intelligentes, vnum, ſibi ſine omni gratia ad legis impletionem, & ſalutem aſſequendam ſuffi cere dicerent. Quibus recte inſultat, cur de libero arbitrio, nondum liberati ab eius illo morbo, adhuc ſerui peccati, ſuperbire audeant, aut ſi diuina ope iam liberati ſint, quid glorientur quaſi de proprio? quaſi ſuis id viribus aſſecuti ſint? quaſi non acceperint? Recte eos interrogat, an ita ſint liberi, vt nec illum dominum patiantur, qui dicit

Paulo, liberũ non ſubditum aut non obſequens dici. Contra ſeruum, obſequens, ac ſubiectũ.

Liber iuſtitiæ.

Seruus peccati.

Liber peccati.

Seruus iuſtitiæ.

Auguſt. de ſpiritu & litera.

Liberũ arbitrium ſanari per gratiã, ſanitate aũt fortius fieri, & poſſibilitatis bonum aut libertatem recuperare.

cit nobis omnibus, Sine me nihil poteſtis facere? Sed hæc nobis non aduerſantur, qui ita aſſerimus noſtri libertatem arbitrij, vt diuinæ gratiæ medicinam: & opem ſalutarem obuijs vlnis amplexemur, non reijciamus. Negamus, ſibi, ad bene iuſteq; viuendum: & ſalutem aſſequendam: ſufficere liberum arbitrium: imo pene nihil ad hoc valere abſq; adiutorio diuinæ gratiæ libere confitemur.

Regreſſus ad libros Auguſtini contra Pelagianos.

His igitur in hunc modum breuiter præmiſſis, quorum in ſequentibus frequens vſus incidet: eo reuertendum eſt, vnde pauliſper digreſſi ſumus: nempe ad clariſſime demonſtrandam Auguſtini de propoſita controuerſia ſibi perpetuo conſtantem ſententiam: Quod cum ex his libris, quos ante Pelagium ſcripſit, ſatis præſtiterimus, idem iam cœpimus, & ex hiſipſis aduerſum Pelagium conflictationibus. In quibus tamen, aut diſputationis calore, aut commodo, multa dicuntur non ex ſententia: Audiſti nihilominus quam etiam in his alienam a ſe conteſtetur, quam aduerſarij illi imponunt, ſententiam: nec a ſe tantum: ſed ab omni homine cui mens conſtet & ratio. Quis, inquit, noſtrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Addit tamen, peccato illo periſſe nobis eam libertatem: quam diximus, quæ dono iuſtitiæ originalis ſuperadiuncta erat libero arbitrio, & eius quidam vigor, quædam virtus, efficacia, & ſanitas: quæ cum etiam immortalitatem includeret, veriſſime dicit, eam nos illo originis peccato perdidiſſe libertatem: quæ in paradiſo fuit: habendi nempe plenam cum immortalitate iuſtitiam.

Quę nobis libertas perierit per peccatum originis.

Ex lib. iiij. aduerſus Pelagianorum epiſto.

Rurſus libro quarto aduerſus eaſdem Pelagianorum epiſtolas, Quod fere vſu venire ſolet, vt dum vitant ſtulti vitia, in contra currant. Sic Pelagianos quoq; aberraſſe oſtendens, dum nimium nolunt eſſe Manichæi, dicit eos aduerſus Manichæos ſic defendere liberum arbitrium: vt ipſum impie extollant contra catholicos: ſic enim ipſos intelligere quod dicit dominus per prophetam, Si volueritis, & audioritis me, bona terræ commedetis, &c. tanq̃ in ipſa præcedente voluntate, ſit conſequentis meritum gratiæ, vt iam gratia non ſit gratia: quæ non eſt gratuita: cum redditur debita: Si autem intelligerent quod dictum eſt, Si volueritis &c. vt etiam ipſam bonam voluntatem, illam præparare confiterentur, de quo ſcriptum eſt: Præparatur voluntas a domino, tanquam catholici vterentur hoc teſtimonio: & non ſolum hæreſim veterem Manichæorum, ſed etiam nouam Pelagianorum contererent. Vides quid ille damnet in Pelagianis, non equidem: quod libertatem aſſerent arbitrij: ſed quod illi tribuebant, ſine gratia Dei mereri DEI gratiam, & hocipſo exterminarent gratiam: quæ eſſe quod dicitur non poteſt, niſi gratuita ſit, aut ſi velut debita reddatur.

Quid damnet Auguſtin. in Pelagianis.

Quan-

Ex lib. I. aduerſus eaſdem epiſto. Quæ ſingula, tam in Manichæo & in Pelagio execrētur catholici.

Quanquam, quæ ſingula, tam in Manichæo, quam in Pelagio exe-crentur orthodoxi & catholici, cap. vltimo lib. primi aduerſus prædictas epiſtolas accuratius explicat. In illo nempe, quod dicit, a bono Deo nec creatos homines, nec nuptias inſtitutas, nec legem per Moſen datam. In hoc vero, quod inimicatur gratiæ Dei quæ venit per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum: vt eam dicat non gratis, ſed ſecundum merita noſtra dari, & hominem libero arbitrio bene vtendo mereri gratiam: Paruulos ita eſſe ſaluos, vt a ſaluatore audeat negare ſaluandos. Vides capita blaſphemiarum Pelagij: in quibus eſt, nõ quod libertatem arbitrij aſſerit, ſed quod illi tribuit gratiæ meritum: etiam ante gratiam.

Ex lib. I. de gratia Chriſti, & pecc. origin.

Iterum lib. primo de gratia Chriſti & peccato originali contra Pelagium & Cœleſtium eius capi. XLVII. dicit inter Pelagium & nos de gratia & libero arbitrio, nullam quæſtionem fore, ſi horum trium, quæ in nobis diſtinxit, eſſe, poſſe, & velle, vt primum confitetur a Deo, ita quoque confiteretur ipſam voluntatem: & actiones eius, vt bene velimus, & bene agimus, diuinitus adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus. Eamque eſſe gratiã Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, in qua nos, ſua, non noſtra iuſtitia, iuſtos facit, vt ſit vna noſtra iuſtitia quæ nobis ab illo fit (quod quo pacto fiat in controuerſia, de iuſtificatione hominis, fide, & operibus plenius explicauimus.) In his ſi hic conueniret nobiſcum, nihil controuerſiæ inter nos fore reliquum.

Rurſus contra eoſdem Pelagianos Hyponoſticon lib. III. Eſſe fatemur omnibus hominibus liberum arbitrium, & certa fide credimus, & prædicamus indubitanter: habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum in his quæ ad Deum ſunt, ſine Deo, aut inchoare, aut certe, peragere aliquid: ſed tantum in operibus vitæ præſentis, bonis, & malis: quorum vtrorumque multa exempla ſubijcit. Non præuenire nos Deum voluntate noſtra: vt quæramus eius gratiam, tanquam pro meritis noſtris accepturi eandem: ſed noſtrum meritum præueniri ab eius gratia. Eſſe autem liberum in nobis arbitrium, ita irreuincibiliter colligit. Quomodo enim vnicuique, inquit, redderetur ſecundum ſua opera in die iudicij, niſi liberum eſſet arbitrium? In omni itaque opere ſancto, prior eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrij: id eſt, operatur Deus, cooperatur homo, &c. Nemo ſit ſegnis aut remiſſus, ad ſeruiendum Deo: nec ſic de gratia confidat, tanquam Deus liberi arbitrij eius quod per mortem filij ſui reparauit, & ſibi præparauit, opera non requirat, imo declinet a malo, & faciat bonum: vigilet, quærat, pulſet, petat, contendat vincere ſæculum: Deo placere, ſic, vt dum per huius mundi pelagus currit, anchoram gratiæ, fiducia liberi arbitrij non ſoluat. Quia ſiue in proſpero curſu, ne extolla-

tur: ſiue in tempeſtate tentationum, ne mergatur, ſiue eius gubernaculo, quouſque ad portam paradiſi peruenerit, non poteſt permanere ſecurus. Cum autem impleuerit, fidenter dicat cum apoſtolo Paulo, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, tandem concludens, Itaque nec gratia, inquit, ſine libero arbitrio facit hominem habere vitam beatam; nec liberum arbitrium: ſine gratia: Et poſt aliquanta: Audi, inquit, hæretice, ſtulte, & inimice fidei veritatis. Opera liberi arbitrij bona: quæ vt fiant, præparantur per gratiæ præuentum, nullo arbitrij liberi merito, etiam ipſa faciente, gubernante, & perficiente, vt abundent in libero arbitrio, non damnamus. Quia ex his, vel huiuſmodi, homines Dei iuſtificati ſunt, iuſtificantur, & iuſtificabuntur in Chriſto. Damnamus vero authoritate diuina: opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex quibus, tanquam meritis in Chriſto, iuſtificari extolluntur, Quis enim prior dedit, & retribuetur illi? &c.

Epilogus dictorum Auguſtini de libero arb. in libris contra Pelagian.

Hæc: atque iſtiuſmodi: Auguſtinus de libero hominis arbitrio, in illis ipſis libris, in quibus ſtudio iniquiſſimus eſt libero arbitrio. Quem tamen audis, non hoc dānare in Pelagio, quod liberum arbitriū aſſerit, ſed quod plusq̃ oportet, aut veritas admittit, illi attribuit. Hoc nempe, ipſum, homini, per ſe ad ſalutē ſufficere: nec opus habere diuinæ gratiæ adiutorio, vt iuſte, & ſancte viuat, ipſum ſuis operibus, ſine Dei gratia mereri, & hic adiutricem gratiā: non quidem neceſſariam ad iuſte ſancteq; viuendū, ſed cōmodum, & vtilem: & in futuro felicitatem: & æternam gloriā: Noſtra: non Dei iuſtitia nos ſaluos fieri. Hæc ſunt quæ ille meritiſſimo damnat, atq; execratur in Pelagio. Non negat, quod illi falſiſſimo imponūt aduerſarij, imo eſſe confitetur. Nō tantum fuiſſe primo homini ante peccatum, ſed eſſe omnibus hominibus, etiā poſt peccatum, liberum voluntatis arbitrium: hoc certa fide credit, hoc prędicat indubitanter: ipſum habere rationis iudicium: non tamen quod per ipſum valeat in his quæ ad Deum pertinent, ſine Deo, aut inchoare, aut certe peragere, ſed tantum in operibus vitæ præſentis, bonis, & malis, quorum vtrinq; multa exempla ſubijcit, quæ cum pro ſe citant aduerſarij, exiſtimantes ex his intelligi, Auguſtinum in eis quæ ad Deum, hoc eſt, ad pie, recte, iuſteq; viuendum pertinent, nullas partes, nullam facultatem tribuere libero arbitrio, ſed tantum in operibus vitæ præſentis, & ciuilibus, ſeu neutris, & indifferentibus, ad vitam beatam, & ſalutem aſſequendam: mirari ſatis non valeo iſtorum hominum ſtupiditatem: & oſcitantiam.: Non enim nullam facultatem: nullas partes Auguſtinus ad bene, iuſteq; viuēdum: & vitam beatā aſſequendam libero arbitrio tribuit, qui codē loco paulopoſt ſubijcit, nec gratiam ſine libero arbitrio, facere hominem iam rationis capacem bene viuere: & vitam beatam aſſequi: nec liberum arbitrium

ſine

ſine gratia: ſed hoc illius præparatum & adiutum ope,& auxilio. Proinde hortatur quenque, vt ad hocipſum: nempe ſeruiendum Deo, nemo ſit ſegnis, aut remiſſus: ſed vt diligenter conetur, & intendat libero ſuo arbitrio: nec ſic quiſquam de gratia confidat, quaſi Deus liberi arbitrij eius opera non requirat: imo, inquit, declinet a malo, & faciat bonum, vigilet, quærat, pulſet, petat, contendat vincere ſæculum, Deo placere. Hæc,inquam,liberi arbitrij opera ſubijcit,quæ a nobis requirit Deus: ſimul docens in huius vitæ decurſu, ne extollamur in proſperis, aut mergamur in aduerſis, ſæuiente aduerſum nos tentationum procella, ac tempeſtate, fiduciam noſtram in Deo & gratiæ eius auxilio firmam retinere, quo aduſque ad portum ſalutis peruenientes, confidenter dicere poſſimus cum Apoſtolo, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Imo audiſti, quid poſt hæc continuo ſubijciens, tibi Caluine dicat, & veſtri illius Euangelij profeſſoribus vniuerſis. Audi, inquit, hæretice, audi ſtulte, & inimice fidei veritatis, Opera liberi arbitrij bona: quæ vt fiant præparantur per gratiæ præuentum, nullo liberi arbitrij merito: etiam ipſa faciente, gubernante,& perficiente vt abundent in libero arbitrio,non damnamus. Quia ex his vel huiuſmodi,homines Dei iuſtificati ſunt, iuſtificantur & iuſtificabuntur in CHRISTO. Damnamus vero authoritate diuina opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex quibus, tanquam meritis in Chriſto, iuſtificari extolluntur. Quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi. Audis,inquam, quibus vos deſignet, & honeſtet elogijs: nempe hæreticos, ſtultos, & inimicos fidei veritatis affirmat. Audis vt vos de ſe conuincat impudentiſſimi mendacij: vt neget ſe ſentire, & credere, quod illi imponitis: neget ſe damnare opera liberi arbitrij bona, ad quæ cooperatur diuina gratia: ex his enim liberi arbitrij operibus,ab initio ſemper iuſtificatos fuiſſe Dei homines: iuſtificari etiam nunc: iuſtificandoſque in Chriſto, dum huius militiæ curſus durauerit. Sed ea: authoritate diuina: damnat liberi arbitrij opera: quæ fiunt a contemptoribus diuinæ gratiæ: ab his,inquam, qui quærentes ſuam iuſtitiam ſtatuere, iuſtitiæ Dei ſubiecti non ſunt: Qui ſua opera diuinæ gratiæ præponunt, & ab illis, tanquam ſuis, proprijſque meritis, iuſtificari ſe aſſerunt. Audis hæretice (vt Auguſtini tui te verbis rurſus conueniam) audis ſtulte, audis inimice veritatis fidei,quæ ille damnet liberi arbitrij opera: Audis quæ probet: audis quæ libero arbitrio in illis attribuat: nempe vt ea faciat, vna tamen cum diuinæ gratiæ adiutorio: audis de eiſdem liberi arbitrij noſtri operibus quid idem affirmet, vt videlicet ex his, ab initio iuſtificati fuerint ſancti Dei homines: & iuſtificentur adhuc, iuſtificabunturque in Chriſto. Quod tamen, quo pacto ſane intelligi oporteat, dicta de iuſtificatione controuerſia ſatis explicatum eſt,& hoc tibi

eſt libero arbitrio, in his quæ ad Deũ pertinent, ad bene, iuſteq; viuendum: & Deo ſeruiendum: omnem facultatem: vel conandi vel etiam optandi, ſibi a Deo eius gratiam tribui: negare, & adimere? Affirmat ille eſſe liberi arbitrij bona opera: negas tu ea eſſe liberi arbitrij opera: ſed ſoli ea gratiæ tribuis. Ille affirmat liberum arbitrium: ea: & facere, & conſummare: quod ipſum de ſe affirmat Paulus apoſtolus, dicens, ſe bonum certamen decertaſſe, fidem ſeruaſſe, curſum conſummaſſe. Tu contra: nullas in his eſſe partes liberi arbitrij: nihil hæc ab illo pendere: nullam, nec minimam quidem, ſeu efficiendi, ſeu conſeruandi, promouendique, ſeu conſummandi authoritatem: facultatem: aut actionem libero arbitrio in his competere. Ille affirmat ex his liberi arbitrij bonis operibus, omnes ab initio ſanctos Dei iuſtificatos fuiſſe, iuſtificari adhuc, iuſtificandoſque perpetuo, dum huius agonis & militiæ tempus durauerit. Tu contra nulla opera bona: etiam qualiacunque ſint, ad aſſequendam iuſtitiam quicquam valere, quicquam momenti habere affirmas: imo mala pernicioſa, atque impia fieri, quandocunque eo fiunt reſpectu, fine & intuitu: vt in ijs DEO placeamus, aut eius prouocemus erga nos benignitatem: & miſericordiam. Poſſet ne Caluine magis per omnia e diametro pugnare veſtra: & doctiſſimi, ſanctiſſimique illius patris, quem vnum veterum omnium alicuius facere videris, vnum velut vobiſcum ſtantem producis, Auguſtini ſententia?

Anthiteſis ſententiæ Auguſtini de libero arb. & aduerſariorum.

Sed dicis Auguſtinum diſtinguere ea quæ ad DEVM pertinent, ab operibus vitæ præſentis. In illis negare liberum arbitrium ſufficiens, aut idoneum ſine Deo quicquam aut inchoare, aut certe perficere: in his ſeu bonis, ſeu malis, vt hoc poſſit, affirmare, & contendere. Recte ſane hæc diſtinguit Auguſtinus: recte negat in his quæ ad Deum pertinent, ſine Deo quicquam poſſe aut inchoare, aut certe perficere liberum hominis arbitrium. Quod tamen illi concedens in vitæ præſentis operibus, ſi ad ſermonis proprietatem & rigorem ſpectes, plus libero arbitrio attribuit, quam nos illi concedamus, aut permittat pietatis regula: Neque enim ſine Deo, etiam in operibus vitæ præſentis, illi concedimus poſſe recte agere: quando folium ex arbore ſine Deo in terram non decidere ipſa affirmat veritas, ſed quod ille dixit, (ſine Deo) ſpecialem diuinæ gratiæ aſſiſtentiam intellexit. Quæ in illis, vt adſit, oportet: cum ad hæc illa generalis ſufficiat.

Cauilli remotio.

Poſſemus opinor hic quieſcere quod ad Auguſtinum attinet, niſi promiſſi nos obligatio teneret. Neque enim poſthac puto dubitaturum quenquam quæ ſit AVGVSTINI ſententia de propoſita controuerſia: qui prædicta legerit. Quia tamen ita inſtituimus ab initio, ex vniuerſo librorum eius genere demonſtrare, ſibi, & prædi-

ctis omnibus vndique conſonantem: certiſſimam: clariſſimamque eiuſdem ſententiam:ſi forte a peruicaciſſimis, erroris ſui confeſſionem extorquere poſſimus,hoc certe efficiemus vt ſui pudeat, quamuis impudentiſſimos.

Reſtat ergo adhuc tertia librorum eius, quod ad hanc rem pertinet, claſſis. Quos ſcripſit quidem poſt introductam a Pelagio peſtilentiſſimam illam hæreſim, aduerſus diuinam gratiam: de nimia facultate liberi noſtri arbitrij, & eaipſa de re ſcripſit, vel integros, vel vbi loca argumentaque eorum hoc requirebant, ſed ſcripſit catholicis & libera: ſedata: meditataque nudæ veritatis explicandæ diligentia: non neceſſitati, impetuique diſputationis, aſtructus aut obſeruiens. *Tertia claſſis librorũ Auguſtini de lib. arb. & gratia.*

Ex quibus primo loco occurrunt, quos de peccatorum meritis,remiſſione, & baptiſmo paruulorum ſcripſit ad Marcellinum. Quorum ſecundo cap. II. & ſequentibus, aduerſus dictam Pelagij impietatem: catholicam veritatem aſſerens. *Ex lib.ij. de peccatorum meri. & remiſſ.*

Sunt, inquit, quidam tantum præſumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, vt ad non peccandum, nec adiuuandos nos diuinitus opinentur, ſemel ipſi naturæ noſtræ conceſſo libero voluntatis arbitrio. Vnde fit conſequens, vt nec orare debeamus, ne intremus in tentationem: hoc eſt, ne tentatione vincamur, vel cum fallit, & præoccupat neſcientes, vel cum premit, atque vrget infirmos, &c. Acute autem ſibi videntur dicere, quaſi hoc vllus noſtrum ignoret, quod ſi volumus, non peccamus: nec præciperet DEVS homini, quod eſſet humanæ voluntati impoſſibile. Sed hoc non vident, quod ad nonnulla ſuperanda: vel quæ male cupiuntur, vel quæ male metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis: quas non perfecte in omnibus adhibituros præuidit, qui per Prophetam veridice dici voluit, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: & proinde etiam ſalubria quædam remedia contra reatum: & vincula peccatorum, etiam poſt baptiſmum, dare, & valere dignatus eſt, opera ſcilicet miſericordiæ, & pœnitentiæ, & cætera: Ad peccandum equidem non adiuuari nos a DEO. Iuſte autem agere, inquit, vel iuſtitiæ præceptum omni ex parte implere, non poſſumus, niſi adiuuemur a Deo. Sicut enim corporis oculus, non adiuuatur a luce, vt ab eadem clauſus auerſuſque diſcedat: vt autem videat adiuuatur:ab ea:quando hoc omnino, niſi adiuuerit, poteſt. Ita Deus qui lux eſt interioris hominis, adiuuat mentis noſtræ obtutum: vt non ſecundum noſtram, ſed ſecundum ſuam iuſtitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illa auertimur, hoc noſtrum eſt,& tunc ſecundum carnem ſapimus,tunc concupiſcentię carnis, ad illicita conſentimus. Conuerſos ergo Deus adiuuat, auerſos deſerit. Sed etiam vt conuertamur ipſe adiuuat: quod certe oculis corporis, *Per ſe omnibus nota. Non peccare hominem ſi velit, et deum non præcepiſſe nobis impoſſibilia.* *Ad peccandũ, nõ adiuuari nos a Deo.* *Simile.*

lux iſta non præſtat. Cum ergo nobis iubet dicens, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, noſque illi dicimus, Conuerte nos Deus, ſanitatum noſtrarum: & Deus virtutum conuerte nos: quid aliud dicimus, quam da quod iubes? Cum iubet dicendo, Intelligite ergo qui inſipientes eſtis in populo, & nos illi dicimus, Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua: quid aliud dicimus, quam da quod iubes? &c. Nec ideo tamen de hac re ſolis votis agendum eſt, vt non ſubinferatur ad bene viuendum: etiam noſtræ efficacia voluntatis.

Adiutorē noſtrū eſſe deum, Non adiuuari autem, niſi qui ſponte conatur aliquid.

Adiutor enim noſter Deus dicitur: nec adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur, quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis, &c.

An in hac vita, quiſq̄ eſſe poſſit ſine peccato.

Quadruplex de hoc queſtio, an eſſe poſſit. An ſit. Cur nō ſit ſi eſſe poſſit & tamē non ſit. An quiſq̄ eſſe poſſit qui nullum omnino peccatū habuerit.

Deinde illam quæſtionem pertractans, An in hac vita quiſquam eſſe poſſit ſine peccato. Hocipſum affirmantibus, dicit non continuo incauta temeritate obſiſtendum. Si enim, inquit, eſſe poſſe negauerimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, vel miſericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus. Sed alia quæſtio eſt, vtrum eſſe poſſit: alia, vtrum ſit: alia, ſi non eſt, cum eſſe poſſit, cur non ſit? alia denique, Vtrum, qui omnino nullum vnquam peccatum habuerit, non ſolum quiſnam ſit, verum etiam: poterit aliquando eſſe, vel poſſit. In hac quadripartita quæſtionum propoſitione, ſi a me quæratur, vtrum homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita: confitebor, poſſe per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium: etiam hocipſum: ad Dei gratiam: hoc eſt, Dei dona pertinere non ambigens, &c. Quid enim habemus quod non accepimus? &c.

Deum nihil impoſſibile homini præcepiſſe.

Epilogus ſententiæ Auguſt. libro memorato.

Tandem de hac quæſtione concludens, His, inquit, & eiuſmodi innumerabilibus alijs teſtimonijs dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe; nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum quo fiat quod iubet, impoſſibile aliquid eſſe. Ac per hoc poteſt homo ſi velit, eſſe ſine peccato, adiutus a Deo. Hactenus Auguſtinus libro memorato. In quibus vtique nihil habes diſſonum a prioribus. Hoc ſe & catholicos damnare in Pelagianis, quod tantum præſumpſerint de poteſtate liberi noſtri arbitrij, vt ad bene iuſteque viuendum, & ſalutem aſſequendam, Dei gratia & adiutorio, nihil nos opus habere contenderent. Nec ſe, nec quenquam dubitaſſe orthodoxum, quin nemo peccet niſi libere volens, & ꝙ Deus nihil nobis præceperit, quod in poteſtate noſtra ſitum nō ſit. Nihilominus ad bene iuſteq; viuendum diuino adiutorio nos opus habere: ęque vt oculus noſter lucis adminiculo, vt videat: tametſi viſio æque ſit virtutis viſoriæ quæ eſt in oculo. Conuerſos proinde ad ſe, Deum adiuuare: a ſe auerſos, deſerere. Quanq̄ vt cōuertamur ad ipſum: etiam ipſe præueniendo adiuuet, tn̄ conantes, ac ſatagentes, & ſeipſos conuertentes. Proinde

inde & ipſum, non abs re dicere nobis vt conuertamur ad ſe: ita fore, vt viciſſim conuertatur ad nos. Nec nos viciſſim illi. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Nec enim ſolis votis agendum eſſe, vt viuamus bene, ſed etiam noſtræ voluntatis inferendam ad hoc efficaciam: Adiutorem enim noſtrum illum eſſe, nec adiuuari illum: qui ſua ſponte nil conatur. Ita operari Deum ſalutem noſtram in nobis, non velut in rebus inanimis aut brutis, ſed vt in ratione, ac liberæ voluntatis arbitrio vtentibus. Confitetur hominem poſſe per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium: in hac vita ſine peccato viuere: nec hoc derogare Dei gloriæ, & bonitati, quod hac in re libero arbitrio attribuitur: cum etiam illudipſum gratuito dono a Deo acceperimus. Dubitare ſe non poſſe, nec Deum impoſſibile quicquam præcepiſſe homini: nec ex Deo deeſſe homini efficax ad implenda quæ præcepit adiutorium, Et vos e diametro omnia.

Rurſus ad eundem Marcellinum, libro de ſpiritu & litera: Quærens an fides ipſa in qua ſalutis, aut ad ſalutem connexionis eſt exordium in poteſtate noſtra conſtituta ſit. Præmittit diſtinctionem inter velle & poſſe. Hoc nanque vnumquenque dici in poteſtate habere, quod ſi vult facit: ſi non vult non facit. Velle aut etiam ad ea quæ in poteſtate non habemus ſe extendere. Et quia de fide quæritur qua credimus Deo, aut in Deum. Vide, inquit, vtrum quiſquam credat, ſi noluerit: aut non credat, ſi voluerit: quod ſi abſurdum eſt, quid enim eſt credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur. Conſenſio autem vtique volentis eſt, profecto fides in poteſtate eſt. Sed quia non eſt poteſtas niſi a Deo, etiam recte dici, vt credamus Dei eſſe donum. Non tamen ſcribi æque in diuinis ſcripturis, non eſt voluntas niſi a Deo, cum mala voluntas a Deo non ſit, &c. Porro cum voluntas mala poteſtatem accepit implere quod intendit, ex iudicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas, &c. Sed cum poteſtas datur, neceſſitas vtique non imponitur. Vnde cum Dauid Saulis occidendi poteſtatem accepiſſet, maluit parcere quam ſæuire.

Ex lib. de ſpiritu & litera. *An fides in poteſtate noſtra ſit.* *Diſtinctio inter velle & poſſe.* *In poteſtate quid habeamus.* *Velle, etiã ad ea ſe extẽdere quæ in poteſtate non habemus.* *Concludit Quod fides in noſtra poteſtate ſit.* *Eandẽ nihilominus eſſe donũ dei.* *Malã volũtatẽ a deo non eſſe.*

Deinde adhuc exactius inquirens: An etiam voluntas illa qua credimus, aut ad credendum commouemur, donum Dei ſit. Et quod ſit, videri ex Apoſtolo, qui affirmat nihil nos habere, quod ab illo non acceperimus. Contra vero ex hoc videri, iuſtam impijs eſſe excuſationem infidelitatis ſuæ, dicturis quod Deus ipſis voluntatem illam credendi dare noluerit. Magis aũt ſtringens, & luculentiorẽ faciens difficultatem, & inducẽs illud Apoſtoli (quod etiam pro parte affirmatiua induci ſolet) Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle et perficere pro bona ſua voluntate, dicit illud non admodũ huc pertinere. Siquidem, gratiæ hoc eſſe, quã fides impetrat, vt poſſint eſſe hominis opera bona, quæ operatur fides quę per dilectionẽ operatur, q̃ diffunditur in cor-

Poteſtatẽ non eſſe neceſſitatem. *Quærit de voluntate, quæ & gratiã, & gratia priorẽ fidem præcedit. An ſit donũ dei.* *Argumenta vtrinq;.*

cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum: Si autem credimus, vt impetremus hanc gratiam: & vtique voluntate credimus. De hac, inquam, voluntate, & gratiam, atque etiam gratia priorem fidem præcedente, quæritur vnde ſit.

Quæſtiõis ſolutio.

Pro cuius difficultatis ſolutione præmittit, liberum arbitrium naturaliter attributum animæ rationali a creatore, eſſe vim illam mediam: quæ intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt: Vnde, tametſi procedat ille aſſenſus quo credimus Deo, eum nihilominus ad Dei dona pertinere, & accepiſſe nos ab eodem: Quo vocante, ſurgit, inquit, de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit.

Vt deus velit omnes homines ſaluos fieri. Infideles et peccatores contra voluntatem dei facere.

Vult autem Deus oẽs homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non ſic tamen: vt Deus adimat liberum arbitrium: quo vel bene vel male vtentes iuſtiſſime iudicentur: Quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Euangelio non credunt: Non tamen eam vincunt, ſed ſeipſos fraudant magno et ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant: experturi in ſupplicijs, eius poteſtatem, cuius in donis, miſericordiam contempſerunt, &c. Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate eius, qui contempſerit eum: ad credendam miſericordiam eius. Quiſquis autem crediderit ei, quiſquis ſe a peccatis omnibus abſoluendum, & ab omnibus vitijs ſanandum, & calore luminis eius accendendum, illuminandumq; illi tradiderit, habebit ex eius gratia opera bona: ex quibus, etiã ſecundum corpus, a mortis corruptione redimatur, coronetur, boniſque ſatietur, non temporalibus, ſed æternis ſupra quam petimus aut intelligimus. Cui illud Pſalmi pulchre accommodat, Benedic anima mea dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, &c. Itaque nec liberum arbitrium tollimus, et benedicit anima noſtra dominum: non obliuiſcens omnes retributiones eius: nec ignorans Dei iuſtitiã, nec ſuam quærens conſtituere, ſed credit in eum qui iuſtificat impium; & viuit ex fide, donec ad ſpeciem perducatur, fide ſcilicet, quæ per dilectionem operatur, &c.

Quod ſi hac ratione etiam peccata Deo tribuenda dixeris, quia procedunt de libero arbitrio, quod donum Dei eſt. Is intelligat, etiam aliter, voluntatem: vnde fides oritur a Deo eſſe: vt ad quam vocat, & prouocat Deus: ſeu extrinſecus verbo, aut lectione, ſeu intrinſecus occulta inſpiratione, vbi nemo in poteſtate habet, inquit, quid ſibi in mentem veniat, ſed conſentire aut diſſentire, propriæ voluntatis eſt. His ergo modis vocans hominem, atque etiam ſuadens, etiam ipſum velle credere, recte dicetur operari in homine, Quando in omnibus, eius miſericordia præuenit nos. Conſentire autem vocationi Dei, aut diſſentire, ſicut dixi, inquit, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolum non infirmat, ſed etiam confirmat illam ſententiam Apoſtoli,

Quò voluntas vñ oritur fides a Deo ſit.

Cõſentire aut diſſentire vocationi Dei, propriæ voluntatis eſſe.

Quid

Quid enim habes quod non accepiſti? Accipere quippe, & habere anima non poteſt dona de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: & per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt. Accipere autem: & habere, vtique accipientis, & habentis eſt. Hæc Auguſtinus libro memorato. Quid igitur tibi Caluine aut mentis, aut frontis eſt? adhuc audes oculos attollere? Adhuc vnus tibi veterum omnium Auguſtinus clare, conſtanter, & certo, veſtræ vbique ſubſcribit ſententiæ? Si veſtra hæc eſt, quam Auguſtinum toties affirmantem audiſti, ſententia, pulchre inter nos conuenit: tametſi verba veſtra pugnent e diametro cũ hac ſententia. Quæ etiam fidem ipſam: qua nihil vobis minus ex nobis eſt: in libera noſtra poteſtate conſtituit, vt quæ ex noſtra voluntate dependeat. Poſſe nos libero arbitrio ad fidem intendere: poſſe eodem nos inclinari ad infidelitatem: Velle Deum omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non ſic tamen vt adimat eis liberum arbitrium, quo vel bene vel male vtentes iuſtiſſime iudicentur. Infideles, contra voluntatem Dei facere, quod eius Euangelio non credunt. Liberum ſe defendere arbitrium, attamen benedicere animam ſuam dominum, nec ignorare ſe Dei iuſtitiam: nec ſuam ſtatuere: ſed a Deo iuſtificationem: & vitam ſe expectare: per fidem, quæ per dilectionem operatur. Et quanquam varijs modis prouocemur ad fidẽ: quos non ſemper in poteſtate habeamus: nihilominus, conſentire vocationi Dei, aut illi diſſentire, liberæ noſtræ voluntatis eſſe. Nec tamẽ eapropter quicquam nos habere, quod non acceperimus. Quandoquidem nec illa ipſa dona, de quibus illic nos interrogat Apoſtolus, niſi conſentiendo non acceperimus. Quid habeamus aut quid acceperimus Dei eſſe. Ipſum vero & accipere, & habere, accipientis eſſe: tametſi etiam in eoipſo adiuuari nos, & præueniri voluntatem noſtram: cautius, & diſtinctius alibi affirmet, vt eo magis ipſa etiam fides intelligatur ad Dei dona pertinere: quam libro I. de prædeſtinatione ſancto. cap. III. & deinceps, fatetur aliquando ſe credidiſſe Dei donis connumerandam non eſſe, ſed a nobis eam eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, iuſte, & pie viuamus in hoc ſæculo. Neque enim fidem, inquit, putabam gratia Dei præueniri, vt per illam nobis daretur, quod poſceremus vtiliter, niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis. Vt autem nobis prædicato Euangelio, conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis ineſſe arbitrabar. Quem meum errorem: nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, &c. Sed nos ita aſſerimus libertatem in nobis arbitrij, vt tamen nihil nobis ex nobis ineſſe confiteamur. Nec eſſe nos ſufficientes a nobis quaſi ex nobis vel cogitare boni aliquid, ſed omnem ſufficientiam noſtram a Deo eſſe nihil dubitamus cum Apoſtolo.

Epilogus ſententiæ Auguſtini ex libro de ſpiritu et litera.

Vt fidem ipſam in libera noſtra poteſtate ponat.

Libertatẽ noſtri arbitrij fundamentum eſſe iuſti Dei de nobis iudicij.

Vt liberũ arbitrium defendens non ſuã tamẽ, ſed dei iuſtitiã ſtatuat.

In noſtra poteſtate eſſe cõſentire aut diſſẽtire vocationi dei, q̃ nos ad fidẽ prouocat.

Dei dona, niſi conſentiendo nos non accipere. Nihilo tamen minus dei dona eſſe.

Vt ipſum accipere & tenere accipientis ſit, Tametſi et hic in eo adiuuetur & præueniatur a Dei gratia.

Ex libro I. de prædeſtinatiõe ſanctorum.

Vt aliquãdo crediderit Augu. fidem, Dei donis connumerandam non eſſe, ſed a nobis eam in nobis eſſe, nec, vt eam habere-

[Margin: mus, preueniri nos gratia Dei. Vt dictum errorem ſuum retractarit.]

Sed iterum eundẽ Auguſtinum audi, vt certiſſimò intelligas nullam eſſe noſtræ fidei aut religionis ſententiam, quam: vna hac, clarius, certius, aut conſtantius vbique exprimat. Si forte ſuapiſorum conſcientia conuicti aduerſarij, abiecto furore cui ſe addixerunt hæretico, cum eodem Auguſtino, cuius vnius ipſis valere adhuc videtur authoritas, ad ſanam catholicæ Eccleſiæ ſententiam redeant. Quod certe facerent, niſi ita iamdudũ aſſueuiſſent Charybdim fugere, vt in Scyllam inciderent, ſi didiciſſent ita deteſtari Pelagium, ne tamen Manichæo accederent, ſi deuitatis vtrinque ſcopulis ad quos impegerunt multi naufragi circa fidem: noſſent tenere medium: Nemo ſic audeat, inquit ille, defendere liberum arbitrium: vt implorandum nobis diuinæ gratiæ neget adiutorium. Nec rurſus quiſq̃ neget voluntatis arbitrium, ne (quod hinc eſt neceſſario conſequens) peccatum excuſare audeat. Quoſdã nimia voluntatis ſuæ fiducia in ſuperbiam extulit: quoſdam nimia voluntatis ſuæ diffidẽtia deiecit in negligentiã: Illi dicunt, vt quid rogemus Deum, ne vincamur tentatione, quod in noſtra poteſtate eſt? Iſti dicũt, vt quid conamur bene viuere, quod in vnius Dei poteſtate eſt? O domine, o pater qui es in cœlis, ne nos inferas in quãlibet harum tentationum, ſed libera nos a malo.

[Margin: Aduerſarios ſic perpetuo deteſtari vnum extremum vt amplexentur alterum.]

[Margin: Auguſt.]

[Margin: Ex lib. de gratia & libero arb.]

Sed audi adhuc ex libro de gratia & libero arbitrio, qui huic argũmento proprie ſcriptus eſt, ad Valentinum, & monachos Adrumetinos, eiuſdem ſententiam: Qui cum ex diſputationibus illis orthodorum aduerſus Pelagianos, quod iſti nunc affirmant, dici a noſtris, non poſſe defendi liberum nobis in bonis operibus arbitriũ, abſque diuinæ gratiæ iniuria, male intelligerent, ſcribendi eius libri occaſionem neceſſariam eidem Auguſtino præbuerunt. Proinde, ſecunda ad præfatum Valentinum epiſtola eiuſdem argumentum, ſcopumq; explicans, Quãtum ergo, inquit, potuimus egimus cum iſtis, & veſtris & noſtris fratribus, vt in catholica ſana fide perſeuerent: quæ neq; arbitrium liberũ negat, ſiue in vitã malam, ſiue bonam: neq; tantum ei tribuit, quin ſibi gratia Dei valeat aliquid: ſiue, vt ex malo conuertatur ad bonum: ſiue, vt in bono perſeueranter proficiat: ſiue, vt ad bonum ſempiternum perueniat, &c. Hinc itaque eundem librum exorſus, quod eius ſcribendi dicta illi occaſio fuerat, error nempe multorum exiſtimãtium a nobis liberum negari arbitrium: cum aſſerimus Dei gratiam: dicit per ſcripturas ſuas reuelaſſe nobis Deum: eſſe in homine liberũ voluntatis arbitrium: Primum: quia ipſa diuina præcepta non prodeſſent homini, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promiſſa præmia perueniret. Deinde, quod fruſtra tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri a nobis & fieri iuberet Deus. Quomodo enim iubet, inquit, ſi non eſt liberum arbitrium? Deinde, quorſum illa tam multa mandata: quæ ipſam quodammodo nomina-

[Margin: Dicti libri occaſio, argumẽtum, & ſcopus, Ex epi. XI. ad Valentinum.]

[Margin: Ex ſcripturis cõſtare, eſſe in homine liberum volũtatis arbitrium.]

minatim voluntatem conueniunt: ſicut eſt, Noli vinci a malo, & ſimilia: Item illud, Pax in terris hominibus bonæ voluntatis, & quod dicit Apoſtolus, Quod vult faciat, non peccat ſi nubat. Infinita eiuſmodi ſunt. Noli hoc, noli illud, & vbi ad aliquid faciendum aut non faciendum: in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium: Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cum peccat. Neque cum aliquid ſecundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum eſt opus bonum, tunc ſperanda eſt boni operis merces, ab eo de quo dictum eſt, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

Nec peccata, nec bona opera a voluntate noſtra alienanda eſſe.

Ad operandum bene, requiri, & veritatis directricis in opere notitiam: & præter illam, etiam bonam voluntatem exigi. Ignorantiam non excuſari ſi culpabilis ſit, qualis eius de quo dicitur, Noluit intelligere vt bene ageret, &c. Quando autem dicit homo, Nõ facio quod præcipitur, quoniam concupiſcentia vincor, iam ignorantia non habet excuſationem: nec Deum cauſatur in corde ſuo, ſed malum ſuum in ſe agnoſcit, & dolet. Cum tamen dicit Apoſtolus, Noli vinci a malo, & vtique cum dicitur, Noli vinci, arbitrium ſine dubio voluntatis eius conuenitur, velle enim & nolle, propriæ voluntatis eſt.

Ad operandum bene, et veritatis directricis in opere notitiã requiri & bonã voluntatẽ exigi.

Ignorãtia, quæ nõ excuſet.

Sed metuendũ, inquit, eſt, ne omnia iſta diuina teſtimonia: & quæcunque alia ſunt, quæ ſine dubitatione ſunt plurima: in defenſionem liberi arbitrij ſic intelligantur, vt ad vitam piam: & bonam conuerſationem: cui merces æterna debetur, Dei adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur: & audeat miſer homo, quando bene viuit & bene operatur, vel potius bene viuere, beneque operari ſibi videtur, in ſeipſo, non in domino gloriari, & ſpem recte viuendi in ſeipſo ponere: vt ſequatur eum maledictum Hieremiæ prophetæ dicentis, Maledictus homo qui ſpem habet in homine, & firmat carnem: brachij ſui, et a domino diſcedit cor eius. Carnem brachij, potentiam humanã fragilem: & inualidam oſtendens. Proinde, ſicut ad bene viuendum: recteque agendum: liberum homini datum arbitrium: diuinarum ſcripturarum teſtimonijs demonſtrauit, ita diuinæ gratiæ, ſine qua nihil poſſumus bene facere, neceſſarium eidem conſortium demonſtrare deinceps aggreditur. Quod eodem & ſequenti capite facit. Quorum poſt incidet locus commodior, in demonſtranda atq; explicanda neceſſaria coniugatione gratiæ & liberi arbitrij. Gratiam deinde oſtendit non ſecundum merita noſtra dari, Alioqui gratia non eſſet gratia, &c. attamen cum data fuerit, incipere eſſe etiam merita noſtra bona: ſed per eam: & qua ſubtracta nihil boni per ſe valeat homo. Atque neceſſarium eſſe homini, vt gratia Dei non ſolum iuſtificetur impius, ſed etiam vt iam iuſtificatus ex fide, ambulet cum gratia: & incumbat

Volũtatis liberæ partes in opere bono.

Quis error Pelagij de libero arbitrio fuerit.

Diuinę gratiæ, & liberi arbitrij conſortiũ neceſſariũ.

Gratiã, nõ ſecundum merita noſtra dari.

Data gratia, incipere in nobis merita bona.

bat ſuper ipſam ne cadat.

Explicans deinde, quid Pelagiani impie de merito noſtrorum operũ ſenſerint, quid vero de eiſdem habeat catholicæ eccleſiæ orthodoxa fides & confeſſio, inducit illud Apoſtoli. Ego iam immolor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Iſta vtique iam merita ſua bona commemorat, vt poſt bona merita conſequatur coronam: qui poſt merita mala conſecutus eſt gratiam. Denique attende quid ſequatur. Supereſt, inquit, mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in die illa iuſtus iudex. Cui redderet coronam iuſtus iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors pater? Et quomodo eſſet iſta corona iuſtitiæ, ſi non præceſſiſſet gratia quæ iuſtificat impium? Quomodo iſta debita redderetur, niſi illa gratuita donaretur?

De merito noſtrorum operum.

Sed cum dicunt Pelagiani, hanc eſſe ſolam, non ſecundum merita noſtra gratiam, qua homini peccata dimittuntur. Illam vero quæ datur in finem: hoc eſt vitam æternam: meritis noſtris præcedentibus reddi. Reſpondendum eſt eis. Si merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet improbanda iſta ſententia. Quoniam vero merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo hominem habere dicant, prorſus rectiſſime reſpondet Apoſtolus. Quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Prorſus talia cogitanti veriſſime dicitur. Dona ſua coronat Deus, non merita tua, ſi tibi a teipſo ſunt merita tua. Nam quæ talia ſunt, mala ſunt: bona enim, Dei dona ſunt, ſicut dicit Iacobus Apoſtolus, Omne datũ optimũ, & omne donũ perfectum de ſurſum eſt, deſcendens a patre luminũ, &c.

Etiam Pelagianos cõfiteri, iuſtificatiõis gratiã, ſed eã ſolã, eſſe gratuitã. Nam vitã æternã, meritis noſtris reddi.

Quid reprehendat in dicta Pelagianorum ſententia.

Dona ſua in nobis coronare deũ

Hactenus Auguſtinus libro memorato. Qui ſi tuæ tibi adhuc ſubſcribit ſententiæ, neceſſe eſt vt conuerſa plane tibi ſit rerum omnium natura: & facies: vt alba nigra: nigra alba ſint: calida frigida: frigida calida: breuiter, quodlibet, quodlibet.

Epilogus & expẽſio dictæ ſentẽtiæ Auguſtini, ad q̃ſtionẽ propoſitam.

Affirmat ille, fruſtra datas a Deo leges, ſi homini non ſit liberum voluntatis arbitrium, quo iubenti parere poſſit et obſequi. Ridicula fore, tam multa mandata, quæ ipſam etiam voluntatem nominatim conueniunt, ſi nulla ſit noſtra voluntas: hoc eſt, liberum arbitrium: quæ pro eodem ipſe perpetuo accipit. Breuiter vbicunque ad aliquid faciendum aut non faciendum in diuinis monitis opus aliquod voluntatis exigitur, liberum ſatis inde demonſtrari arbitrium. Proinde, cum quis peccat, vni ſibi hoc imputari debere. Cum quis aliquid ſecundũ Deũ operatur, hoc ipſum nos alienare non oportere a propria voluntate. Pro opere bono, ſi libere fiat, ſperandam mercedem ab illo, qui reddit vnicuique iuxta opera ſua. Nec ignorantiam quidem imputari, niſi quatenus voluntaria eſt. Aeque tamen ad vitam piam: & bonam

conuerſationem, cui merces æterna debeatur. Dei adiutorio nos opus habere: nec debere quenquam in ſeipſo gloriari, & ſpem recte viuendi ponere: quod qui facit, diuinam illum maledictionem incurrere, & a Deo recedere cor eius. Sed neceſſariam eſſe coniugationem: & gratiæ & liberi arbitrij. Nec gratiam Dei ſolam: nec ſe ſolum, ſed gratiam Dei ſecum operatam fuiſſe ea de quibus in domino gloriatur Apoſtolus, ab eodemipſo prædicari Apoſtolo. Gratiam quidem non ſecundum merita dari: per eam tamen noſtra bona merita fieri, per quæ aſſequamur coronam iuſtitiæ, qui immeriti, imo male meriti: aſſecuti ſumus gratiam: quod tametſi de ſola iuſtificationis gratia confiteantur etiam Pelagiani, finalem tamen illam gratiam: hoc eſt, vitam æternam, meritis noſtris retribui affirmantes: nec hoc quidem improbandũ fore, ſi merita noſtra ſic intelligerent, vt nihilominus Dei dona confiterentur, ſed quia merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo hominem habere affirment, merito improbandos fore, vt contradicentes veritati, atque eius Apoſtolo: qui bona omnia, Dei dona affirmat: nec quicquam nos habere quod non acceperimus.

Vt autem hancipſam ſententiam ita eſſe Auguſtini intelligas, vt definitionem orthodoxæ fidei ac eccleſiaſticam nihil dubites, cui diſſentire non poſſis niſi hæreticus, tametſi hocipſum ex prioribus ſatis intellexeris, eundem audi Auguſtinum libro de certis diffinitionibus orthodoxæ fidei, aut eccleſiaſticis dogmatibus. Quale de libero arbitrio affirmat definire in hunc modum:

Quid Auguſt. hac de re affirmet tenere certam defieionem eccleſiaſticã & orthodoxę fidei.

Ex lib. de eccleſiaſticis dogmatibus.

Libertati arbitrij ſui commiſſus eſt homo ſtatim in prima conditione, vt ſalua vigilantia mentis, adiuuante etiam præcepti admonitione, perſeueraret, ſi vellet in eo quod creatus fuerat: permanere. Poſtquam vero ſeductione ſerpentis per Euam cecidit, naturæ bonũ perdidit, pariter & vigorem arbitrij, non tamen electionem: ne non eſſet ſuum quod euitaret peccatum: nec merito indulgeretur, quod non arbitrio commiſiſſet. Manet itaque ad quærendam ſalutem: arbitrij libertas, quippe rationalis voluntas, ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem: vt vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione Dei. Vt autem conſequatur quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit, Dei eſſe, libere confitemur.

Nota dogma eccleſiaſticum, de libero arb. & gratia.

Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus. Vt enim acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt: vt adipiſcamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris: vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis noſtræ, & cœleſtis pariter eſt adiutorij. Vt labamur, poteſtatis noſtræ eſt, & ignauiæ. Non tamen ad obtinendum valet ſine illo, qui quærentes facit inuenire, qui pulſantibus aperit, qui petentibus donat. Sicut ergo initium ſalutis noſtrę Deo miſerante, & inſpirante habere nos credimus:

ita arbitrium naturæ noſtræ ſequax eſſe diuinæ inſpirationis libere confitemur. Igitur vt non labamur a bono, vel naturæ, vel meriti, ſolicitudinis noſtræ eſt, & cœleſtis pariter adiutorij: vt labamur, poteſtatis noſtræ eſt, & ignauiæ. Hactenus ille.

Audis itaq; Caluine, orthodoxæ fidei definitionem: a qua diſſentire ſub nominis Chriſtiani profeſſione, eſt hæreticū eſſe. Quandoquidē is nobis eſt habēdus hæreticus, is ſemper ab ipſo Eccleſię initio talis eſt habitus, qui Chriſto ſe credere profeſſus, aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quam habeat definitio traditiōis eccleſiaſticæ, ita recte, et ex cōmuni catholicæ eccleſiæ ſentētia ante tredecies centenos annos. Adamantius ille Origenes (quod ſupra audiſti) nobis deſcribit hæreticū.

Expenſio controuerſæ quæſtionis, ad dictam definitionē orthodoxæ fidei.

Perdidiſſe nos peccato originis, Bonū naturæ, & arbitrij vigorē, non electionem.

Bonum naturæ, quod intelligat? Quid? Arbitrij vigorem.

Libertas electionis qualis nobis reliqua.

Quā multis modis pugnet ſententia aduerſariorū, cum dicta definitione eccleſię catholicæ.

Audis, inquam, dogma eccleſiaſticum: quo definitur arbitrij ſui libertati commiſſum ab initio hominem, per peccatum perdidiſſe quidem naturæ bonum, pariter & arbitrij vigorem: non tamen electionem: ne non eſſet ſuum quod euitaret peccatum: nec ad culpam imputabile, quod non commiſiſſet arbitrio. Bonum naturæ, virtutem: naturæ ſuperadditam, hoc eſt, originalis iuſtitiæ donum intelligit. Quæ ita perficiebat naturam: vt naturalem eius infirmitatē abſorberet quodammodo, & mortalem immortalem faceret: rebellem rationi ex ſua natura carnem: eidem abſque vlla pugna aut difficultate obſequentem per omnia: multis ex ſe ſubiectam incommodis ac miſerijs, ab his penitus vindicaret. Arbitrij vigorem: intelligit illam eius energiam, & potentiam efficaciter volendi quicquid in ſe vult: & velut rex quidam in regno hominis, ſuis membris: quo iuſtitiæ ſe arma præbeant, imperat. Quod bonum poſſibilitatis, alibi appellat. Hæc, inquam, peccato originis noſtræ, vna cum originali illa in eadem nobis data iuſtitia, perdidimus, ſed tamen non libertatem electionis, aut voluntatis, ne non eſſet noſtrum quod euitaremus peccatum, quod tamen tu noſtrum eſſe negas, & pernegas: ne merito nobis poſſet imputari, quod libero non commiſiſſemus arbitrio. Cum tu contra merito nobis imputari affirmes, quæ ineuitabili nobis neceſſitate, committimus. Manere nobis ad quærendam ſalutem arbitrij libertatem: hoc eſt: rationalem voluntatem: Cum tu contra contendas, nullā nobis libertatem arbitrij ad quærendam ſalutem adeſſe: imo nec adoptādam quidem: aut deſyderandam eandem. Contendas quoque in nobis voluntatem eſſe ſine libertate arbitrij. Audis manere nobis libertatem: vt eligamus, ſequamur, et agamus, quæ nobis diuerſis occaſionibus ad ſalutem noſtram Deus inſpirat: quod tu negas, et pernegas, ſed contra affirmas, Deū pro ſuæ voluntatis arbitrio hæc in nobis efficaciter operari: noſtrę facultatis non eſſe, vt aliter moueamur, quā ipſe nos moueat: vt vero, aut quo nos moueat, neque hoc quidem in noſtra poteſtate conſiſtere. Habet eccleſiaſtica definitio, per Dei bonitatem,

& miſericordiam in poteſtate nos habere, noſtræ ſalutis initium: quod eſt, ſalutiferæ admonitioni, aut inſpirationi acquieſcere: quod, inquit, noſtræ poteſtatis eſt: quanquam vt aſſequamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini ſit muneris: vt non labamur in adepto ſalutis munere, & noſtræ ſit ſolicitudinis, & diuini pariter adiutorij. Habet tua definitio, contraria omnia: nec initium, nec medium vllum ad ſalutem, in noſtra nos poteſtate habere: breuiter, ad ea quæ ad ſalutem noſtram pertinent, nullam nec minimam facultatulam eſſe nobis reliquam: imo nec Deo in his nos cooperari, ſed vnum ſolumque totum peragere.

In ſumma hanc velut catholicæ fidei confeſſionem ille inculcat ſibi commiſſo fideli populo. Liberum, inquit, ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos Dei ſemper indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe: quam illos qui cum Iouiniano aſſerunt hominem non poſſe peccare. Vterque enim tollit arbitrij libertatem: Nos vero dicimus hominem ſemper, & peccare, & non peccare poſſe, vt nos liberi confiteamur arbitrij: Hæc eſt fides dilectiſſimi, quam in catholica didicimus eccleſia, quamque ſemper tenuimus, & tenemus: quam & a nobis deinceps poſſe teneri credimus.

Manichæ. Iouinianus

Hominem ſemper, & peccare, & nō peccare poſſe.

Concludendum ergo nobis eſt, non ſolum impudentiſſime mentitum Caluinum, & de Auguſtino, & de veteribus omnibus, ſed etiam & ipſum: & vniuerſos noui huius profeſſores Euangelij, ſanctorum omnium vniuerſæ eccleſiæ catholicæ, atque ipſius quoque ſpiritus ſancti iudicio, iamdudum, ante annos mille trecentos, & amplius pronunciatos hæreticos, publicos hoſtes Dei, & religionis eius, pernitioſos communi vitæ mortalium, dignoſque qui exterminentur e cœtu hominum.

Concluſio.

FINIS TERTII LIBRI.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber IIII.

Cum etiam aduerſarij intelligant, nec diſſimulare poſſint diuinam ſcripturam vniuerſam, libertati atteſtari arbitrij. Quonam pacto eandem in certos locos claſſeſve diſtributa elidere, atque alio torquere fruſtra conentur, hoc libro demonſtratur.

HACTENVS ALTERO TANTVM illo ariete, qui nobis aduerſus hæreticos eſt efficaciſſimus, impiam ac blaſphemam aduerſariorum de libertate noſtræ voluntatis & arbitrij deiecimus atque euertimus ſententiam. Ad quam: tametſi illi ex obſcuris ſcripturę locis vnum atque alterum perperam et vi detorquentes, iactent diuinas aduerſum nos, & pro ſe ſtare ſcripturas, & proferre ſententiam, cui neceſſario credendum ſit, etiamſi non ſolum eccleſia, ſed & Apoſtoli & angeli de cœlo contra pronunciarent, neminem merito Chriſtianum vel tantillum inde moueri debere exiſtimo. Cum nullius ſcripturæ authoritate, quantumuis, vt nobis forte videretur, apertæ, atque euidentis, aduerſus illarum aquilarum congregationem & conuentum, aduerſus claram, conſonantemque orthodoxorum patrum ſententiam, aduerſus communem per orbem eccleſiæ indubitatamque fidem ac definitionem, aliquid credere cuiquam licere, alibi a nobis clariſſime demonſtratum ſit. Quandoquidem hæc, vna rectæ ſcripturarum intelligentiæ certa inobliquabiliſque amuſſis eſt: vt illa, teſtificante hocipſum Apoſtolo, columna, firmamentumque veritatis, Chriſti gubernata vegetataque ſpiritu, a quo non deſtituetur ad conſummationem vſque ſæculi, Fieri equidem poſſe vt erremus nos in vera ſcripturarum intelligentia, vt vero erret illa in his quæ ad fidei veritatem, ac religionis ſynceritatem pertinent, fieri prorſus non poſſe.

Attamen, etiam diuinarum ſcripturarũ authoritate confirmarem, quam audiſti, fidem definitionemq; catholicæ eccleſiæ, de noſtri libertate arbitrij, niſi (quod veriſſime ille dixit Origenes, & omnes quos ſupra audiſti orthodoxi, doctiſſimi, ſanctiſſimiq; patres noſtri vno conſenſu atteſtantur) vniuerſa plane, quanta quanta eſt, diuina ſcriptura,

eandem

eandem euidenter demonſtraret.

Nam quum vniuerſa atteſtetur iuſtum Dei de nobis iudicium, cuique iuſte retributurum pro ſuis meritis aut demeritis: vniuerſa, bene viuendi leges & præcepta contineat: vniuerſa, nos exhortetur ad virtutem & iuſtitiam, prohibeat ac deterreat a peccatis: illo, propoſitis præmijs nos inuitet ac alliciat: ab his interminatione mortis, damnationis, ac ſuppliciorum nos reuocet. (Quæ ſtulta forent & ridicula vniuerſa, niſi liberum nobis eſſet voluntatis arbitrium:) certũ eſt vniuerſam demonſtrare, poteſtatem nos liberi habere arbitrij.

Vniuerſam, q̃ta eſt diuinã ſcripturã, euidenter demonſtrare libertatem noſtri arbitrij.

Ex iuſto Dei de nobis iudicio

Ex bene viuendi legibus & præceptis.

Nam ſi ſtudia noſtra, noſtroſque ad virtutem & iuſtitiam comparandam conatus abſtuleris, ſed vnius conditoris hoc ſit, vt hic virtutibus ornatus ſit, ille ijs careat, & proinde vitijs ſit ſubiectus contrarijs, tollis ſimul diuinum iudicium, niſi ſeipſum iudicare vellet, quod hunc, non illum, virtutibus exornare voluerit: tollis religionem vniuerſam: Deum ipſum denique. Id quod velut per ſe euidens, ille Petrus, apud Clementem, Simoni obijciens, impugnatori libertatis arbitrij. Dic, inquit, quomodo ergo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquenque pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit? Quod ſi recipiatur, conuulſa, inquit, ſunt omnia, fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora. Sed & iudices ſæculi fruſtra legibus præſunt, & eos qui male agunt, puniunt. Non enim in ſua poteſtate haberent, vt peccarent. Vana erunt populorum iura, quæ malis actibus pœnas ſtatuunt. Secundum hæc, nec iuſtitia erit, nec bonitas, nec vlla virtus, nec Deus deniq;. Hæc ille Apoſtolorum princeps, inſani veſtri dogmatis principi & authori, primoq; libertatis arbitrij impugnatori, velut per ſe euidentia obijciebat.

Ex exhortatiõibus ad virtutem, Dehortationibus a peccatis.

Petrus aduerſus Simonem, apud Clementem.

Eadem, atque eodem modo, Tertullianus Marcioni illius diſcipulo, Nec legem homini potuiſſe dari, niſi & obſequium legi debitum in poteſtate haberet, Nec mortis comminationem mandati tranſgreſſioni iuſte aſcribi, ſi non & legis contemptus in arbitrij libertatem deputaretur homini. Neque enim æquum exiſtere, vt legis pondus impoſuiſſet Deus ſuſtinendi inualido, neque vt quem imbecillitatis nomine excuſabilem ſciret, cum definitione mortis conueniſſet. Breuiter ſibi non conſtare vniuerſum diſciplinæ ordinem per præcepta, prohibitiones, exhortationes, comminationeſque diſpoſitum, niſi & ad obſequium, & ad contemptum libero & voluntario homini, qui ſui dominus, & bono ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando in vtranque partem poſſet conſtanter occurrere. Inde ſolum, iuſtum Dei in hominem comprobari iudicium. Quandoquidem, inquit, nec boni nec mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus aut malus, neceſſitate, non voluntate fuiſſet inuentus.

Tertullianus, aduerſus Marcionem.

Eadem

Irenæus ad uerſus Valentinum. Eadem Irenæus Valentino eiuſdem quoq; Simonis diſcipulo: aduerſus quem & hoc infert velut euidens ex communi mortalium conſenſu omnium, nec laudabiles fore bonos, quod boni ſunt, nec vituperabiles malos, quod mali, ſi hocipſum quod ſunt, neceſſario ſunt. Neminem enim iure merito laudari aut vituperari de eo, quod in poteſtate eius ſitum non eſt, ſed vel neceſſitatis vi, aut alio quopiam agente, aut caſu aliquo eidem ineuitabili ipſi adeſt. Tolli proinde diuinum de nobis iudicium, ſi tollatur, liberi tam ad malum quam ad bonum facultas arbitrij. Quin & multa velut exempli cauſa, congerens diuinarum ſcripturarum oracula, quibus Deus per prophetas ſuos, per apoſtolos, atque etiam per ſeipſum nos exhortatur pie, iuſte, & ſancte viuere, ſe quærere, ſuæ voluntati libenter ſubmittere & obſequi, & comminationibus deterret ab horum contrarijs. (Quod fere vniuerſæ ſcripturę aut argumentum, aut certe ſcopus eſt.) Omnibus his affirmat oſtendi liberum & ſuæ poteſtatis eſſe hominem. Cum alioqui fruſtra nos adhortaretur ſcriptura, hæc quidem facere, ab illis abſtinere.

Origenes. Idem ille, quod audiſti, nuſquam non inculcat Origenes. Valde abſurdum fore affirmans & euidenti rationi contrarium, nobis mandata dari, ex quorum vel obſeruatione ſaluemur, vel præuaricatione damnemur, niſi liberi habeamus poteſtatem arbitrij.

Baſilius. Idem ille Magnus Baſilius, qui ſine hac nihil merito laudabile vituperabileque a nobis geri poſſe affirmat: proinde, nec ſtare poſſe, diuini de nobis æquitatem iudicij. Vnum ſiquidem in nobis merito, aut laudari aut vituperari arbitrium optionemq; liberam. Idem ille Hilarius, Quid enim, inquit, honoris, ac præmij, bonitatis meretur neceſſitas, cum malos nos eſſe vis quædam nobis conſerta non ſineret?

Hilarius.

Hierony. Idem quoque ille Hieronymus, qui ſine mentis propriæ libertate nec virtuti locum eſſe, affirmat, nec in peccatores conſtare iuſtum Dei iudicium, nec in ſanctos & iuſtos præmium merito retribui. Vbi, inquit, neceſſitas eſt, corona non eſt. Si ad vitia neceſſitate trahimur, iniuſte pro eiſdem punimur. Idem denique veſter, quem videri vultis, ille Auguſtinus, quem audiſti, quoties inculcat, ibi culpæ rationem inueniri non poſſe, vbi dominatur aut natura aut neceſſitas. Debere omnes legibus Dei obſequi.

Auguſtin.

Neminem autem debere quod non accepit, atque ita accepit, vt in ſua ipſum poteſtate habeat. Neceſſitatis vim qualemcunque, quam vel non admittere vel amoliri in noſtra poteſtate non eſt, peccati culpam excludere. Quis enim, inquit, peccat in eo, quod nullo modo caueri poteſt? Et in hoc totius humani generis eſſe publicum conſenſum, hoc a puero ad ſenem, ab illiterato ad ſapientem, velut magiſtra natura ſciri, affirmari, celebrari: nullam in eo diſſentire aut pauci-

paucitatem doctorum aut multitudinem indoctorum.

Veriſſime proinde dicit, quod & priores omnes,totius diuinæ ſcripturæ authoritate aſtrui, liberum in homine voluntatis arbitrium. Primum,quoniam ipſa diuina præcepta non prodeſſent homini, niſi liberum haberet voluntatis arbitrium,quo ea faciens ad promiſſa præmia perueniret. Deinde,quod fruſtra tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri a nobis, & fieri Deus iuberet. Quō enim iubet, inquit, ſi non eſt liberum arbitrium? Quorſum deniqꝫ illa tam multa mandata,quæ ipſam quodammodo nominatim voluntatem conueniunt. Noli vinci a malo. Noli hoc. Noli illud,cuiuſmodi innumera paſſim occurrunt? Vbi enim ad aliquid faciendum aut non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Itaqꝫ cum vniuerſa,vt audiſti, quanta quanta eſt diuina ſcriptura demonſtret in nobis libertatem arbitrij,atteſtantibus hocipſum (ſi quis aut dubitet aut non intelligat,aut ſibiipſi in eo non audeat credere) vniuerſis ab initio orthodoxis ſanctiſqꝫ noſtræ religionis ducibus,anteſignanis,& doctoribus: Nunc vide vt clariſſimæ luci, hi ſtudio claudant oculos,atqꝫ alijs etiam nitantur fumū ſuæ impietatis ſuffundere,& efficere vt de euidentibus dubitent, & clauſis oculis lucem tenebras ſtatuant.Quod vt clariſſime intelligas,& ne vaga & confuſa dum diſcurrit per ſingulos luci tenebras offundat oratio, vnū ex omnibus & pro omnibus Caluinum (qui aliorum omnium in hoc argumento et ſecundum ſuū illud Euangelium explicando,vt & in alijs pleriſqꝫ diligentiam vicit) ex aduerſo dicere faciam. De gratia & libero arbi.ca.ij.

Dicit ille,eos qui falſa libertatis humani arbitrij opinione præcipitare ipſum conantur, ſuas ex aduerſo quaſdam rationes obtendere, ad oppugnandam ſacroſancti illius Euangelij ſui ſententiam. Caluinus.

Hui,quot,quātis,qualibuſqꝫ impar,te,aduerſarijs Caluine impudenter obijcis? vniuerſis noſtræ religionis & fidei anteſignanis & doctoribus:illis columnis:illis(quarꝫ conſenſus & cōgregatio,nobis orthodoxorū fidē ſemper demonſtrat)aq̄lis:vniuerſæ ab initio(cuius definitionē tot teſtibus audiſti)catholicę eccleſiæ:cōmuni deniqꝫ ab initio mortalium oīm ſenſui & cōſenſui:quē mētibus nr̄is, inſcribente conditore noſtro,falſum eſſe,tam eſt impoſſibile,quam mendacem conditorem, æternamqꝫ veritatem. Proinde falſa non poteſt eſſe opinio humani libertatis arbitrij:quam aduerſus vos veſtramqꝫ impudentiſſimam,impijſſimam,& prodigioſæ cæcitatis plenam ſententiam,vniuerſi illi etiā euidentiſſimis rationibus conantur aſſerere. Pighius.

Sed quibus tandem,veſtram illi ſententiam rationibus oppugnant & arietant? Congerunt,inquit,primo abſurda nonnulla, quibus eam in odium trahant,tanquam a ſenſu quoqꝫ cōmuni abhorrentem . Poſtea ſcripturæ teſtimonijs cum ea congrediuntur. Caluinus.

Pighius. Quæ quantaq; abſurda ſequantur ad negatam libertatẽ arbitrij, tam ad bonum, q̃ ad malum.

Recte ſane vtrunq; faciunt, abſurda congerunt, ſed quæ tam abſurda ſunt, vt ipſa non poſſet abſurdior eſſe abſurditas: & tam euidenter ad eandem conſequuntur, vt nemo ea conſequi ad illam nõ intelligat, cui rectæ rationis vel ſcintilla ſupereſt. Sunt autem ea quæ toties audiſti, tolli videlicet diuini æquitatem de nobis iudicij: tolli omnem conatum ad bonum: tolli leges & diuinas et humanas: accuſari magiſtratus qui præſunt exactores legibus, quod tranſgreſſoribus ſupplicia ſtatuant: ſontes caſtigent: vt qui in poteſtate ſua, ne peccarent, nõ haberent: tolli admonitiones & exhortationes ad bene iuſteq; viuendum, quibus obſequi nemo poteſtatem haberet: tolli dehortationes a vitijs, quæ nemo vitare poſſet, qui neceſſario peccat: tolli iuſtitiam, bonitatem, virtutem omnem: tolli religionem: & Deum ipſum denique. Hæc ſunt Caluine abſurda, quæ velut neceſſario & euidenter ad veſtram ſententiam conſequentia, illi congerunt, quo eandem, tanquam a communi quoq; ſenſu abhorrentem in odium pertrahant. Hæc ille Petrus, aduerſus primum veſtri huius dogmatis authorem Simonẽ. Hæc Tertullianus aduerſus Marcionem. Irenæus aduerſus Valentinum illius Simonis diſcipulos. Hęc ille Origenes, ille Baſilius, Hylarius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus aduerſus Manichæos cæteroſque qui ex ea Simonis ſchola prodierũt hæreticos. Eadem hæc & nos quoq; aduerſus vos, in quos nouiſſimos, vetus ille turpitudinum gurges ab impio illo Simone manauit & deſcendit. Addunt ad hæc, ſcripturę teſtimonia, non quædam & ſelecta, ſed ſcripturam, quanta quanta eſt, vniuerſam. Quæ tota, veſtrã ſententiam redarguit, & aſſerit libertatem arbitrij. Cum alioqui foret ſtulta & ridicula, niſi loqueretur libero ad bonum & malum homini. Sed tu Caluine quid ad hæc?

Caluinus. Vtraſq;, inquit, machinas ordine retundemus.

Pighius. Aduerſariorum arrogantia intolerabilis.

Scilicet, Indicum elephantem culex, aut ſi quid dici poteſt infirmius & contemptius. Audiuimus, inquit ille, ſuperbiam Moab, Superbus eſt valde. Superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius, pluſquã fortitudo eius. Tune miſelle aduerſus noſtræ religionis duces, tales, tantosq;, audes oculos frontemq; attollere? In hos deijcies etiam inferorum portis, & dæmonum omnium poteſtate inſuperabiles machinas? ſcilicet murum æneum, imo adamãtinum arietabis aut arundine, feſtuca, ſtipula: Quin audi, quid tuus tibi Auguſtinus dicat libro de quantitate animæ cap. vltimo. Datum eſt, inquit, animæ liberum arbitrium, quod qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur, adeo cæci ſunt, vt ne iſta quidem vana & ſacrilega, propria ſe voluntate dicere intelligant. Tamen audiamus quam belle, quam fortiter, hic, illis, congreditur: quam efficaciter illas machinas euertit.

Caluinus. Si peccatum, aiunt, neceſſitatis eſt, iam deſinit eſſe peccatum. Si voluntarium eſt, ergo vitari poteſt.

Ita ſane aiunt,quod dicis: & rectiſſime aiunt. Neq; eñ ibi culpæ ratio inueniri poteſt,vbi dominatur aut natura aut neceſſitas. Nulli merito imputandum quod arbitrij ſui non eſt: nec vituperio aut pœna, ſed commiſeratione dignus eſt,qui circunfert vitium, quod vitare ſuę poteſtatis nec eſt nec fuit. Non corripimus,ſed ſolatium potius adhibemus cæco qui a natiuitate talis eſt:non improperamus loripedi, ſed manum porrigimus,quo nutantem ſubleuemus. Recte ergo illi, quos ais,hoc intellexerunt & intelligunt, neceſſitatis conditionem, omnem culpæ rationem excludere:quæ in eo eſt,quod quiſquã non fecit quod debuit facere:aut fecit quod debuit non facere: neminem autem debere quod non accepit,atq; ita accepit,vt in ſua idipſum poteſtate habeat. Recte & illud, voluntarium nobis non dici, quod in poteſtate noſtra non eſt, & quod vitare non poſſumus.

Pighius. Vt ſecum pugnẽt peccati & neceſſitatis ratio.

Hęc,inquis, Pelagij quoq; arma ad impetendum Auguſtinũ erant.

Caluinus.

Non ſic impie,non ſic, primo hæc Auguſtini & noſtra,ad euertendam Manichæorum veſtramq; impietatem inuictiſſima arma ſunt. Ita ſane,quod ſupra audiſti, ſine libera voluntate demonſtrat non potuiſſe bene viuere nec bene facere hominem: nullum ſine ea futurum locum diuini iudicij. Non enim, inquit, aut peccatum eſſet, aut recte factum,quod non libera voluntate fieret: & per hoc pœna iniuſta eſſet,& præmium,ſi homo voluntatem non haberet liberam. Debuit autem & in ſupplicio & in præmio eſſe iuſtitia: quoniam hoc vnum eſt bonorum quæ ex Deo ſunt.Debuit igitur Deus dare homini voluntatem liberam. Inquirens deinde cuius & vnde ſit ille motus voluntatis,quo ab incommutabili bono ad inferiora peccando conuertitur, extorquet primo confeſſionem ab eo quem ex aduerſo ſecum diſſerentem facit, velut euidentis veritatis ac indubitabilis, quod motus ille naturalis dici non poſſit:quaſi neceſſitate quadam naturæ ab illo bono incommutabili ad hæc inferna deflectẽs peccet anima: ex eo,quod culpabilis eſt: & merito reprehenſibilis. Neq; enim,inquit, vlla culpa deprehendi poteſt,vbi natura neceſſitaſq; dominatur. Ex quo concludit,eum eſſe voluntatis motum proprium: nempe voluntarium: quo fertur,non lapidis iſtar,cum ſuo pondere ad inferna trahitur:ſed ita,vt eum in poteſtate ſua habeat.Cum alioqui,nec laudandus inde, nec vituperandus eſſet homo,nec omnino monẽdus,vt neglectis his perituris & caducis ad æterna adipiſcenda ſe conuerteret: vt nollet male,vellet autem bene viuere.Hoc aũt quiſquis exiſtimat,exterminandũ eum merito e cœtu hominum. Oſtendens inſuper Dei præſcientiam peccandi nobis neceſſitatem non imponere.Præſciri ſiquidem a Deo malas voluntates noſtras. Voluntas aũt noſtra,inquit, nec voluntas eſſet, niſi in noſtra poteſtate eſſet: porro quia eſt in poteſtate noſtra, libera eſt nobis. Nõ enim nobis eſt liberũ, quod in poteſtate non habemus.

Pighius. Vt Auguſtini arma aduerſus Manichæos, mendaciſſime attribuat cõtra Auguſtinũ Pelagio.

Lib. ij. de libe. arbit.

Lib. iij. de libe. arbit.

Eodẽ ca. iij

L Ad

Ad hæc magis vrgens id ꝙ aſſeruit, ibi culpæ rationem inueniri non poſſe, vbi dñatur natura aut neceſſitas. Quandoquidem iniuria vituperetur quippiã, quod eſt ſicut eſſe debuit: neminem aũt debere, quod non ita accepit, vt in ſua ipſum poteſtate habeat. Ex eo ergo, inquit, q̃d non accepit, nullus reus eſt. Debet aũt, ſi accepit & voluntatẽ liberam, & ſufficientiſſimã facultatem. Rurſus curioſe inquirenti de ipſius voluntatis cauſa. Quæcunqꝫ, inquit, iſta eſt cauſa voluntatis, ſi ei non poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur, Si aũt poteſt, nõ ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, vt caueri omnino nõ poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt? Peccatur aũt, caueri igitur poteſt. Item libro de duabus animabus, totius humani generis

Libro de duabus animabus.

conſenſu, velut magiſtra natura conſtare omnibus affirmat, nihil cuiq̃ imputari poſſe, quod non voluntarie, hoc eſt, libere cõmittit. Quandoquidem quod liberum non eſt, voluntarium non eſt, & vbi deeſt libertas, deeſſe & voluntatem. Neminem vituperio & ſupplicio dignũ, qui id non fecit, quod facere non potuit.

Vides opinor Caluine, cuius hęc arma fuerint: Auguſtini ne aduerſus Manichæos, hoſtes liberi arbitrij, an Pelagij aduerſus ip̃m Auguſt. Certe nulli hęc vſui Pelagio aduerſus Auguſtinũ eſſe poterãt, q vltro hoc ip̃m aſſerebat, imo, vt ꝑ ſe notũ et euidẽs aſſerebat, q̃d his rõnibꝰ cõcludit. Neqꝫ in eo cõſiſtebat (ꝙ ſupra iã toties eiuſdẽ ipſius Aug. intellexiſti teſtimonio) illius cũ orthodoxis pugna & cõtrouerſia. Quid dein̄?

Caluinus. Singularis aduerſariorum impudentia.

Nego igitur peccatum, inquit, minus debere imputari, quod neceſſarium eſt. Nego rurſus conſequi, quod inferunt, euitabile eſſe, quia voluntarium eſt.

Pighius.

Hoccine eſt Caluine illas machinas retundere et ſubuertere? Ille ipſe vnus, quẽ pro te ex omni antiquitate teſtẽ inducis, Auguſtinus (quod toties audiſti) affirmat, naturaliter notum omnibus, & totius humani generis publico cõſenſu comprobari, nihil cuiq̃ imputari poſſe, quod non libera volũtate committitur. Item, Neminem peccare, in eo quod nullo modo poteſt caueri. Nullam ibi culpam inueniri poſſe, vbi aut natura dominatur aut neceſſitas: Idem affirmant quotquot ſupra audiſti illi duces noſtri, & orthodoxæ veritatis magiſtri. Contra negat Caluinus ideo minus imputari debere quod neceſſarium: Affirmant illi veluti eadem per ſe notum euidentia, nihil eſſe voluntarium, quod non ſimul ſit liberum: Nihil vero nobis eſſe liberum, quod in poteſtate noſtra non eſt: Cõtra negat Caluinus conſeq aut recte inferri, euitabile quid eſſe, ſi eſt voluntariũ: Quid ergo ſi neget Deũ bonum & iuſtum: nunquid ideo hoc ipſum cuiq̃ dubitabile faciet? Siccine ſubruitur cõmunis ab initio cõſenſus mortaliũ oĩm, quod vnus quiſpiã impudẽs, aduerſante ſuaipſius ratione & cõſcientia, illi audet reclamare ore blaſphemo & ſacrilego?

Sed

Sed audi adhuc arietantem cõmunem illam euidentemq́ꝫ ſenteritiã
mortalium oĩm,& prioris illius negationis ſuæ cauſas explicantem.

Si quis eñ,inquit,diſceptare cũ Deo velit, et hoc prętextu iudicium Caluinus.
ſubterfugere,qm̃ aliter nõ potuerit,habet paratam reſponſionem. Per-
ditio tua ex te Iſrael,in me tantummodo auxilium tuum. Vnde enim
iſta,quam cauſatur,impotentia,ꝙ ex naturæ vitioſitate? Vnde porro
vitioſitas,niſi quod homo defecit a ſuo opifice? Huius defectiõis ſi me-
rito rei tenentur homines vniuerſi,ne ſe neceſſitate excuſatos putent,in
qua ipſa,luculentiſſimam habent damnationis ſuæ cauſam.

O bellũ ſcripturaꝝ tractatorem & interpretẽ,O Dialecticũ argutũ, Pighius.
concludentem fortiter et ſubtiliter,Nec locũ diuino relinq iudicio,nec
merito nec demerito, ſi liberꝫ nobis auferatur arbitriũ, vniuerſos illos
quotq̃t audiſti ſanctiſſimos orthodoxoſq́ꝫ patres noſtros affirmare de
monſtrauimus,velut per ſe notũ atq́ꝫ euidẽs,ipſa hoc docẽte et loquẽte
in nobis natura.Ita Petrus illi Simoni,Dic,inq̃t, quõ ergo deus iudicat
ſecundũ veritatẽ vnũquenq́ꝫ pro actibus ſuis,ſi agere aliq̃d in poteſta-
te nõ habuit? Ita Tertullia. Marcioni illius diſcipulo,Nec legẽ homini
potuiſſe dari,q debitũ legi obſequiũ in poteſtate nõ haberet,nec pœnã
trãſgreſſioni aſcribi et ſtatui ſi nõ et contẽptus legis eidẽ in libertatẽ de-
putaretur arbitrij.Nec vniuerſum diſciplinę ordinẽ,per præcepta, ad-
monitiones,cõminationeſq́ꝫ diſponi,niſi & ad obſequm & ad cõtem-
ptum libero & voluntario homini.Qui & liberi ſui arbitrij meritis &
demeritis iuſtum Dei de ſe facit iudiciũ.Qñquidem,nec boni,inq̃t,nec
mali merces iure pẽſaretur ei, qui aut bonus,aut malus neceſſitate non
volũtate fuiſſet inuentus.Ita Irenæus Valentino eiuſdẽ Simonis diſci-
pulo, Nec laudabiles bonos ꝙ boni ſunt, nec vituperabiles malos, q̊d
mali,ſi hoc ipm̃ quod ſunt neceſſario ſunt.Ita ille Baſilius,vnũ in nobis
arbitrium,electionẽq́ꝫ liberã merito laudari & vituperari affirmat. Ita
Hilarius, Quid eñ,inq̃t,honoris ac p̃mij, bonitatis mereret neceſſitas,
cum malos nos eſſe vis quædam nobis conſerta nõ ſineret? Sic quoq́ꝫ
Hieron.Ideo nos accepiſſe a Deo libertatẽ arbitrij,vt viueret quiſq́ꝫ nõ
ex neceſſitate,ſed voluntate,quo virtus locũ haberet,vtq́ꝫ & in pctõres
æquum iudicium,& in ſanctos & iuſtos iuſtum p̃mium retribueret.
Nec ad virtutẽ,nec ad vitia neceſſitate trahi hoĩes, alioq vbi neceſſitas
eſt,corona nõ eſt.Si ad vitia neceſſitate trahimur,iniuſte pro illis puni-
mur.Sic deniq́ꝫ ille in quo vno fidit,Auguſtinus toties inculcat ibi cul-
pæ rationẽ inueniri non poſſe,vbi natura dñatur aut neceſſitas. Ita de-
niq́ꝫ illa mortalium oĩm ſenſu prædicata & confirmata ſentẽtia, Nihil
cuiq̃ imputari poſſe,niſi quod libera voluntate cõmittitur:Neminẽ in
eo peccare poſſe,ꝙ nullo modo vitari põt.A quibus oĩbus affirmatur,
iuſtiſſimã rationem fore hominibus,diuinum ſubterfugiendi iudiciũ,
ſi vere poſſent dicere,aliter ꝙ fecerunt, ſe nõ potuiſſe facere. Contradi-

cit his oĩbus Caluinus. Quid igitur? Nunquid dubitabit aliquis, huic potius, an illis omnibus & cõmuni naturæ euidentiæq; ſenſui crediturus eſt? Quẽ adeo non infirmat, vt confirmet potius diuina ſententia, quę ex Oſee inducitur: apud quẽ dñs idololatriam & grauiſſima pctã populi ſui eidem exprobrans, & beneficiorꝝ cõmemorans, quæ largiſſima in illum manu contulerat, captiuitatem ac deſolationẽ eidem interminatur per Aſſyrios. Subijciens ꝙ eã nulli, ꝙ ſibiipſis imputare poſſent. Se cupere illis benefacere, vt patribus eorꝝ ante fecerat, niſi per ipſos ſtaret. Perditio igitur tua, inquit, Iſrael ex te eſt, tantũmodo in me auxilium tuum. Ex nobis merito perditio noſtra eſt, qui cum illius auxilio ſaluari potuiſſemus, ipſi nos vltro, & ſpontanea voluntate perdidimus. Quod verum non eſſet, niſi vt perdi, ita & perditionem effugere in noſtro poſitum eſſet arbitrio. Vocat autem perditionem noſtram, peccata, a nobis commiſſa, ob quæ perdimur.

Quam alieno ſenſu ſcripturas inducant.

Caluinus. Sed vnde eſt, inquit, quã cauſatur, impotentia, hoc eſt, vitandi pctã impoſſibilitas, & peccandi neceſſitas, niſi ex naturæ vitioſitate.

Pighius. Fruſtra eius cauſam quæris Caluine, quod vt ſit, fieri prorſus nõ poteſt. Nos eñ cum ratione peccati, ſtare nõ poſſe eius cõmittendi neceſſitatem, & vitandi impoſſibilitatẽ, ſupra fecimus euidentiſſimum. Nõ eſt proinde in nobis peccandi neceſſitas, ex naturę vitio. Quod ſi eſſet, peccatum non eſſet. Quis enim peccat in eo, quod caueri nullo modo poteſt? Fruſtra proinde laboras, vt illud naturę vitium nobis imputes ex hoc quod primus homo a ſuo defecerit opifice.

Quod inſuper alterꝝ per te inductæ, velut noſtræ aduerſus veſtram ſententiam, ratiocinationis membrum, quo ita colligimus: Peccatum ſi voluntariũ eſt, vitari ergo põt, vitioſum dicis: qa a voluntario deductionẽ habet ad liberꝝ. Ita ſane vbiq; tuus Auguſtinus colligit, fundata argumentatione in euidenti & Dei digito inſcripta mẽtibus oĩm ſententia, ꝙ a doctis pariter et indoctis, a pueris æque & ſenibus, toto orbe terrarꝝ affirmari, intelligiq; affirmat. Quis eñ peccat in eo quod nullo modo cauere potuit? Aut eñ nõ cõmittitur pctm̃, aut libera voluntate cõmittiẽ. Neminem aut monẽdum, aut obiurgandũ oĩno, ſublata libertate arbitrij. Ab his q̃ ineuitabiliter nobis adſunt vitupari neminẽ aut laudari poſſe. Proiñ et hoc affirmat, voluntatẽ noſtrã, nec voluntatẽ fore, ſi in poteſtate nr̃a nõ eſſet, & qa in poteſtate nr̃a eſt, liberã eſſe nobis. Quod tu cõtra euiciſſe te dicis voluntarie pleraq; fieri, q̃ liberæ electiõi nõ ſubiaceãt, q̃ id pulchre et efficaciter feceris lib. priori demõſtratũ eſt.

A voluntario ad liberum bonã argumentationẽ eſſe.

Iam & eã noſtrorꝝ aduerſus ſe rationem quæ ex iuſto Dei de nobis iudicio, impiorꝝ pœna, & iuſtorum præmio ducitur, calũniari pergit.

Caluinus. Subijciunt, inquit, Niſi ex libera arbitrij electione tum virtutes, tum vitia procedant, non eſſe conſentaneum vt homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur. Hoc argumentum, etſi Ariſtotelicũ eſt, fateor

Vt calumniētur argumentum ex

Iuſto Dei de nobis iudicio.

fateor tamen a Chryſoſtomo et Hieronymo vſurpatum, Pelagianis tñ fuiſſe familiare, q in hunc modũ argutabãtur, referẽte Hierony. Quod ſi gratia Dei in nobis agit, illa ergo, & non nos q laboramus, coronabit.

Pighius. Quã inepte Pelagianorum rationem nobis affingat, & in noſtram trãsformet.

Quod ad Pelagianos attinet, q hanc eorꝫ ratiocinationẽ a noſtra nõ diuerſiſſimã intelligit nihil intelligit. Illi nõ intelligentes coniugationẽ gratię et liberi arbitrij, neq; vt vtriuſq; ſimul poſſit eſſe bona iuſtaq; operatio, ita, vt audiſti, argutabant. Si gratia Dei in nobis agit, illã non nos coronandam fore. Quod argumentũ ita refellimus. Quia etiã nos agere, vna cum gratia, & per gratiam aſſerimus, imo nos eſſe, qui pie, iuſte, & ſancte viuere per gratiam dicimur. Nõ eſt ipſa gratia, quæ iuſte, pie ſancteq; viuit, ſed homo per gratiam, atq; adiutorio gratiæ. Homo proinde eſt, qui merito coronatur, & non gratia. De reliquo, inquit ille, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi dñs iuſtus iudex. Et rurſus, Nõ coronabitur, niſi q legittime certauerit. Noſtra vero aduerſus vos & Manichæos vniuerſamq; illam Simonis ſcholam prædicta ratio, nihil cõmune habet, cũ illa Pelagianorꝫ. Nos affirmamus nullum locum eſſe diuino de nobis iudicio, niſi ex liberi arbitrij electione proceſſerint ſeu bona ſeu mala quæ geſſimus: nec eſſe conſentaneũ, vt pro his quæ quis neceſſario & ineuitabiliter aut facit aut patitur, laude aut vituperio dignus ſit, afficiaturq; aut pœna aut præmio.

Quod Ariſtotelicum hoc argumentum affirmas, haud eo inficias, ſed ita eſt Ariſtotelicum, vt ſit totius humani generis. Cuius ea vox eſt, ab his, quæ aut natura, aut caſu ineuitabili nobis adſunt, neminem merito aut laudari aut vituperari oportere.

Quod vero etiã a Chryſoſtomo & Hieronymo idemipſum alicubi vſurpatum fateris: aut maligne facis, q̃d ex tam multis, quos audiſti, patribus, duos hos ſolos nominas: quaſi ij ſoli omnium, & non potius omnes, eodem, aduerſus abſurdiſſimã atq; impijſſimam ſententiã veſtram vſi ſint: aut certe ignorantiã tuam prodis, qui alios nõ legeris. Nã & Petrum aduerſus Simonẽ Magũ eodem vſum (ꝙ iam iterꝫ iterũq; audiſti) teſtis eſt Clemens. Dic, inquit, quõ ergo Deus iudicat ſecundũ veritatẽ vnumquenq; pro actibus ſuis, ſi aliquid agere in poteſtate nõ habuit? Eodem & Tertullianũ aduerſus Marcionem vſum ſupra ex eodẽ demonſtrauimus. Nec boni, inquit, nec mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate non libera voluntate fuiſſet inuentus. Eodẽ quoq; etiã Irenæum aduerſus Valentinum, qui (ꝙ audiſti) nec laudabiles bonos, quod boni ſunt, nec malos vituperabiles, ꝙ mali ſunt, ſi hoc ipm quod ſunt, neceſſario ſunt, velut per ſe euidens & notorium affirmat. Eodem præterea & Origenẽ, & Baſiliũ, Hilarium quoq;, etiã Ambroſium atq; Auguſtinum, breuiter oẽs. Quorum hic, toties prædicat ita hoc cõfeſſum oĩbus, vt nulla illi nec multitudo contradicat, nec paucitas, nulla ętas, nulla deniq; hoĩm cõditio. Tu vero vt euertis hanc machinã?

tui ſimiles,contentioſi ſunt,q recepta eccleſię dogmata impugnant, qui veritati dudũ traditæ non acquieſcunt,ſed vniuerſa aut in dubiũ reuocant,aut etiã credunt iniquitati,qui operãtur malum,his,inq̃,vniuerſis, irã,indignationem,tribulationẽ & anguſtiam. Quod et ipſa nos docet veritas,quæ,pro miſericordiæ,alijſq; pijs operibus vitam æternam, beatam,glorioſamq; repromittit,& illorum ergo,audituros in iudicio electos. Venite benedicti patris mei, percipite vobis præparatum regnũ:quemadmodũ pro illis neglectis,& multo magis,contrarijs,æternæ damnationis ſententiam excepturos impios. Itaq; etiam iuſtitię coronã,reddendam nobis a iuſto iudice,toties inculcat ille veritatis Apoſtolus. Corona aũt,non niſi certaminis reſpectu datur. Nõ enim coronabitur,niſi qui legittime decertauerit. Proinde, vt ille veritatis magiſter, violentiũ dixit eſſe regnum cœlorꝛ, & diripere illud eos qui vim faciunt:ita & Paulus eiuſdem diſcipulus,ſuoipſius exemplo,ad vim illam,ad illud certamen,illum curſum nos adhortatur, quo incorruptibilem eam coronam accipiamus. Itaq; omnes illi,quos audiſti, ſanctiſſimi orthodoxiq; patres,velut euidenter abſurdum,ex veſtra illa, qua libertatem arbitrij tollitis,ſententia, conſequẽs inferunt, nec merito,nec demerito eſſe locum:nec iuſto proinde iudicio. Quod enim illic intelligi poſſet iudicium,ſi ex æquo indignis nobis,operibus manuum ſuarum pari morbo laborantibus, & æqualiter ſua miſericordia egentibus,hunc ſuis donis replere velit, nec cooperantem quidem ad eaipſa, ſed nec eadem deſyderantem:illum autem nolit, ſed prætermittit vt in ſua putredine tabeſcat donec conſumatur: illum inſuper ſuæ beatitudinis velit facere participem:hunc abiectum,pro eo ꝙ non fecit,quod facere nõ potuit,aut fecit,quod vitare non potuit, dãnationi deſtinet: Voluntas hęc dici poſſet:iuſta ne an iniuſta nihil refert ad propoſitũ: ſed iuſtum iudicium dici nõ poſſet,quod ponderat & expendit rationes & merita. Neq; eñ iudicium exercet plaſtes,cum ex eadem maſſa, hoc poculum,illud matulã facit: ſed ſimpliciter agit pro ſuæ volũtatis arbitrio. Quod ſi ad materiæ diuerſitatem,dignitatẽ, idoneitatemq; reſpiciens,ex argento poculum,ex plumbo aut luto matulã faciat,iam iudicio,nõ merę voluntati in illo locus eſt. Quodipſum & de Deo in nobis ſentiendum eſt. Sed poſt,vt dixi,ſuis locis hæc tractabuntur exactius. Impium certe glorioſus ille Chriſti confeſſor Hilarius affirmat, exiſtimare,quenquam, iccirco, ea, ſe, quæ ſunt credentium propria, non conſequi,quod ſibi a Deo indulta non fuerint. Ipſe eñ (vt Chryſoſtomi hoc verbis dicam) q̃ ſua ſunt, pro ſua miſericordia ſemper exhibet.

Non poſſe dici iuſtum Dei de nobis iudiciũ ſi pro ſolo voluntatis ſuæ beneplacito, & nullo meritorũ noſtrorum reſpectu vni beneſaceret, alteri non faceret.

Impium eſſe, exiſtimare, cuiq̃ quo minus ſalutem aſſequatur, deeſſe deũ.

Quæ de Auguſtino ille citat, maligne citat, & contra ipſiſſimam & clariſſimam Auguſtini ſententiam. Siquidem libro, de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, capite VI. inducens Pelagianos fateri eam ſolam eſſe non ſecundum merita noſtra gratiam, qua ho-

Quã maligne trunca verba Auguſtini citet contra clariſſimã eius ſententiam etiam eodem loco explicitam.

mini peccata dimittuntur. Illam vero, quæ datur in finem, hoc eſt, vitã æternam meritis præcedentibus reddi. Reſpondendum eſt, inquit, eis, Si merita noſtra ſic intelligerent, vt etiam ipſa, dona eſſe Dei cognoſcerent, nõ eſſet improbanda iſta ſententia. Quoniam vero merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo hominem habere dicant, prorſus rectiſſime reſpõdet Apoſtolus, Quis te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si aũt accepiſti, quid gloriaris, quaſi nõ acceperis? Prorſus talia cogitanti veriſſime dicitur, Dona ſua coronat Deus, non merita tua, nam quæ talia ſunt, mala ſunt. Bona enim, Dei dona ſunt, ſicut dicit Iacobus, Omne datum optimum, &c. Hactenus Auguſtinus loco memorato, vnde ille trunca eius verba citat, contra clariſſimam eius ſententiam. Dicit enim catholicam fore eam Pelagianorum ſententiam, qua vitam æternam, meritis noſtris præcedentibus reddi affirmabant, modo & in meritis, Dei donum & gratiam agnoſcerent, & ea ex ſemetipſo hominem habere non dicerent. Hoc vero præſumentem, veriſſime audire, Dona ſua coronare Deum, non merita tua, ſi tibi a teipſo ſunt merita tua: hoc eſt, ſi præſumas a teipſo habere merita tua. Quæ præſumptio peſtilens, facit, vt mala ſint merita tua, quæ bona eſſent, ſi Dei donum & gratiam in ipſis meritis & bonis operibus humiliter grateq; agnoſceres. Itaq; cum omne bonum, omneq; meritũ, Dei donum ſit, nullum habet meritum, qui a ſeipſo id habere præſumit. Vides itaque non tolli, ſed ſtatui hoc loco, iuſtorum merita: ſed impiam elidi arrogantiam & ſuperbiam, qua miſeri illi ſibijpſis aſcribebant ſua merita, quaſi a ſemetipſis ea, non a Deo haberent.

Nõ ſupereſſe locum meritis, ſi ex liberi arbitrij fonte non prodeant.

Hoc vnum recte conieciſti: acute ſane nos hoc animaduertere, animaduertiſſe quoq; vniuerſos illos ab initio orthodoxos catholicoſq; patres noſtros, nullum iam ſupereſſe meritis locum, ſi non ex liberi arbitrij fonte prodeant. Longiſſime autem aberras tu, qui nos longe aberrare affirmas, quod iſtud tãtopere diſſentaneum ducamus. Nec huius nos erroris conuincit Apoſtolus, qui noſtræ iuſtificationis & ſalutis initium ad electionem refert. Nam quo id pacto ſane intelligi oporteat, poſt ſuo loco diligentius explicabitur, nec tibi obſcurum foret, ſi integram coniungeres ſententiam apoſtolicam, & niſi tuo more truncares de induſtria, quod maxime ad rem pertinet, & vnde eiuſdẽ pendet clariſſima intelligentia. Nam ita Apoſtolus vniuerſa ſequentia ad electionem refert, vt ipſam tamen electionem, ad præſcientiam, quaſi priorem referat. Sic enim habent verba Apoſtoli, Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit. Quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. Vides vt in hoc ordine, vniuerſa ex præſcientia dependeant, etiam ipſa electio. Itaq; quanuis electionis non ſit præcedens meritum,

Electionẽ Dei nec tollere liberũ arbitrium, nec meritũ bonorum operum.

Electionẽ Dei pendere, ex eius præſciẽtia.

Electionẽ dici nõ poſſe, niſi quæ ex ratione & iudicio procedit.

tum,electio tamen,niſi ex ratione & iudicio procedat,dici non poterit, & quæ ratio,quod iudicium, ſi opera,vt dixi, manuum ſuarum, pari morbo laborãtes homines, & æque ſua ope & miſericordia indigẽtes, nullo reſpectu pręſciti in eis diuerſi vſus liberi arbitrij,ſic diſtinguat,vt vnum eligat et abijciat alterum? Vtcunq; autem hoc ſit(nam hunc,vt dixi,nodum poſt explicabimus,) hoc certum eſt, electionem non tollere,nec arbitrium liberum,nec bonorum ſequentium meritum.

Cur ergo inquis coronantur fideles? *Caluinus.*

Idem tibi Paulus pro nobis reſpondeat Apoſtolus, Quia cum Dei gratia legittime decertauerunt. Propter quod & ipſe gloriatur repoſitam ſibi coronam iuſtitiæ, quam illi pro laboribus ſuis iam reddidit iuſtus iudex, & quamuis eos glorificaturus ſit, quos idemipſe iuſtificauit:(nemo enim iuſtificatur a ſeipſo, illa quæ ex Deo eſt iuſtitia)non tamen iuſtificat quenquam ſine ſeipſo,modo ſui compos ſit. Nec huic aduerſatur quod iuſtificarit eos, quos & vocauit & elegit: Quandoquidem non elegit, eodem hoc affirmante Apoſtolo, niſi quos præſciuit conformes fieri imaginis filij ſui:ita vt electio ex priori præſcientia,vt poſt explicabimus,dependeat. Deinde,non dicit Apoſtolus glorificandos aut coronandos electos & vocatos, quia & electi & vocati ſunt,tametſi ſoli illi coronabuntur in gloria: ſed quia legittime decertauerunt: vt corona, non diuinæ electionis & vocationis, quæ noſtri arbitrij non eſt, nec nobis imputari poſſit,ſed legittimi certaminis, & fidelium laborum noſtrorum ſit præmium. *Pighius.* *Cur coronentur fideles.* *Coronã, legittimi certaminis & fidelium laborũ, non electionis reſpectu dari, quanuis non, niſi electis.*

Faceſſat ergo, inquit, inanis hic timor, nulla fore amplius merita, ſi liberum non ſtabit arbitrium. Stultiſſimum enim eſt, ab eo abſterreri,quo nos ſcriptura vocat. Si omnia accepiſti,ait Paulus, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Vides ob idipſum libero arbitrio adimere illum omnia,ne quem meritis locum relinquat? *Caluinus. Attẽde obsecro lector quam impudenter ſcripturas inducant, quo nihil pertinent.*

Imo tua potius Caluine & tuorum faceſſat impietas, atque impudens de ſcripturis quiduis ſtatuẽdi temeritas. Stultiſſimus merito atq; arrogantiſſimus tu, qui inductis a te verbis affirmas Apoſtolum vniuerſa adimere libero arbitrio,ne quem meritis locũ relinquat. Nihil ille libero arbitrio derogat,q nos admonet vniuerſum & quod ſumus, et quod habemus,et quod poſſumus,accepiſſe a Deo,etiã ipſum liberũ arbitriũ. Proinde in illis quaſi noſtris, non gloriandum aut ſuperbiendum nobis,ſed creatori de illis perpetuo agendas gratias. Hęc illa Pauli doctrina eſt,quę quid libero aduerſatur arbitrio? Quid meritis derogat? Niſi forte exiſtimas nos qui liberũ arbitriũ aſſerimus, ita delirare, vt credamus ipſum a nobiſipſis nos habere, & non accepiſſe a Deo. Qui aſſerimus merita,ea nobis vniuerſa aſcribere cũ blaſphemo Pelagio,nec gratiã in illis Dei agnoſcere. Sed vobis,vt dixi,pro eruditione eſt arrogantia atq; impudentia:& ſcripturas ad quiduis inducẽdi per *Pighius.*

fricta

frictæ frontis audacia, quibus dicunt ſcripturæ quicquid demum volueritis.

Vt cauillentur ratiōnē noſtrā quæ ex admonitionibus, exhortatiōibus, præceptis, & obiurgatiōibus ducitur.

Alteram deinde rationem noſtram, quæ ex admonitionibus, exhortationibus, præceptis & obiurgationibus ducitur, conuellere, aut potius calumniari aggreditur.

Inſtant præterea, inquit, fruſtra exhortationes ſuſcipi, ſuperuacuum eſſe admonitionum vſum, ridiculas eſſe obiurgationes, niſi ſit penes peccatorem parere.

Caluinus. Pighius. Petrus apud Clemētem aduerſus Simonem.

Inſtant ſane ita, & rectiſſime inſtant. Inſtitit hoc pacto (quod iterū iterumq; audiſti) aduerſus Simonem Magum, veſtræ huius ſtolidiſſimæ & blaſphemæ impietatis authorem, ille Petrus, referente Clemente, Si, inquit, agere aliquid in poteſtate ſua nemo habet, conuulſa erunt omnia, fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora. Sed & iudices ſæculi fruſtra legibus præſunt, & eos qui male agunt, puniunt, Non enim in ſua poteſtate haberent vt peccarent. Vana erunt iura populorum, quæ malis actibus pœnas ſtatuūt. Secundum hæc, nec iuſtitia erit, nec vlla virtus, nec Deus denique. Inſtitit quoque quod item audiſti,

Tertullianus aduerſus Marcionem.

in eundem modum aduerſus Marcionem Tertullianus, haud conſentaneum affirmans, vt vel lex poneretur illi qui debitum legi obſequium in poteſtate non haberet, vel mortis comminatio, legis transgreſſioni aſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur: nec vniuerſum diſciplinæ ordinem, per exhortationes, admonitiones, obiurgationes, comminationeſque, niſi & ad obſequium, & ad contemptum libero & voluntario homini diſponi potuiſſe.

Irenæus aduerſus Valentinum.

Inſtitit aduerſus Valentinum ille Irenæus ſimiliter, Qui multa inducens diuinarum ſcripturarum oracula, quibus Deus per Prophetas ſuos, per Apoſtolos, atque etiam per ſeipſum nos exhortatur pie, iuſte, & ſancte viuere, ſe quærere, ſuæ voluntati libenter ſubmittere & obſequi, & deterret ab horum contrarijs, omnibus his affirmat euidenter demonſtrari liberum & ſuæ poteſtatis eſſe hominem, Cum alioqui fruſtra nos adhortaretur, hæc quidem facere, ab his vero abſtinere. In eundem inſtitit modum aduerſus Simonis diſcipulos ille

Origenes aduerſus Simonis diſcipulos.

Origenes, Perquam abſurdum & ridiculum, dicens, & mandatorum, & exhortationum, admonitionum quoq; et obiurgationum vſum vniuerſum, ſi liberi non habeamus poteſtatem arbitrij. Breuiter, ſic omnes, non ſolum quotquot audiſti, patres ſancti & orthodoxi, ſed & ij quibus præter lumen ratiōis naturalis, non illuxit diuinę illuſtratiōis ſpecialis gratia. Quorū ſententiam, velut vniuſcuiuſq; mēti

Cicero.

a natura inſcriptam Cicero in lib. de natura deorum, fato, & præſcientia, diſputans, clariſſime expreſſit. Nam cum rationū hinc inde vi artaretur, aut futurorum diuinam præſcientiam, aut liberum hominibus negare arbitrium: illam, quam hoc, negare prælegit. Quando

ex hoc

ex hoc ſublato, dicit euidenter conſequi, vt omnis humana vita ſubuertatur: fruſtra dari leges, fruſtra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhiberi: neq; vlla iuſtitia bonis prẹmia, malis conſtitui ſupplicia poſſe. Quãquam neutrum negare neceſſe ſit, nec diuina prẹſcientia pugnet cum noſtri libertate arbitrij. Quemadmodum poſt clarius explicabitur. Sed quid aduerſus hæc Caluinus?

Similia, inquit, olim, cum obiectarentur Auguſtino, libellum de correptione & gratia ſcribere coactus fuit. Vbi etſi copioſe illa diluit, ad hanc tamen ſummam aduerſarios reuocat. O homo, in præceptiõe cognoſce quod debeas agere. In correptione cognoſce tuo te vitio non habere. In oratione, cognoſce vnde accipias quod vis habere.

Caluinus.

Quid hic ais Caluine? Similia ne quiſquam Auguſtino obiecit aut obijcere potuit? Nunquid liberum ille arbitrium non vbique aſſeruít? Nunquid negauit penes peccatorem eſſe, cum Dei gratia & adiutorio (quod nulli deeſt niſi qui ſibi deeſt) parere diuinis admonitionibus, exhortationibus, atque obiurgationibus? Nunquid idem ipſe Manichæo, & vobis hæc ipſa non confidentiſſime obiecit? affirmãs libertate arbitrij ſublata, neminem aut monendum aut obiurgandũ omnino. Quibus ſublatis Chriſtiana lex, inquit, & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt. Ita te tui non pudet Caluine? auguſtinus intelligens in congregatione monachorum Adrumetinorum, quoſdã ita accipere ſuas & orthodoxorum pro Dei gratia aduerſus Pelagiũ diſputationes, quaſi negarent liberum arbitrium, ſcripſit ad eoſdem, quo eũdem errorem tolleret, librum de gratia & libero arbitrio. Quo, vt ſupra audiſti, primũ oſtendit, per diuinas ſcripturas reuelaſſe nobis Deum, in homine liberum eſſe voluntatis arbitrium, vt ſine quo, ipſa diuina mandata nõ prodeſſent homini, niſi haberet, quo ea faciens ad promiſſa præmia perueniret. Imo fruſtra & contra rationem mãdata ſua cuſtodiri, & fieri iuberet Deus. Quid enim iubet, inquit, ſi non eſt liberum obſequendi arbitrium? Concludẽs ex diuinis monitis vniuerſis, quibus ad aliquid faciendum aut non faciendum opus aliquod volũtatis exigitur, ſatis demonſtrari liberum hominis arbitrium. Nemo ergo, inquit, Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſq; cũ peccat: neq; cum aliquid ſecundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate, &c. Hanc ipſam tamen, quanuis ad malum & bonum liberam, ſine diuinæ gratiæ adiutorio ad bene iuſteque viuendum, conſequenter multis diuinarum ſcripturarum authoritatibus demõſtrat ſibi non ſufficere, ſed requiri vtranque. Neq; enim præcepta darentur, inquit, niſi homo haberet liberæ voluntatis arbitrium, quo eiſdem diuinis præceptis obediret, & tamen Dei donum eſt (quod in quibuſdam ſpeciatim oſtendit) quo eadem ſeruari poſſunt. Itaq; cum libro eodem, duas ad eoſdem dedit epiſtolas. Quarum prima, in hẹc verba eſt. Ve-

Pighius. Quam impudẽter mẽtiatur de Auguſ[tino].

Quæ fuerit Auguſtino occaſio & cauſa ſcribendi libri de gratia & libero arbitrio.

Vt euidenter in eod[em] demõſt[rat] manc[...] bis & malu[m] ad bonu[m] libertatem arbitrij.

Vt nihilominus ad iuſte viuendum, diuinæ gratiæ adiutorio opus habeat.

Ex epiſt. I. Augu. ad Valentinũ & monachos Adrumetinos.

Venerunt ad nos duo iuuenes Creſconius & Felix, de veſtra congregatione ſe eſſe dicentes, qui nobis retulerunt, monaſterium veſtrũ nonnulla diſſentione turbatum, eo quod quidam in vobis ſic gratiam prædicent, vt negent hominis eſſe liberum arbitrium: et quod eſt grauius, dicant, quod in die iudicij nõ ſit redditurus Deus vnicuique ſecundum opera eius. Etiam hoc tamen indicauerunt, quod plures ve-

Liberũ arbitriũ adiuuari per dei gratiam.

ſtrum non ita ſentiant, ſed liberum arbitrium adiuuari fateantur per Dei gratiam, vt recta ſapiamus atque faciamus: vt cum venerit dominus reddere vnicuiq; ſecundum opera eius, inueniat opera noſtra bona, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Hoc qui ſentiunt, bene ſentiunt. Obſecro itaq; vos fratres, ſicut Corinthios obſecrauit Apoſtolus, per nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, nec ſint in vobis ſchiſmata. Primo enim dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio Iohannis apoſtoli, non venit vt iudicaret mundum, ſed vt ſaluaretur mundus per ipſum. Poſtea vero, ſicut ſcribit Paulus apoſtolus, iudicabit Deus mundum, quando venturus eſt, ſicut tota eccleſia in ſymbolo confitetur, iudicare vi-

Nota argumentũ Auguſt. et pro gratia, & pro libero arbitrio.

uos et mortuos. Si igitur non eſt Dei gratia, quomodo ſaluat mundũ? & ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Proinde librum, vel epiſtolam meam, quam ſecum ad vos ſupradicti attulerunt, ſecundum hanc fidem intelligite, vt neq; negetis Dei gratiã, neque liberum arbitrium ſic defendatis vt a Dei gratia ſeparetis, tanquã ſine illa vel cogitare aliquid, vel agere ſecundum Deum vlla ratiõe poſſimus: quod omnino non poſſumus. Propter hoc enim dominus cũ de fructu iuſtitiæ loqueretur, ait diſcipulis ſuis, Sine me nihil pote-

Quid damnet in Pelagianorum ſententia.

ſtis facere. Explicans deinde blaſphemam Pelagianorum ſententiam, qua ſibiipſis, ſuiſq; meritis attribuebant iuſtificationis gratiã, quod omnino falſiſſimum affirmat. Non, inquit, quia nullum eſt meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum: alioquin, quomodo Deus iudicabit mundum? Sed miſericordia & gratia Dei conuertit hominẽ, de qua Pſalmus dicit, Deus meus, miſericordia eius præueniet me,

Nota admonitionẽ & quid inter oẽs ſcripturas, q̃ varie occurrunt debeamus firmiter credere.

vt iuſtificetur impius, hoc eſt, ex impio fiat iuſtus, et incipiat habere meritum bonũ, quod Deus coronabit, quando iudicabitur mundus, &c. Et circa finem admonens eoſdem ex Petri epiſtola, de obſcuris quibuſdam locis Pauli apoſtoli, Cauete ergo, inquit, quod tantus Apoſtolus tam terribiliter dicit: & vbi ſentitis vos non intelligere, interim credite diuinis eloquijs. Quia & liberũ eſt hominis arbitrium: & gratia Dei, ſi-

Sapienter intelligere vt libero arbitrio tribuat, & nihilominus diuinæ gratiæ.

ne cuius adiutorio liberũ arbitrium nec cõuerti poteſt ad Deum, nec proficere in Deo, & quod pie creditis, vt etiam ſapienter intelligatis orate, & ad hocipſum enim, id eſt, vt ſapienter intelligamus, eſt vtiq; liberũ arbitrium. Niſi enim libero arbitrio intelligeremus atque ſaperemus, nobis non præciperetur dicente ſcriptura, Intelligite qui inſipientes e-

ſtis in

ſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Eoipſo quippe quo præceptum & imperatum eſt, vt intelligamus atque ſapiamus, obedientiam noſtram requirit, quæ nulla eſſe poteſt ſine libero arbitrio. Sed ſi poſſet hocipſum ſine adiutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitrium, vt intelligeremus atque saperemus, non diceretur Deo, Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua, neque in Euangelio ſcriptum eſſet, Tūc aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas, nec Iacobus diceret, Si quis autem veſtrū indiget ſapientia, poſtulet a Deo: qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, &c. Hactenus ille prima illa ad Valentinum & fratres eius epiſtola. Sed cum prædicti apud Auguſtinum præter conſtitutum morarentur diutius, addidit & alteram cum eiſdem ad eoſdem epiſtolam ſcribere, in qua poſt alia pleraque, Quantum ergo potuimus, inquit, egimus cum iſtis & veſtris & noſtris fratribus, vt in fide ſola catholica perſeuerent. Quę neq; liberum arbitrium negat, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam: neq; tātum ei tribuit, vt ſine gratia Dei valeat aliquid: ſiue vt ex malo conuertatur ad bonum, ſiue vt in bono perſeueranter proficiat: ſiue vt ad bonum ſempiternum perueniat, vbi iam non timeat ne deficiat. Vos quoque chariſſimi etiam in hac epiſtola adhortor, quod nos omnes exhortatur Apoſtolus, non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad temperantiam, ſicut vnicuique Deus partitus eſt menſuram fidei. Attendite quid per Solomonem moneat ſpiritus ſanctus, Rectos curſus, inquit, fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dextram, neque in ſiniſtram: auerte autem pedem tuum a via mala. Vias enim quæ a dextris ſunt, nouit dn̄s: peruerſæ vero ſunt, quæ a ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera aūt tua in pace producet. In his verbis ſanctæ ſcripturæ conſiderate fratres, quia ſi non eſſet liberū arbitrium, nō diceretur, Rectos curſus fac pedibus, et vias tuas dirige, ne declines in dextram neq; in ſiniſtram, & tamē ſine gratia Dei ſi poſſet hoc fieri, nō diceretur, Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, & itinera tua in pace producet. Explicans deinde vias quę a dextris ſunt, eſſe vias aut opera iuſtorum: vias vero quæ a ſiniſtris, impiorum intelligit. Quarum, vt illas nouit, hoc eſt, fecit, ita has nō nouit dominus, & quid ſit declinare in dextram, quodipſum etiā prohibetur. Declinare quippe, inquit, ille eſt intelligendus in dextram, qui opera ipſa bona, quę ad vias dextras pertinent, ſibi vult aſſignare non Deo, &c. Sic ergo intellige quod tibi præceptum eſt, Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, vt noueris cum hoc facias, a domino Deo tibi præſtari vt hoc facias, & non declinabis ad dextram, quanuis ambules in vijs dextris: non confidens in virtute tua, & ipſe erit virtus tua, qui rectos faciet curſus tuos, & itinera tua in pace producet. Hactenus Auguſtinus. Quem ſi legiſſe te confiteris, ſycophantiam & malignitatem tuam ne-

Ex ſecūda epiſtola eiuſdem ad eoſdem.

Perurgetur Caluinus, & im-

pudentiſſimi mendacij de Auguſtino, ex Auguſtino cōuincitur

am negare non poteris,tuam Auguſtino impietatem affingens,quam ipſe vbiq; inſectatur vt peſtilentiſſimam,et non ſolā,velut damnatam catholicæ eccleſiæ fide & ſententia,ſed etiā communi euidentiq; cōſenſu mortaliū omnium. Si legiſſe neges,ſtupēdam profecto tuam impudentiam confitearis neceſſe eſt. Audiſti ſane eandē, quam audiſti perpetuo,Auguſtini ſententiam:demonſtrari videlicet diuinis ſcripturis vniuerſis,homini liberum eſſe voluntatis arbitrium. Cum alioqui fruſtra data,imo ridicula eſſent tot mandata,exhortationes,obiurgatiōes, niſi liberum obſequendi eſſet nobis arbitrium. Nec peccata noſtra alicui imputare nos poſſe quam nobis:nec debere, cum ſecundum Deū operamur aliquid,alienare hoc a voluntate noſtra,aut nobis. Tantum meminerimus, diuinæ in hoc gratiæ neceſſarium nobis adiutorium. Sine ſua gratia,ſaluare Deum non poſſe mundum. Sublato a nobis libero arbitrio iudicare ipſum non poſſe mundum:nec locum fore aut merito aut demerito. Eoipſo quo præcipit, imperat, monet, exhortatur,obedientiam illum noſtram exigere. Eam nullam eſſe poſſe,vbi liberum arbitrium non eſt. Ipſum tamen ſine gratiæ adiutorio ad hoc ſibi non ſufficere. Breuiter,fidem ſanam & catholicam,neque negare liberum arbitrium, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam: neque tantum ei tribuere, vt ſine gratia Dei valeat aliquid: ſiue vt ex malo conuertatur ad bonum, ſiue vt in bono perſeueranter proficiat, ſiue vt ad bonum ſempiternum perueniat. Quod in ſequentibus clarius explicabitur. Interea intelligis, quam impudens hoc ſit quod Auguſtino affingis,quod vbique vehementer execratur & efficaciſſime oppugnat.

Scilicet olim ſimilia obiectabantur Auguſtino? quid obſecro dicenti,& a quibus? Vobis negantibus liberum homini ad bonum & malum arbitrium,obijcimus cum illo, cum patribus, quos audiſti omnibus,imo cum vniuerſo genere hominum, vt ipſa docente natura euidens, in vanum præcepta tradi:fruſtra exhortationes ſuſcipi:ſuperuacuum eſſe admonitionū vſum:ridiculas obiurgationes,niſi penes nos parere ſit. Quid vero dicenti, & a quibus, hæc ipſa Auguſtino obiecta ſunt? Profer obſecro ſi potes? Sed tui hæc capitis ſunt ſomnia & mendacia impudentiſſima.

Auguſtinū quid coegerit ſcribere libellum de correptione & gratia.

Auguſtinum quid coegerit aut prouocauerit ſcribere libellum de correptione & gratia,eodemipſo libello non tacuit. Nam cū audirent pleriq;,qui coniugationem gratiæ & liberi arbitrij intelligere non poterant,nos ſine illius in nobis operantis adiutorio, nec ex malo ad bonum conuerti efficaciter poſſe,nec in bono perſeuerāter proficere, nec ad illud bonum ſempiternum peruenire. Ergo,inquiunt, præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, qui nobis præſunt, & vt faciamus,orent pro nobis. Et rurſus, Hoc enim dicūt,inquit,qui in ſuis malignis operibus ab huius gratiæ prædicatoribus corripi nolunt.

Vt male ſentientes quidam de Dei gratia, correptionem affirmabāt inutilem.

Præcipe mihi quid faciam,& ſi fecero,age pro me gratias Deo, qui mihi vt facerem dedit.Si autem non fecero,non ego corripiẽdus ſum,ſed ille orandus eſt,vt det quod non dedit:id eſt,ipſam qua præcepta eius fiant,fidelem Dei & proximi charitatem.Ora ergo pro me, vt hanc accipiam,& per hanc ex animo cum bona voluntate quæ præcepit faciam.Recte autem corriperer,ſi eam mea culpa non haberem: hoc eſt,ſi ipſam poſſem mihi: dare vel ſumere ipſe, nec facerem : vel ſi dante illo accipere noluiſſem.Hæc illi,qui ſic,quemadmodum a vobis fit,intelligebant aſſeri Dei gratiam , vt liberum tolleretur ad bonum faciẽdum & malum vitandum arbitrium. Quæ rectiſſime aduerſus vos dicerẽtur,qui vnius diuini hoc eſſe contenditis beneplaciti, vt pari morbo laborantibus naturaliter nobis omnibus,his quidem medicam ſuã manum admouere placeat,alios prætermittat, permittatque in putredine ſua donec abſumantur contabeſcere:nec quicq̃ nos promouere poſſe, priuſquam illi placeat ſanare nos,ad prouocandam erga nos eius miſericordiam: imo, nec deſyderare eam nos poſſe.Quæ ſi ita haberẽt, cur non rectiſſime hæc dicerentur a peccatoribus?

Vt ex aduerſariorũ etiam ſentẽtia neceſſario ſequatur correptionem eſſe inutilẽ.

Sed aliud habet fides ſana & catholica, quæ liberum arbitrium , & ad malum, & ad bonum faciendum nos confitetur habere, vt eiuſdẽ etiã libelli cap.I. idem Auguſtinus affirmat:ita tamen,vt intelligat ſine illo,nihil ſe poſſe facere,cui merito dicit,Adiutor meus eſto, ne derelinquas me.Proinde omnia a nobis pro peccatoris correptione merita facienda ſunt:quemadmodum & doctores eccleſiarum,apoſtoli,omnia faciebant.Siquidem,& præcipiebant quæ fierent:& corripiebant quãdo non fierent:& orabant vt fierent . Præcipit Apoſtolus vt habeatur charitas:corripit , quia non habetur charitas:orat, vt abũdet charitas. Eoipſo quod præcipit,obedientiam noſtrã requirit,quæ ſine libero arbitrio nulla eſſe poteſt.Eoipſo,quod corripit, negligentiam noſtrã accuſat,qui non conati ſumus pro viribus,nec præſtitimus quod potuimus vt charitatem haberemus.Eoipſo,quod orat,diuinę nobis gratię neceſſarium adiutorium indicat. Recte proinde peccatorem his verbis conuenit Auguſtinus,O homo, in præceptione cognoſce,quid debeas agere,In correptione cognoſce,tuo te vitio non habere, In oratiõe cognoſce,vnde accipias,quod vis habere . Quod quopacto peccatori tu dicere poſſis Caluine,qui negas in eius poteſtate eſſe ante iam perceptam diuinã gratiam,eam aut quærere aut appetere? Mirum eſt te tantum , qui videri vis , noſtræ religionis doctorem , tuæipſius orationis non intelligere conſequentiam,atque ita pueriliter pugnare tecum.

Quid orthodoxa de hoc fides teneat.

Sed vide obſecro,vt irrefragabilem illam,quam diſſimulare nõ potuit ex communi omnium mortalium cõſenſu aduerſum ſe deprom ptam rationem,cauillari pergat.

Primum,inquit,nõ ſoli ſumus in hac cauſa, ſed Chriſtus & omnes

Caluinus.

Vt ſuã cauſam, cõmunem cum Chriſti & Apoſtolorum cauſa faciant.

Apoſtoli. Viderint iſti quomodo ſuperiores euadant in certamine quod cum talibus Antagoniſtis ſuſcipiunt. Chriſtus qui teſtatur, nos ſine ſe nihil poſſe, an ideo minus reprehendit & caſtigat eos, qui extra ſeipſum male agebant? an ideo minus exhortatur vt quiſque bonis operibus incumbat? Paulus quam ſeuere in Corinthios inuehitur ob charitatis neglectum? iiſdem tamen demum charitatem a Deo flagitat. Teſtatur non eſſe volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei: nõ deſinit tamen poſtea & admonere, & adhortari, & corripere. Cur ergo non dominum interpellant, ne ita ludat operam, ab hominibus ea exigendo quæ ſolus ipſe dare poteſt? Ea caſtigando, quæ gratiæ eius defectu admittuntur? Paulum cur non admonent vt parcat iis, quorum in manu non eſt, velle aut currere, niſi præeunte Dei miſericordia, quæ nunc ipſos deſtituit?

Pighius. Vt Chriſto & Apoſtolis optime conſtet doctrinæ ſuæ ratio.

Quid tibi cum Chriſto & Paulo Caluine? Fruſtra hæc diuerticula & ſubterfugia quæris. Nihil facis, quod communem tuam cum illis cauſam facis. Optime illis conſtat ſuæ doctrinæ ratio, vobis non conſtat, ſed euidẽter pugnat ſecum. Veriſſime quidem ille, ſine ſe, nihil nos poſſe facere. Adiutor ſiquidem noſter eſt, eius adiutorio, vt iuſtitiæ fructum faciamus, nobis opus eſt. Non tamen dicit, vel ſecum, qui ſtat ad oſtium, & pulſat, & cupit ad nos ingredi, modo ianuam illi cordis noſtri aperuerimus, qui vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire, qui in perfidiæ cæcitate, ſua peruicacia obſtinatæ Hieruſalẽ dicebat, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Non, inquam, dicit, vel ſecum, qui ſe paratum omnibus offert & exhibet, nihil poſſimus: imo, per nos ſtare quod non ingreditur ad nos, quod nos non congregarit ſibi. Quia, inquit, noluiſti. Merito ergo ille reprehendit, & caſtigat, qui extra ſe male agebant. Nec luſit operam, exigendo ab hominibus, quæ ſolus ipſe dare poterat: quia quo minus daret, non per ſe, ſed per homines ſtabat. Quoties, inquit, volui congregare vos, & noluiſtis? Vult ipſe & cupit nobis facere bene: ſuam nobis gratiam offert & exhibet: pulſat, vt illi cordis noſtri oſtium aperiamus. Quid igitur? An non correptione, pœna, & ſupplicio dignus ille videtur, qui diuinæ gratiæ, quam ſolus ille nobis dare poteſt, aperire cordis ſui oſtium recuſat et negligit? Aeque Paulo eius apoſtolo, ſua optime conſtat doctrinæ ratio, qui ita gratiam Dei nobis neceſſariam aſſerit, vt ſuas etiam partes in opere bono libero arbitrio non adimat. Nõ negat nos velle, nos currere, vt brauium ſupernæ vocationis & coronam gloriæ aſſequamur: quin potius, & ſuo exemplo ad hunc curſum nos prouocat. Sic currite, inquit, vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autẽ incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in

ſi in incertum:ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo,ne cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar.

Attamen,vt hocipſo conatu,hocipſo certamine,hocipſo curſu,hac ipſa corporis caſtigatione & mortificatione damnationē effugiamus, & coronā illam gloriǫ aſſequamur,quā ille victoribus præparauit,& velut præmium laborum propoſuit, Dei eſt gratiæ & miſericordiæ: non ſolum, quod etiam per illam, victores euaſimus: ſed quod illam ipſam noſtram victoriam,tali corona & præmio ex ſua benignitate ac liberalitate,cum nihil deberet, remunerare dignatus eſt. De quo poſt tractandi vberius incidet locus proprius & commodior.

Vobis vero,non conſtat veſtræ doctrinæ ratio. Qui ita prædicatis Dei gratiam, vt nullas ad bene iuſteꝗ viuendum partes libero relinquatis arbitrio. Quod facientibus,neceſſe eſt,fateantur,in vanum præcepta tradi:fruſtra exhortationes ſuſcipi:ſuperuacuum eſſe admonitionum vſum:obiurgationes ridiculas,impotenti obſequi. Quis enim illius domini non rideret amentiam, qui ſeruo, quem carcere clauſum, manicis pedicisꝗ conſtrictum tenet,atꝗ ita tenet, vt eius prorſus poteſtatis nō ſit illinc eximi,etiam quicquid conetur, quicquid faciat, Qui, inquam,huic ſub mortis comminatione præciperet,hac illacꝗ diſcurrere:ſibi occurrere & exhibere imperata officia? Si obſequenti proponeret præmia,ceſſanti pœnas & ſupplicia? Sit, quod vis, ſua etiam culpa mancipatus carceri,nunquid minus tibi videbitur ille & ridiculus & inſanus dominus? Et eiuſmodi hi nobis Deum præcipientem,inuitantem,exhortantem,obiurgantem,comminantemque faciunt.

Vt aduerſarijs nō cōſtet ſuæ doctrinæ ratio.

Fruſtra proinde,non fruſtra adhiberi exhortationes,obiurgatiōesque,ſublato nobis libero obſequendi arbitrio conaris oſtendere. Quæ tua vniuerſa ſi liberet excutere, vt abſurdiſſima & falſiſſima multa vbique congeras, vt multis ipſe tecum pugnes modis euidentiſſimum quidem fieret:in immenſum tamen noſtra exiret oratio. Sed ne pręter veritatem,his,quicꝗ̄ de tuis me calumnieris affingere,vnum ex multis ſubijciam,et verbo indicabo vt pugnes tecum. Bifariam,inquis, Deus in electis ſuis operatur:intus per ſpiritum: extra per verbum. Spiritu mentes illuminando, corda in iuſtitiæ amorem cultumꝗ formando, nouam eos creaturam facit. Verbo ad eandem renouationem expetēdam,quærendam,aſſequendam excitat. Hic euidenter contradicis tibi. Certum eſt enim,te hocipſum confitente ante renouationem, & ad renouationem vſꝗ vetuſtatem creaturæ manere,& ſeruitutem ſub ſatana. Affirmas & hoc,ſub vetuſtate creaturę,atꝗ ea manente,nec appetere quidē,nedum quærere eam nos poſſe. Quō ergo, & quos, verbū ad eandem renouationē expetendam,quærendā,aſſequendamꝗ excitat? Iam renouatos? fruſtra hoc expeterent,& aſſequi quærerent,quod

Vt in multis ſecū pugnet Caluinus.

iam aſſequuti ſunt. At nondum renouati, eamipſam renouationē nec deſyderare quidem poſſunt, nedum quærere, niſi mentiaris tu. Quos igitur? Sed hæc eſt illa veſtri illius Euāgelij energia & efficacia, vt profeſſores ſuos repente inuoluat ſpiritu cæcitatis & vertiginis: vt videntes non videant, nec quid loquantur intelligant.

Vt ſcripturas, quę vniuerſę libertati ſubſcribunt arbitrij, conētur ſuis cauillis eludere.

Nunc audi, vt ſcripturas, quas vniuerſas euidenter damnare eorū impietatem demonſtrauimus, ſuis cauillis conetur eludere. Quas infinitas vniuerſaſque ſatis intelligens, in paucos aliquot ſcopos, velut claſſes diſtribuit, quo pluribus, vna, vt dicit, reſponſione ſatisfaciat.

Caluinus. De Præceptis.

Præcipuum, inquit, robur in præceptis locant, quæ putant dari nō debuiſſe non potenti obſequi.

Pighius.

Locamus & in illis robur: et recte putamus dari non debuiſſe niſi illi q obſequium debitū præceptis in poteſtate haberet. Idē ante nos, aduerſus pręceptores illos veſtros, fecerūt, quotquot ſupra audiſti: noſtrę philoſophię duces, Petrus, Clemēs, Tertullianus, Irenęus, Origenes, Baſilius, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, quemadmodum ſupra ſuis eorundem verbis demonſtrauimus. Ex his tu quid affers contra?

Caluinus.

Hominū facultates, inquit, ad diuinæ legis præcepta extendere vulgare id quidem iam diu eſſe cœpit: & nonnullam ſpeciem habet: ſed a rudiſſima legis ignorantia prodijt. Nam qui pro ingenti piaculo ducunt, ſi dicatur legis obſeruationem eſſe impoſſibilem, validiſſimo ſimul argumento inſiſtunt, fruſtra alias legem eſſe datam.

Vt arguat eos, qui legis obſeruationē negant impoſſibilem.

Pighius. Quod eſſe non poſſit impoſſibilis legis obſeruatio.

Audiſti ſupra, quotquot audiſti patres, velut cōmuni mortaliū oīm ſenſu comprobatū affirmare, Neminem peccare, in eo quod vitare nō poteſt. Legis aūt trāſgreſſio pctm̄ ſit oportet, Nō poteſt ergo impoſſibilis eſſe legis obſeruātio. Qđ q dicūt, (te nēpe, vna cū tuis) merito anathema pronūciant. Ab hac aūt legis implendæ facultate, nō excludūt, ſed in ea includūt potius, diuinæ gratiæ paratum omnibus adiutoriū.

Caluinus. De lege, ex Paulo.

Sed perinde, inquit, loquuntur, ac ſi nuſquam Paulus de lege loquutus eſſet. Quid enim quæſo iſta ſibi volunt, Legem propter tranſgreſſiones eſſe poſitam? Per legem eſſe cognitionem peccati? Legem peccatum efficere? ſubingreſſam eſſe vt abundaret delictum? An ad noſtras vires limitandam fuiſſe ne fruſtra daretur?

Pighius. Quam alienæ ſint a propoſito quæ citat ex Paulo.

Imo perinde tu mihi loqui videris, ac ſi nec Paulū nec ſacras vnq̄ legiſſes literas: aut quid lex ſit non intelligeres. Quæ ex Paulo citas huc non pertinēt. Quid ſi lex propter tranſgreſſiones ſit poſita? Quid ſi per eam peccati cognitio ſit? nunqd propterea eius obſeruatio impoſſibilis eſt? Legem peccatum operari, aut ſubingreſſam eſſe vt abundaret delictū, quo pacto, vt ſane intelligatur intelligi oporteat, ſuo loco a nobis explicabitur. Certe, ad id de quo agitur nihil pertinet: proinde hic prætereundum eſt, ne prolixiores præter rem ſimus.

Caluinus.

Nō ſolū eſt, inquis,

quis,lex,vitæ regula,ad q̄ ſtudia noſtra cōponere debeamus, ſed ſimul & quid agendum eſt,præſcribit,& obediēdi virtutem a Dei bonitate eſſe docet.Ideoq; ad preces inuitat quibus eā nobis dari poſtulemus.

Pighius.

Hactenus recte omnia. Quandoquidem etiam nos fatemur, a Dei bonitate eſſe quod ſumus,& quod viuimus,& quod poſſumus: confitemur ad Dei præcepta implenda,diuina nos gratia opus habere:atque eam nobis orationibus impetrandā eſſe.Sed hæc tecum pugnant Caluine. Quis em̄ eam precabitur, quam nemo vel deſyderare poſſit priusq̄ habeat,niſi mentiaris tu? Fruſtra proinde laboras demōſtrare, Dei præceptis implendis & neceſſariam & promiſſam Dei gratiam, Quod ipſum etiā ipſi nos affirmamus.Non tñ inde eſt conſequēs,fruſtra implēdæ legis facultatē in nobis requiri ex eo q̄ ſine Dei gratia implere eā nō poſſumus.Non ideo videre in noſtra poteſtate nō eſt,quia ad viſionē,externa ſolis luce nobis opus eſt, etiāſi ea in poteſtate noſtra non ſit.Quandoquidē ſol lucet oībus,qui ſibi nō claudunt oculos:aut manentes in loco tenebroſo,ad eius lucē nō prodeunt.Ita parata eſt oībus eam ſyncere requirentibus diuina gratia:quam, vnūquenq; rōnis compotē requirere poſſe affirmamus. Tu negas,ſed incōſtanter negas: ita nēpe,vt ipſa veritatis vi coactus,rurſus ſubinde fateāris & affirmes.

Vt ſecū pugnēt aduerſarij docentes a Deo poſtulandā nobis eius gratiam.

Nota ſimile.

Aptatio.

Ad alteram inde ſcripturarum,ex quibus pro libertate arbitrij efficax argumentum ducitur,claſſem,quæ promiſſiones continet,veniēs.

De promiſſionibus diuinis, & q̄ ex his argumenta ducamus pro libertate arbitrij.

Caluinus.

Secundus,inquit,argumentoꝝ ordo,ſuperiori finitimus eſt.Allegāt promiſſiones,quibus dñs cū voluntate noſtra paciſcitur. Quales ſunt, Quærite bonitatem & non malitiam, & viuetis.Si volueritis & audieritis me,bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, gladius deuorabit vos.Itē,Si abſtuleris abominationes tuas,a facie mea non expelleris. Si audieris vocem dñi Dei tui,vt facias & cuſtodias mandata eius, faciet te dñs excelſiorem oībus gentibus terræ,& reliquæ ſimiles.Importune & per ludibrium,quæ dñs in promiſſionibus offert beneficia, voluntati noſtræ delegari putant,niſi noſtrum ſit illa vel ſtabilire,vel irrita facere.Et ſane rem iſtam facundis querimonijs amplificare promptum eſt.Nos crudeliter illudi a dño,cum benignitatem ſuā a noſtra voluntate pendere denunciat,ſi voluntas ipſa noſtra non eſt. Egregiam vero,fore hanc liberalitatem Dei,ſi beneficia ſua ita nobis exponat, ne fruendi ſit vlla facultas. Miram promiſſionum certitudinem,quæ vt nūquam impleantur a re impoſſibili dependeant.

Pighius.

Hactenus ſatis fideliter refers, noſtrorum ex hoc ſcripturarum ordine argumenta aduerſum vos, quæ communi ſententiæ innituntur mortalium ab initio omnium. Quam velut ab authore naturæ mentibus noſtris inſcriptam,falſam eſſe tam eſt impoſſibile, quam vt ipſa ſit falſa æterna veritas.Ita ſane importune et per ludibriū in promiſſionibus ſuis,volentibus & ſibi obſequētibus beneficia ſua offerret domi

nus,ſi in noſtra poteſtate non ſit aut velle,aut illi obſequi.Miſera Dei liberalitas foret,ſi beneficia ſua nobis ita exponat,ne fruendi vlla facultas ſit.Nec vlla earum promiſſionum nobis certitudo, quæ a re impoſſibili dependerent. Sed tu quid his contra?

Caluinus. Vt dicta argumenta conentur eludere.

Nego, inquis, dominum inhumaniter nobis illudere dum nos ad beneficia ſua demerenda inuitat,quos nouit eſſe prorſus impotentes.

Pighius.

Belle:Sed quid ſi neges ſolem ſua præſentia lucem terris inuehere:ſi niuem frigidam, aut ignem calidum: nunquid propterea dubium facies quod eſt per ſe euidens & communi omnium mortalium conſenſu comprobatum & ſententia? Hoccine eſt Caluine inſuperabiles machinas illas euertere?

Caluinus. Quorſum diuinas promiſſiones nobis perti nere intelligant.

Sed vſum aliquem comminiſcitur, quem habere poſſent & in impijs,& in pijs. Rite nempe, atq; ordine agere dominum,dum impijs, peccati cõpedibus deuinctis,hanc legem in promiſſionibus ſuis dicit, tum demum beneficia ſua percepturos, ſi a prauitate diſceſſerint, vel ob hoc ſolum,vt intelligant ſe ab ijs merito excludi, quæ veris Dei cultoribus debentur. Rurſum,fideles ſuos,ad implorandam gratiam promiſſionibus extimulare conari.

Pighius. Diuinas promiſſiones quorſum pertinere orthodoxi intelligant.

Non illo Deum fine peccatoribus,promiſſis illudere,quem cõminiſceris tu,ſed magis vt deſyderio præmiorum & diuinæ liberalitatis dulcedine ac benignitate illecti,conuertantur ad benigniſſimũ dñm, (qui vult omnes ſaluos fieri,et ad agnitionem veritatis venire) diuina teſtantur eloquia. Nolo,inquit,mortem pctõris,ſed magis vt conuertatur & viuat. Illo ergo reſpiciunt & exhortationes eius,& promiſſa, & cõminationes,vt conuertatur peccator,& viuat: vtq; iuſtus ſollicite & diligenter in via mandatorum Dei pergat incedere. Conſidera,inquit,quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & econtrario mortem & malum,vt diligas dñm Deum tuum,& ambules in vijs eius,& cuſtodias mandata illius,& viuas. Vides quorſum Dei promiſſiones & cõminationes reſpiciant,vt diligas, inquit, dominum Deum tuum & ambules in vijs eius & viuas. Quæ locum non haberent niſi libero & ad obſequium & ad contemptum homine. Quod & ſancti illi patres quos audiſti omnes vno ore affirmant.

Caluinus. Vt rationẽ bene explicet, quæ ex ſcripturis, locis exprobationem continentibus, ab orthodoxis aduerſus aduerſarios ducitur.

Habet,inquit,& tertia claſſis multã cum prædictis affinitatem. Locos enĩ producunt, quibus ingrato populo dominus exprobrat, per eum duntaxat ſtetiſſe,quo minus ab indulgentia ſua omne genus bonorum receperit. Cuius generis ſunt, Amelek & Cananæus ante vos ſunt,quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquieſcere domino. Quia vocaui vos,& non reſpondiſtis,faciam huic domui, ſicut feci Silo. Item, Hæc gens non audiuit vocem domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam,ideo proiecta eſt a domino. Item, Quia induraſtis cor veſtrum,et noluiſtis obedire dño, hæc omnia mala venerũt ſuper vos.

Tales

Tales exprobrationes, inquiunt, quomodo aduerſus eos congruerent, quibus extemplo reſpondere liceat? Nobis vero proſperitas cordi erat: aduerſa timebamus: quod autem illius adipiſcendæ, horum vitandorum cauſa, domino non paruimus, nec vocem eius auſcultauimus, eo factum eſt, quia peccati dominationi obnoxijs liberum non fuit. Fruſtra igitur mala nobis exprobrantur, quæ effugere, noſtræ poteſtatis non fuit.

Pighius. Etiam hanc agnoſcimus vt noſtram & ſanctorum, quos audiſti, patrum, ex ſcripturę locis, quæ exprobrationes continent, aduerſus Simonem illum atq; eius diſcipulos, rationem irrefragabilem. Sed tu quid habes contra? vt etiam hanc machinam euertas?

Caluinus. Inprimis infirmum dicis ac futile patrocinium in neceſſitatis obtentu. Deinde interrogas, poſſint ne culpam deprecari? poſſint ne inficiari cauſam contumaciæ prauam ſuam voluntatem fuiſſe.

Pighius. Quid ni poſſint deprecari culpam, ſi eam effugere poteſtatis eorum non extitit? Audiſti ſupra, non ſolum orthodoxorum patrum, ſed & mortalium omnium conſenſu, ibi culpæ rationem eſſe non poſſe, vbi dominatur neceſſitas. Neminē in eo peccare quod vitare non potuit. Neminem merito laudari aut vituperari ab his, quæ neceſſario nobis inſunt, nec ex nobis, ſed ex alieno pendent arbitrio: inſint, nō inſint. Deinde quam prauam voluntatem, & quam contumaciam intelligis, cuius eam cauſam inficiari non poſſimus? Loquere cohærentia obſecro, falſum demonſtra eum quem diximus cōmunem ſenſum mortalium omnium. Quæ tu comminiſceris meræ nugæ ſunt, & indigna quæ ſigillatim perſequar, & fere in ſingulis ipſe pugnas tecum.

Adducit deinde et alios quoſdam locos particulares ſcripturarum, qui adduci ſolent pro demonſtranda libertate arbitrij, ſed non potiores, & laborat eoſdem ſuis cauillis eludere. Ex quibus tamen efficacior eſt ille Deuteronomij XXX. vbi Moyſes, poſt bn̄dictionibus et maledictiōnibus cōteſtatum populum, quo & bonorum deſyderio & malorum timore ad datæ illis legis oſeruationem induceret, vt eiuſdem implendæ etiam poſſibilitatem, atq; adeo facilitatem indicaret, & omnem ex eius impoſſibilitate excuſationem tergiuerſationemq; excluderet, ſubdit in hæc verba. Mandatum enim hoc quod ego præcipio tibi hodie, nō eſt ſupra te, nec procul poſitum. Non eſt in cœlo ſitum, vt poſſis dicere, Quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atq; opere compleamus? Neq; trans mare poſitum, vt cauſeris & dicas, Quis e nobis poterit transfretare mare & illud ad nos deferre, vt poſſimus audire & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, vt facias illum.

Verba Moyſis Deut. xxx. q̄bus euidenter aſtruitur in noſtra poſitum poteſtate Dei mandata implere vt tentet eludere.

Hūc locū eludere, putat leuis ogg, q̄d hic nō de obſeruatiōis, ſed cognitionis facilitate agat. Quod ip̄m ip̄a Moyſis verba euidēter redarguūt.

Cauillus primus, q̄ ipſis mox verbis Moyſis coarguitur.

Non enim de cognitione legis tantum,ſed etiam de impletione loquitur. Quapropter hæc duo ſemper coniungit, vt audiamus atq; opere compleamus, vt poſſimus audire,hoc eſt, intelligere,& facere quod præceptum eſt. Non ſupra te, nec procul poſitum a te, non vires tuas excedens,ſed eiſdem attemperatum,ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo,non ſolum,vt illum intelligas,ſed vt facias illum.

Cauillus ſecundus,ſed abſurdiſſimus.

Deinde authore,vt dicit,Apoſtolo, affirmat Moyſen loquutum illic,non de lege ſua,ſed de doctrina Euangelij. Quo nihil poteſt dici abſurdius,& euidenti ſententiæ verborum Moyſis magis contrarium. Qui de lege illa ſua, quam iam tum ſub illis & benedictionum & maledictionū conteſtationibus Iſraeli promulgauerat, loquitur, Mandatum,inquit,hoc,quod præcipio tibi hodie,&c. Nec his contradicit Apoſtolus,Qui tametſi Moyſis verba,quoquo modo ſuo inſtituto & iuſtitiæ fidei accommodet(quod illi fere eſt perpetuum)non tamen tollit ſenſum literæ, quem diſſeruit Moyſes. Quin & ſequentia, quæ ille præterit in eodem capite Deuteronomij, adhuc euidentius aſtruunt libertatem arbitrij. Conſidera, inquit, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo, vitam & bonum: & econtrario mortem & malum: vt diligas dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & viuas. Et rurſus, Teſtes inuoco hodie cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam,vt & tu viuas, & ſemen tuū, & diligas dominum Deum tuum,atq; obedias voci eius,& illi adhæreas. Ipſe enim eſt vita tua,& longitudo dierum tuorum. Hactenus ille, Quę ſi quis dicta intelligit non habentibus liberum,ſeu ad obſequium legi debitum, ad quod illos exhortabatur, ſeu ad contemptum, vnde execrationibus & comminationibus dehortabatur, arbitrium,ſed neceſſario legis contemptoribus, vſque dum placuiſſet Deo illis cor nouum immutare,& ablato corde lapideo dare cor carneum, ad quod etiam ipſum, vobis authoribus,adeo nihil potuerat promoueri per illos, vt nec deſyderare quidem illudipſum potuerint,priuſquam acceperant. Si, inquam,ad eiuſmodi,quis hæc dici intelligat, an non ridicula videbuntur atque illuſoria omnia? Quorſum proponit nobis vitam & mortem,bonum & malum? An non vt vitam ſecteris, mortem fugias? vt bonum aſſequaris,malum euadas? Elige ergo, inquit, vitam vt viuas tu & ſemen tuum,& diligas dominum Deum tuum. Et quid nos iubet vitam eligere, ſi nulla ſit nobis electio? ſi nulla eligendæ & ſectandæ vitæ facultas reliqua? Iubeat in hunc modum ſine alis volare per aera. Nos eſſe, qui Deum colamus, iuſtitiam ſeruemus, obediamus legi, bonis operibus ſtudeamus, aut horum contraria agamus, vniuerſa ſcriptura affirmat. Et hæc propria mentis & voluntatis ſunt officia. Non quod ad illa neceſſarium diuinæ gratiæ ignoremus

mus adiutorium: ſed ita, vt æque ſuam homini aſſeramus liberi facultatem arbitrij. Quam tamen & ipſam, diuinæ gratiæ & benignitatis munus agnoſcimus, nec quicquam nobis tanquam ex nobis arrogamus: memores a quo vniuerſa acceperimus. Quo enim pacto nos Deum colere, ſeruare iuſtitiam, obedire legi, bonis operibus ſtudere dicemur, niſi quædam eſſet ſtudij noſtri (quod tu negas) cum diuina virtute communicatio? Quæ tibi ſi tricæ, vt videri vis, Caluine ſunt, hoc de illis ſecurus pronuncio, quod nullus te inde labor extricabit & abſoluet, niſi mutata ſententia, nobiſcum, cum ſanctis tot patribus, quot audiſti, cum vniuerſa ab initio catholica eccleſia, cum ipſo denique tuo, quem vnum omnium pro te citas, Auguſtino, confitearis eſſe liberum nobis & ad bonum & ad malum, arbitrium: ſine tamen diuinæ gratiæ præiudicio. De quorum coniugatione mox acturi ſumus diligentius.

Quod vero ad id quod nunc agimus pertinet, exiſtimo per hæc ſatis demonſtratum, fruſtra moliri Caluinum diuinas ſcripturas, quæ vniuerſæ libertatem humani arbitrij ſtatuunt atque aſſerunt, ſuis cauillis elidere, & alio contorquere, aut dubias ex his ductas rationes facere. Qui tamen plus negocij inueniet in his quæ inducuntur a ſanctis quos ſupra citauimus patribus, maxime autem ab Auguſtino (cui vni omnium ſe profitetur conſentire per omnia: tametſi ab eodem, quod euidentiſſime demonſtrauimus, bis diſſentiat per omnia) quam in his quæ ipſe ex omnibus velut leuiora elegit, & in quibus, cauillis ſuis magis fore locum ſperabat. Concluſio.

FINIS QVARTI LIBRI.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber V.

Vt inter pugnantes hæreticorum impietates, hinc libertatem humani arbitrij, inde diuinæ gratiæ neceſſitatem negantium, media incedat orthodoxa & catholica veritas, eorundem neceſſariam coniugationem aſſerens, hoc libro plenius explicatur.

Circa liberum hominis arbitriũ errores contrarij.

CIRCA LIBERVM HOMINIS ARBItrium hinc errarunt Simon ille Magus, vniuerſaque ab eo deducta ſucceſſio, Cerdon, Marcion, Valentinus, Manichæus, Bardaſanes, Priſcillianus, Petrus Abailardus, Vuiclefus, Laurentius Valleñ. Lutherus, vniuerſaque ſecta illa (quam ſe dicit) Euangelica. Inde vero Pelagius ac Cœleſtius cum ſuis ſectatoribus, Illi ipſum tollentes liberum arbitrium, hi nimium tribuentes eidem. Inter illos, vnum hoc conuenit, quod libertati detrahunt arbitrij, diuerſa autem neceſſitatis media inducunt. Alij, conditionem naturæ diuerſæ, vt priores illi, Simon, Cerdon, Marcion, Valentinus, Manichæus. Alij fatalem configurationem conſtellationemque cœleſtium corporum, vt Bardaſanes quidam, & Priſcillianus cum ſuis. Alij vero diuinam voluntatem, cuius nos tantum inſtrumenta quædam ſimus, & agamur potius quam agamus ea quæ videmur agere, vt Abailardus & Vuiclefus & Laurentius Valleñ. Lutherus vero & Melanchton, horum abſurdiſſimum errorem, cum illo Manichæi, Valentini, Marcionis, & conſortium execrabili impietate coniungunt. Nam & naturam hominis malam faciunt: peiorem ſane quam illi, Siquidem hi, vniuerſam, & quæ tota quanta quãta eſt, nihil poſſit quam male agere et peccare, etiam in ſanctis viris & ſub ipſa gratia, quam illi partim bonam, partim malam affirmant. Adduntinſuper, ex vnius Dei voluntate pendere omnia, nec quicquam omnium noſtræ poteſtatis eſſe aut arbitrij: nihil nobis contingenter accidere, ſed ineuitabili neceſſitate vniuerſa. Non ſicut nos, ſed ſicut ille vult, ita nos viuere, agere, pati, omnes & omnia. Cõmunis vero ſecta noui huius Euangelij, ne nimium videantur abſurdi, & aliquid ſaltem tribuere exiſtimentur communi ſenſui mortalium omnium, nonnihil libertatis nobis relinquunt in rebus indifferentibus: ſed ad vitam bonam & malam, æque nihil liberæ nobis facultatis permittunt. Qua

Tollentes liberũ arbitrium, ſed diuerſis rationibus.

Simon, cũ ſuis, per cõditionem naturæ diuerſæ.

Priſcillianus &c. per fatalẽ configurationẽ cœleſtium corporum.

Abailardus, Vuiclefus & Valleñ. per diuinã voluntatem.

Lutherũ, Simonis, cũ his impietatẽ coniungere.

Idẽ facere cõmunem noui Euangelij doctrinam.

in re

in re,nunc priores illos,Manichæum,Marcionem, cæteroſq;,qui diuerſam naturam introduxerunt,æmulari videntur:nunc etiam, cum Abailardo, Vuiclefo,Luthero & Philippo,in diuinæ voluntatis beneplacitum vniuerſa referunt. Naturā vniuerſam, vitio peccati originis, vt ſupra audiſti,ita corruptam volunt,vt vniuerſa non ſit niſi quoddam peccati ſemen: & non odioſa atq; abominabilis Deo eſſe non poſſit. Quin & hanc in nobis peruerſitatem,ceſſare nunquam,vt quę nouos aſſidue fructus pariat,quæ carnis dicuntur opera, non ſecus atque fornax incenſa flammam ac ſcintillas efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit. Vniuerſam itaq; omni bene agendi facultate priuatam volunt, Nec vel modicam,vel infirmam illi ſupereſſe, quæ etſi per ſe & ſola nō poſſit,opitulante tamen diuina gratia ſuas & ipſa partes agat: imo neceſſario eam male agere. Opera bona efficaciter in nobis operari vnam ſolamq; diuinam gratiam: cui vt reſiſtere non poſſumus cum nobis offertur & inoperatur a Deo,ita illam priuſquam acceperimus nec deſyderare quidem nos poſſe. Nam cum in hominis, vt inquit, natura nihil ſit niſi caro (nihil eīm ſpiritus, niſi per regenerationem habemus) atq; ea ſit carnis peruerſitas, vt toto ſuo affectu ſimultatem aduerſus Deum exerceat,vt cum legis diuinæ iuſtitia conſentire nequeat, vt nihil deniq; parere niſi mortis materiam queat: quo pacto deſyderare poterit Dei gratiam ante gratiam: quæ etiam ſub ipſa gratia velut fera quædam indomita neceſſario repugnat gratiæ? Proinde,cum diuinæ gratiæ remedio corrigitur naturæ noſtræ vitioſitas,ſic totum Deo atque eius gratiæ tribuunt,vt nullas in eo partes nobis relinquant: neque amorem,deſyderium, aut ſtudium iuſtitiæ, aut vllam facultatem ad diuinam gratiam aſpirandi,aut nos præparandi: nec cum eam acceperimus eidem cooperandi aut collaborandi:neq; vt gratiæ præuenienti, voluntate pediſſequa poſſimus obſequi: vt ue eius vel ſecundæ partes ſint in opere bono cum iam accepta diuina gratia. Sed & inchoari in nobis opus bonum a Deo ſolo,abſq; vlla noſtra aut præuia, aut cooperante voluntatis operatione,dum ille corda noſtra efficaciter afficit,flectit,format,dirigit in iuſtitiam:& perfici conſummariq;,dum ſolo voluntatis ſuæ beneplacito confirmat: nihil vero ea in re a nobis fieri. Neque poſſe nos (vt multis ſæculis falſo traditum & creditum ille affirmat) motioni diuinæ & obtemperare & refragari. Voluntatis humanæ imbecillitatem non corroborari diuinæ gratiæ ſubſidio, quo ad boni electionem efficaciter aſpiret, cum transformari renouarique totam oporteat. Vt enim in lapide nulla eſt mollities,quæ adminiculo tenerior facta fluxum quemlibet poſſit recipere: ita nec cor hominis in recti obedientiam diuinæ gratiæ adiutorio ductile fieri: ſed nouum, atque aliud fieri oportere, ne inter Deum, & nos partiamur, quod ille ſibi vni vindicat. Quod multis diuinarum ſcripturarum,

Explicatur hac de re noui Euangelij ſententia ex Caluini inſtitutione.

Natura mala tota.

Diuinæ in nobis gratiæ qualis operatio.

Vt nullas omnino partes nobis relinquāt in bono opere.

Nō eſſe in poteſtate noſtra diuinę motioni & obtēperare, & refragari, recipere aut reſpuere oblatam gratiam.

Non corroborari voluntatis noſtræ imbecillitatem, diuinæ gratiæ auxilio.

Nota ſimile quo vtuntur.

Vt damnēt Chryſoſtomi (quæ eſt omnium) ſentētiam, qua neceſſariā coniugationem gratiæ cum libero arbitrio aſtruit.

Deū efficaciter in nobis velle operari, perinde, vt in calefactibili ſuum ignis caloeē potenter efficit.

quemadmodum ſupra audiſti, authoritatibus conatur aſtruere. Damnat proinde illud Chryſoſtomi, quo ſæpe affirmat, nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quicquam operari poſſe. Similiter & illud toties ab eodem repetitum, Quem trahit, volentem trahit. Neq; enim offerre nobis illum bonæ voluntatis gratiam, ſi eam acceptemus, ſed ipſum velle in nobis efficaciter efficere, perinde vt in calefactibili, ſuum ignis calorem potenter efficit. Docēdos quidē homines, expoſitam ſine exceptione omnibus Dei gratiam: Sed cum ij demum eam quærere incipiant, quibus eadem aſpirauit diuina gratia (quam electorum eſſe prærogatiuam vult) nec hanc quidem portiunculam, de eius laude diſcerpendam fuiſſe: nempe, nec quæri eam poſſe, niſi per gratiam, & niſi iam accepta ſit.

Nullos quęrere diuinā gratiā, niſi quibus eadem iam aſpirauit diuina gratia.

Perſeuerātię gratiam non diſpenſari nobis prout quiſque primæ gratię ſe nō ingratum exhibuerit.

De perſeuerantiæ quoq; gratia, quem errorem peſſimum inualuiſſe vult, eam diſpenſari pro hominum merito, prout ſe quiſque primæ gratiæ non ingratum exhibuerit, hinc pendentem, quod putabatur in manu noſtra eſſe, reſpuere vel accipere oblatam Dei gratiam, hac ipſa opinione exploſa, per ſe corruere.

Non remunerari poſterioribus gratijs, legittimum vſum prioris gratiæ.

Quanquam non ſimpliciter hic errari velit, Nam, præterquam quod noſtram erga primam gratiam gratitudinem, legittimumque eius vſum, poſterioribus donis remunerari doceatur, etiam hoc exiſtimari, non ſolam gratiā in nobis operari, ſed cooperari. De quo vtroq; ſic definit ac ſtatuit, Deum ſua tantum in nobis opa, nouis gratiæ ſuæ dotibus proſequi. Prohibet vero, ne dicamus remunerari poſterioribus gratijs legittimum vſum primæ gratiæ. Hinc enim conſequi, Humanam induſtriam, efficacem reddere Dei gratiam. Præterea, eandem deſinere haberi gratuitam. Et hanc, ſi Deo placet, vult certā eſſe, & clariſſimam Auguſtini ſententiam.

Vt anima fidelis a regeneratione in duas partes diuiſa ſit.

Admonens deinde per diuinam gratiam, nunquam ita nos liberari, quin peccati iugo pars noſtri obnoxia maneat, nunquā ita reſtaurari, quin multæ terreni hominis lineæ appareant, animam fidelem a regeneratione in duas partes diuiſam imaginatur, quibus perpetuum inter ſe ſit diſſidium: vna, qua a ſpiritu Dei poſſidetur & regitur, ad immortalitatis amorem ſtudiumq; euehi, & in iuſtitiam, puritatem, ſanctitatemq; totam intentam eſſe, cœleſtis regni beatitudinem meditari, & ad Dei ſocietatem aſpirare. Altera vero parte, qua naturalem adhuc affectum retinet, in terræ corruptione volutari: prauis cupiditatibus immerſam, quid pulchrum ſit, & beatum nō videre, in peccati luto defixam, Deum iuſtitiamq; auerſari. Inde conflictum in nobis naſci, palæſtramq; duriſſimam, quæ pium hominem per totam vitā non leuiter exerceat: vt dum ſpiritu ſurſum erigitur, a carne deorſum retrahatur: dum ſpiritu ad immortalitatem feſtinat, carne ad mortalitatem deprimatur: dum ſpiritu iuſtitiam cogitat, in Deū dirigitur, mundum contemnit,

temnit,carne ſolicitetur ad iniquitatem: a Deo auertatur, & ad mundi alliciatur illecebras,ſed diſpari conditione, ſpiritu nempe prævalente. Cuius opus,etſi non diſijciat,euertat,effectumq́ꝫ extinguat, ſuis tamen obſtaculis remorari, dum conatur abrumpere: atque impedimentis retardare,dum ſtudet a curſu auertere: ardorem minuere, dum molitur extinguere. Hinc vero conſtare vult, inter hominem animalem & regeneratum,quantum ſit diſcriminis, Illum ſiquidem, etſi pungatur & lancinetur ſua conſcientia,ne ſolido torpore,in vitijs ſuis acquieſcat, illis tamen delectari toto cordis deſyderio: ſibi in illis placere: illis libenter obſequi: nec quicquam in illis niſi pœnam horrere,quam imminere cernit. Hunc vero præcipua voluntatis parte legi iuſtitiæ adhærere:odiſſe atq́ꝫ execrari peccatum, quod per imbecillitatem cõmittit:ſibiipſi diſplicere:cõſenſione alio potius ferri:in dulcedine legis magis oblectari,quã voluptatũ blanditijs:nec vnq̃ ſcienter peccare,niſi repugnante non ſolum conſcientiæ teſtimonio,ſed etiam cordis affectu.

Hæc eſt vniuerſæ illius ſectæ euangelicæ de vitio originis deprauata natura humana,eius ſub peccati iugo ſeruitute, & diuina gratia per quam reparamur diligenter a Caluino explicata ſententia. Quæ, huic, ſuum conſtare poſſe non credit, ſi eidem adiungatur humani arbitrij ſocietas:ſi illud quicq̃ poſſe,concedatur:& niſi hæc ſola totum vniuerſum q́ꝫ poſſe dicatur. Prædictos autem omnes, velut pernitioſas vulpes,demolientes vineam domini, diuerſas quidem, ſed colligatas caudis,& face quam in ea trahunt ſementem dominicam & apoſtolicam concremare geſtientes, audiſti vt vna perſtringat cenſura catholicæ Chriſti eccleſiæ. Omnes enim ij ex hominibus liberi arbitrij poteſtatem auferre nituntur,Quod facientes vniuerſos, eadem eccleſia catholica ab ipſo ſui initio,pro hæreticis habuit, ſubuerſis & a ſemetipſis damnatis ſecundum apoſtolicam ſententiam. Prædictos, vt hæreticos, dãnari a catholica eccleſia.

Pelagius vero & Cœleſtius,cũ ſuis ſectatoribus,peccauerunt in partem diuerſam & contrariam. Tantum enim tribuerunt homini per liberum arbitrium,vt iniuriam facerent diuinæ gratiæ,& Chriſtũ, mediatorem,ſaluatoremq́ꝫ noſtrum,ex iuſtificationis & ſalutis noſtræ negotio prorſus proſcriberẽt. Sibi impie perſuadentes,mereri hominem iuſtificationem & vitam beatam obſeruatione mandatorꝫ Dei. Quam ſitam affirmabant in noſtri poteſtate arbitrij. Itaq́ꝫ hos latuit redẽptionis,iuſtificationis,ſalutiſq́ꝫ noſtræ myſterium,quod in controuerſia de iuſtificatione hominis diligentius explicauimus. His Chriſtus fruſtra paſſus eſt,& mortuus: vt quem ad hoc vnũ veniſſe arbitrantur,vt Dei patris voluntatem efficacius nos doceret. Quod vero ad noſtrę ſalutis negotium attinet, ex operibus iuſtitiæ quæ ipſi fecerimus, ſaluos nos fieri. Et cum craſſis illis ſuperbiſq́ꝫ Iudæis,quos vbiq́ꝫ inſectatur Apoſtolus,ſuam quærentes iuſtitiam ſtatuere,diuinæ iuſtitiæ ſubiecti non Quod liberi arbitrij poteſtatem nituntur auferre ex hominibus. Pelagij & Cœleſtij error in partẽ contrariã.

ſunt. Gratiam non putant iuſtificationem & ſalutem hominis, ſed debitum ex merito: impletione, inquam, mandatorum Dei. Et propterea nullam Dei gratiam quam vnam adiutricem ad implenda Dei mandata fere agnoſcunt. Non quidem vt neceſſariam, ſed vt ea adiuti facilius valeamus Dei mandata implere, Quod alioqui per nos, & noſtris viribus poſſemus. Tametſi (quod Auguſtinus alicubi innuere videtur) ex eis fuerint, qui vnam primam iuſtificationis gratiam deputarent gratiæ.

Catholicæ eccleſiæ doctrina fides & confeſſio de libero arbit. & gratia. Auguſtin. Hyponoſt. lib. iij.

Sed aliud habet, quam ſupra demonſtrauimus, catholicæ eccleſiæ doctrina, fides & confeſſio. Quæ abſque diuinæ gratiæ iniuria, imo cum diuinæ gratiæ commendatione, ſuam nihilominus poteſtatem libero arbitrio aſſerit. Liberum, inquit ille, ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio. Et tam illos errare, qui cum Manichæo aſſerunt hominem, peccatum vitare non poſſe: quam illos, qui cum Iouiniano aſſerunt hominem peccare non poſſe. Vterqꝫ enim tollit libertatem arbitrij. Hæc eſt fides dilectiſſimi, quam in catholica didicimus eccleſia, quamque ſemper tenuimus & tenemus. Et hanc ille Auguſtinus fidem docuit ſibi commiſſum fidelem populum, quã didicerat in catholica eccleſia. Quam cum eandem in eadem didicerimus & nos, & a patribus noſtris longa retro ſæculorum ſucceſſione acceperimus, dubitare non poſſumus, quin ſit eadem fides catholicæ eccleſiæ. Nemo proinde ſit ſegnis, inquit idẽ ille Auguſtinus, aut remiſſus ad ſeruiendum Deo: nec ſic de gratia confidat, tanquam liberi arbitrij eius opera non requirat: imo declinet a malo, & faciat bonum: vigilet, quærat, pulſet, petat, contendat vincere ſæculum: Deo placere: ſic, vt dum per huius mundi pelagus currit, ancoram gratiæ, fiducia liberi arbitrij non ſoluat, &c. Subiungens proinde, hac de re, definitionem catholicam. Itaqꝫ, inquit, nec gratia ſine libero arbitrio facit hominem habere vitam beatam: nec liberum arbitrium ſine gratia. Quorum coniugationem diuerſis librorum ſuorum locis ex diuinis ſcripturis neceſſariam aſtruens, Libro II. de peccatorꝝ meri. remiſſ. & bapt. paruulorum ad Marcellinũ, inprimis explicans, quẽadmodum ſupra audiſti, quid ipſe & catholici damnarint in Pelagianis, non equidem quod liberum arbitrium aſſererent, ſed quod tantum de eius poteſtate præſumerent, vt ad bene iuſteque viuendum & ſalutem aſſequendam, Dei ſe gratiæ adiutorio nihil opus habere contenderent: Neqꝫ ſe, neqꝫ quenquam dubitaſſe orthodoxum affirmat, quin nemo peccet, niſi libere volens, & quod Deus nihil nobis præceperit, quod in poteſtate noſtra ſitum non ſit. Nihilominus tamen ad bene iuſteqꝫ viuendum, Dei gratia & adiutorio opus nos habere: æque vt oculus noſter, lucis adminiculo vt videat, tametſi viſio æque ſit virtutis viſoriæ quæ eſt in oculo: Cõuerſos proinde ad ſe, Deum adiuuare, auerſos deſe-

Liberi arbitrij et gratiæ neceſſariam ad aſſequendam ſalutẽ coniugationẽ vt Auguſtinus vbiqꝫ diuinis ſcripturis aſtruat.

Lib. ij. de pec. me. remiſſ. et bapt. par.

deſerere. Quanquam vt conuertamur ad ipſum, etiam ipſe præuenien do adiuuet, tamen conantes ac ſatagentes, & ſeipſos conuertentes, vt non abs re, & ipſe dicat nobis, vt conuertamur ad ſe: ita fore, vt viciſſim conuertatur ad nos, nec rurſus nos illi, Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Ipſe nobis, Intelligite qui inſipientes eſtis in populo. Et nos illi, Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua. Perinde ac ſi dicamus, Da quod iubes. Non tamen ita, vt exiſtimemus hac in re ſolis nobis votis agendum, & non potius vt ſubinferamus ad bene viuendum etiam noſtræ voluntatis efficaciam. Adiutor enim, inquit, noſter Deus dicitur: nec adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur. Ita operari Deum ſalutem noſtram in nobis, non velut in rebus aut brutis, aut inanimis, ſed vt in ratione ac liberæ voluntatis v tentibus arbitrio. Confitetur hominem poſſe per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium in hac vita ſine peccato viuere: nec hoc derogare Dei, gloriæ, aut bonitati, quod hac in re libero noſtro arbitrio attribuitur: cum etiam illud ipſum, gratuito Dei dono acceperimus. Dubitare ſe non poſſe, nec D E V M impoſſibile aliquid præcepiſſe homini, nec ex Deo eidem deeſſe efficax ad implenda quæ præcepit, adiutorium.

Rurſus libro de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, coniugationem vtriuſque diligentius aſtruens. Nunquid non liberum, inquit, arbitrium Timothei exhortatus eſt Paulus cum diceret, Contine temetipſum? Nunquid & in hac re poteſtatem voluntatis non oſtendit, vbi ait, Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis vt ſeruet virginem ſuam? Attamen non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, &c. Itaque vt hoc verbum quod ab omnibus non capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt, & liberi arbitrij. Ita & de ipſa pudicitia coniugali ait Apoſtolus, Quod vult faciat: non peccat, ſi nubat. Attamen etiam hoc donum Dei eſt, dicente ſcriptura, A domino iungitur viro mulier. Et Apoſtolus continentiæ donum, ad pudicitiam coniugalem comparans, Vellem, inquit, omnes eſſe ſicut meipſum, Sed vnuſquiſque proprium donum habet a Deo, alius ſic, alius autem ſic. Proinde quum ſint tam multa in lege Dei, quibus fornicationes & adulteria interdicuntur, nunquid ijs aliud indicatur quam liberum arbitrium? Non præciperentur, niſi homo haberet propriam voluntatem, qua domini præceptis obediret, & tamen Dei donum eſt, ſine quo ſeruari caſtitatis præcepta non poſſunt. Vnde ait ille in libro Sapientiæ. Cum ſcirem, quia nemo poſſet eſſe continens niſi Deus det, & hoc erat ſapientiæ: ſcire cuius eſſet donum. Vt autem iſta non ſeruentur ſancta caſtitatis mandata, vnuſquiſque tentatur a cõſcientia ſua abſtractus atque illectus. Vbi ſi dixerit, volo ſeruare, ſed vincor a concupiſcentia mea, reſpondet ſcriptura

Lib. de gratia & libero arbitrio.

ptura libero eius arbitrio, Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum, Quod tamen vt fiat, adiuuat gratia, Ergo & victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud eſt, quam donum Dei, in iſto certamine adiuuātis liberum arbitrium. Propter quod, & dicit cœleſtis ille magiſter, vnicuiqꝫ contra concupiſcentiam ſuam dimicanti, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, ne ab illa abſtrahatur & illiciatur. Si tantum dixiſſet, Vigilate, admonuiſſe videretur tantummodo hominis voluntatem, vt vnis ſuis viribus in procinctu ſtaret. Sed cum addidit, & orate: oſtendit illam ſolam non ſufficere, ſed Dei adiutorio & gratia opus eſſe: proinde illum orandum, vt adiuuet. Dictum eſt libero arbitrio, Fili noli deficere a diſciplina dn̄i. Et Chriſtus ait, Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Cum dicit Deus, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, primum noſtræ voluntatis eſſe videtur: nempe vt conuertamur ad Deum: ſecundum vero gratiæ, quæ ſit velut illius merces. Tamen etiam ad illud, diuinæ gratiæ adiutorio nobis opus eſſe, ille agnouit, qui dixit, Deus virtutum conuerte nos. Et iterum, Deus tu conuertens viuificabis nos. Et, Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, Nam & venire ad Chriſtum, quid eſt aliud, quam ad eum credendo conuerti? Et tamen idem ait, Nemo poteſt venire ad me, niſi datum fuerit ei a patre meo. Gratiam confitetur Paulus, dicens, Gratia Dei ſum id quod ſum, Liberum tamen arbitrium illi coniungens, addidit continuo, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboraui. Hocipſum equidem liberum arbitrium hominis hortatur & in alijs, quibus dicit, Rogamus, ne in vacuum gratiā Dei ſuſcipiatis. Vt quid enim eos rogat, ſi ſic gratiam acceperunt, vt propriā voluntatem perderent? Tamen, ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putaretur aliquid boni poſſe, continuo cum dixiſſet, Gratia eius in me vacua nō fuit, ſed plus omnibus illis laboraui, ſubiunxit atqꝫ ait, Non autem ego, ſed gratia Dei mecum, Ac per hoc, nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Sic & alibi ad Timotheum, Collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei ſaluos nos facientis, & vocantis vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu. Hactenus Auguſtinus libro memorato, ex diuinis ſcripturis neceſſariam demonſtrat coniugationem gratiæ & liberi arbitrij. Nec hoc, ſibi, ad iuſtificationis gratiam & ſalutem ſufficere ſine diuinæ gratiæ adiutorio, vt impie præſumebant Pelagius & Cœleſtius: Nec ad illius iniuriam pertinere, vt hi aduerſus quos agimus ſtultiſſime imaginantur, ſi ſuas etiam in omnibus partes agat liberum arbitrium.

Multiplex acceptio Gratiæ, in diuinis ſcripturis explicatur.

Sed quo illuſtrior reddatur catholica veritas, & euidētior omnibus appareat illorum vtrinqꝫ pudenda abſurdaqꝫ impietas. Quandoquidē de gratia Dei hic eſt q̄ſtio & cōcertatio, nec ſit vnius modi, aut ſignificatio.

[illegible]ationis in ſcripturis, gratiæ vocabulum, ante omnia explicanda diſtinguendaque eſt eius multiplicitas: ne ea indiſtincta diſputationẽ confundat, & ridiculam faciat. Deinde, paucis repetemus ſecundum doctrinam & fidem catholicæ eccleſiæ modum lapſus humani generis: & reparationis ſalutiſque eius per redemptorem ſaluatoremque noſtrum Ieſum Chriſtum, myſterium, de quo cõtrouerſijs de peccato originis,& iuſtificatione hominis egimus accuratius. Ita enim clariſſime intelligetur, quæ diuinæ gratiæ & miſericordiæ accepta nos referre oporteat & cuique euidens erit,æque blaſphema Pelagianorum impietas tollentium Dei gratiam, vt iſtorum ridiculus timor & zelus pro eadem gratia: quaſi ad illius iniuriam tenderet, ſi facultate liberi arbitrij quam a Deo accepimus, deteſtari poſſemus noſtram miſeriam: & ad diuinam miſericordiam & gratiam quoquo modo aſpirare & nos præparare, atque illi acceptæ cooperari.

Scholaſticorum imaginatio de diuina gratia.

Gratiæ acceptionem variam, non ex ſcholis, ſed ex diuinis ſcriptu ris petemus. Quandoquidem, in illis, fere imaginantur,gratiam Dei, qualitatem aliquam, increatam animæ noſtræ a Deo: vel eandem cũ charitatis habitu, vel diſtinctam ab eodem. Quæ commentitia vniuerſa exiſtimo, nec ex ſcripturis vllam authoritatem habere: quod mox erit illuſtrius.

Inuenire aut habere gratiam in oculis alicuius aut coram aliquo, quid in Scripturis ſignificet.

Inprimis certum eſt, hac locutionis figura, aliquem inuenire gratiam in oculis alicuius, aut habere gratiam coram aliquo, ſignificari, quod ipſi acceptus charus gratuſque ſit: & diligatur ab illo. Sic Abraham apparenti ſibi domino in conualle Mambre, Domine, inquit, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum: hoc eſt, ſi tibi placeo, tibi gratus acceptuſque ſum. Sic Iacob nuncios cum muneribus præmiſit ad Eſau, vt inueniam, inquit, gratiam in conſpectu tuo: hoc eſt, vt inueniam amicitiam tuam. Sic eidem, cum iam ſibi veniſſet obuiam, & vrgeret vt munera ſua acciperet, Si inueni, inquit, gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis. Ita de Ioſeph affirmat Moyſes, Inuenit, inquit, Ioſeph gratiam coram domino ſuo, hoc eſt, dilexit eum dominus ſuus, & charum habuit. Sic Dauid Ionathæ, Scit profecto pater tuus,quod inueni gratiam in oculis tuis: hoc eſt, quod me diligas. Sic Deus dedit Tobiæ gratiam in conſpectu Salmanaſar. Danieli quoque gratiam & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum. Et Holofernes Iudithæ, Bibe nunc & accumbe in iocunditate, quia inueniſti gratiam coram me: hoc eſt, quia placuiſti oculis meis.

Gratia, amor gratuitus, atque ipſa diligẽtis benigna affectio, nõ vero vlla qualitas, aut habitu do in eo q hac gratia gratus dicitur.

Significat autem hic modus loquendi, amorem velut gratuitũ: non qualis inter æquales ex mutuis officijs naſci ſolet, ſed qualis inter impares: hoc eſt, principem & ſubditum: ſeruum & dominum. Qui velut,

 non

non ex mutuo debito, ſed ex vltronea benignitate,& animi propenſione procedit. Vnde & gratia cõgruenter dicitur. Et modus ille loquendi, Si inueni gratiam in oculis tuis, aut, vt inueniam gratiam in oculis tuis, ſubmiſſionis & humilitatis plenus eſt.

Eſt autem hæc gratia, non vlla, ſeu qualitas, ſeu habitudo aut reſpectus in eo qui gratus, acceptus, charuſque eſt: ſed ipſa diligentis benigna affectio: ipſe amor, ipſa gratuita dilectio. Quod indicat ſcriptura in Daniele, de quo dicit, Et dedit Deus Danieli gratiam & miſericordiam in conſpectu principis Eunuchorum. Certum eſt, in eodem eſſe, aut eiuſdem eſſe, hanc gratiam de qua loquitur, in quo, aut cuius eſt miſericordia, quam eidem coniungit gratiæ. Eſt autem indubitatum, ſcripturam illam loqui, non de miſericordia Danielis, qua ipſe eſſet miſericors, ſed de miſericordia principis Eunuchorum, qua ſingulariter erga Danielem mouebatur & afficiebatur. Itaque & ille Sapiens, Gratia Dei & miſericordia in ſanctos eius, & reſpectus ſuper electos illius. Dei hæc eſt, & gratia & miſericordia, qua nos reſpicit, & erga nos miſericorditer & benigne afficitur, & ſua nos beneuolentia & amicitia dignatur. Idem quoque clariſſime teſtatur Apoſtolus in ea quæ eſt ad Epheſios epiſtola, Qui prædeſtinauit, inquit, nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum, in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo. Aut vt clarior eſt lectio apud Chryſoſtomum, In dilectione prædeſtinans nos, vt adoptaret in filios, per Ieſum Chriſtum in ipſum, iuxta propoſitum voluntatis ſuæ, vt laudetur gloria gratiæ ſuæ, qua charos nos reddidit, in dilecto filio ſuo. Qua charos nos reddidit, hoc eſt, dilectos et amicos. Mihi autem quid dilectum, amicum & charum eſt, ex meoipſius erga illum affectu, quia illum amore proſequor, non quia ille me ſimili affectu proſequitur, fieri enim poſſet vt me amantem, non redamarem. Gratia ergo Dei qua nos ſibi charos reddidit, eſt eius erga nos amor & beneuolentia.

Gratia, pro gratioſitate & amabilitate, hoc eſt, eo quo beneuolentiã & amorẽ erga nos prouocamus.

Accipitur & aliter gratia in diuinis ſcripturis, pro gratioſitate, & vt ſic dicam, amabilitate: pro eo videlicet, quo gratiam, hoc eſt, beneuolentiam & amorem erga nos prouocamus. Ita de ſe ſapientia, In me gratia omnis viæ & veritatis. Et in Pſalmo, Diffuſa eſt gratia per labia tua, hoc eſt, Sermo tuus gratioſus eſt, gratiam amoremque prouocans. Et in Eccleſiaſt. Verba oris ſapientis gratia. Et rurſus Salomon, Qui diligit cordis mundiciem, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem. Et iterum in Pſalmo, Gratiam & gloriam dabit dominus. Item, Vt addatur gratia capiti tuo. Et, Manſuetis dabit gratiam, Gratiam, hoc eſt, amabilitatem. Ita quoque in angelica ad virginẽ ſalutatiõe accipi videtur, Aue gratia plena, Perinde ac ſi dixiſſet, Aue, valde gratioſa et amabilis Deo. Sic dicimus gratiam

tiam formæ,verecundiæ,humilitatis, cæterarumq́ꝫ virtutum,atq́ꝫ omniū,quæ nos cōmendant aliſs.Proinde,& in bonum, et in malum accipitur.In bonum,omnibus fere locis quę allegauimus. Et rurſus ibi,Super aurū gratia bona. Et gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuū. In malum vero,vbi dicit Salomō, Fallax gratia, & vana pulchritudo. Hoc pacto & in bonū & in malū accipi.

Et quoniam, quod amabile eſt,hoc magni æſtimatur,etiam pro æſtimatione & appretiatione accipitur. Vt vbi Eccleſiaſtes ille,abſurda quædam enumerans, Verti,inquit, me ad aliud, & vidi nec velocium eſſe curſum,nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorū diuitias,nec artificum gratiam. Gratia, pro æſtimatione & appretiat. &c.

Eſt etiam,vbi pro gratitudine accipitur. Vt cum veniſſet Chuſi Arachites,amicus Dauid fugientis a facie Abſolonis, ad eundem ex cōpoſito,vt diſſiparet conſilia Achitofel,diceretque illi, Salue rex, ita eidē reſpondit,Hæc eſt,inquit, gratia ad amicum tuum? Quare non iuiſti cum amico tuo? Hæc eſt gratia:hoc eſt,hęc gratitudo,quam amico exhibes? cur illum in aduerſis deſeris? cur illum fugientem non ſequeris, cuius in te regnantis beneuolentiam & amicitiam ſingularem expertus es? Pro gratitudine.

Ita quoque & pro accepti beneficij recognitione, aut gratiarum actione haud infrequenter accipitur. Sicut in illo Prouerbiorum, & ſimilibus locis, Qui corripit hominem, gratiam poſtea inueniet apud eum magis, quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. Vnde & reddere gratiam, pro eo quod eſt retribuere, aut remunerare: & gratia pro mercede accipi inſolens non eſt. Ignem ardentem,inquit ille,extinguit aqua:et eleemoſyna reſiſtit peccatis,et deus proſpector eſt eius: qui reddet gratiam, hoc eſt,retribuet mercedem. Et Chriſtus in Euangelio, Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ gratia eſt vobis? hoc eſt, quæ merces rependetur vobis, aut quam remunerationem meremini? Et de ſeruo qui a domino imperata fecit quæ debuit, Nunquid, inquit, gratiam habet dominus ſeruo illi, quia fecit quæ imperauerat? non puto: hoc eſt, Nunquid propterea, quam illi debet mercedem? Et Petrus, Quæ enim eſt, gratia ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? hoc eſt,quid meremini mercedis aut retributionis? Sed ſi benefaciētes patienter ſubſtinetis,hæc eſt gratia apud Deum: huic eſt merces & retributio apud Deum propoſita. Pro gratiarum actione,& accepti beneficij recognitione. Gratia, pro mercede.

Quin & pro liberalitate, beneficentia, ac eleemoſyna in ſcripturis haud infrequenter accipitur. Vt in illo Sapientis, Gratia, ſicut paradiſus in benedictionibus: & miſericordia in ſæcula permanet. Et apud Paulū ad Corinthios, Notam facimus vobis fratres, gratiā Dei quæ data eſt in eccleſijs Macedoniæ. Et rurſus, Quia ſecundum virtutem (teſtimonium illis reddo) & ſupra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos ſuſcipere gratiam, & communi- Pro liberalitate, beneficentia, ac eleemoſyna.

catio-

cationem miniſterij,quod fit in ſanctos, & iterum, Ita vt rogaremus Titum,vt quemadmodũ cœpit, ita et perficiat in vobis gratiam iſtã, vt ſicut abundatis in omnibus,&c. ita & in hac gratia abundetis. Scitis enim gratiam D. N. Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. Vniuerſo hoc loco, videtur gratia accipi pro effuſa liberalitate, ac beneficentia, qualis & in eleemoſyna fit. Alicubi & pro beneficio ſimpliciter accipitur, vt in illo Sapientis præcepto, Gratiam fideiuſſoris, ne obliuiſcaris: hoc eſt, beneficium quod tibi impendit pro te fideiubendo. Similiter & in eo, A mortuo ne prohibeas gratiam. Vulgatiſſime vero omnium, pro quocunque ſeu dono, ſeu beneficio,ſeu munere gratuito accipitur, quod a Deo, ſeu ad noſtram,ſeu aliorum vtilitatem accepimus,qualecunque demum id ſit.Sicut,inquit ille,in vno corpore multa membra habemus,omnia autem membra, non eundem actum habent,ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto,ſinguli autem,alter alterius membra, habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis,differentes,ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miſteriũ,&c. Et idem rurſus ad Corinthios, Et diuiſiões gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt,idem autem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientię ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu:alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu:alij operatio virtutũ:alij prophetia:alij diſcretio ſpirituum:alij genera linguarũ: alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus,diuidens ſingulis prout vult.Hæ ſunt illę diuiſiones gratiarũ, quas Deus per ſuum ſpiritum diſpartitur varias,varijs mẽbris Chriſti corporis.Proinde,ſuum Timotheum adhortatur,ne negligat eam quam accepit gratiã,cum impoſitione manuum ſacerdotalium,epiſcopalem authoritatem,qua fungebatur, ſignificans. In vniuerſum inſuper oẽs. Vnuſquiſq;,inquit,ſicut accepit gratiam,in alterutrũ illam adminiſtrãtes,ſicut boni diſpẽſatores multiformis gratiæ Dei. Ad hoc genus pertinet,ea de qua idem Apoſtolus, Per quem accepimus gratiam & apoſtolatum,& rurſus, Vt impartiar vobis aliquid gratiæ ſpiritualis.

Pro beneficio.

Pro quocũque dono gratuito, quod a deo ad noſtrã, aut aliorũ vtilitatem accepimus

Secundum hanc gratiæ ſignificationem aut acceptionem,vniuerſa quæ nobis gratuito confert Deus,ſeu ea ad naturam noſtrã, ſeu ad reparationem eius lapſæ pertineant,recte gratiæ appellatione cenſentur. Sunt enim indebita,& gratuitæ bonitatis beneficia vniuerſa. Itaque et diuinam illam virtutẽ, qua ſeruat,moderatur,diſponitq; vniuerſa,gratiam ſcriptura vocat. Propter hoc,inquit,& tunc omnia transfigurata omniũ nutrici gratię tuæ deſeruiebant.Ita quoq; q̃ ad noſtræ redemptionis

Quã late pateat ſecũdum hanc acceptionẽ gratiæ vocabulum.

tionis ſalutiſque myſterium pertinent,vniuerſa:peccatorum noſtrorū remiſſio, noſtri iuſtificatio, in amicos, imo in filios & regni cœleſtis hæredes adoptatio, eiuſdem hæreditatis exhibitio, & quæcunque ad hæc quocunque modo ſeu præuia, ſeu media, ſeu adminicula pertinent,gratiæ appellatione cenſentur. Quæ nobis eſt in Chriſto Ieſu, & per Chriſtum Ieſum. Et hæc quidem de multijuga gratiæ in diuinis ſcripturis acceptione mihi præmittenda videbantur.

Nunc quo illuſtrius fiat, quæ diuinæ gratiæ & miſericordiæ accepta referre nos oporteat: & quam longiſſime a veritatis ſcopo aberrarit Pelagius cum ſuis,qui diuinæ gratiæ nos nihil debere cenſebant,niſi hoc vnum quod nos fecerit,& ſalutis viam docuerit: cætera omnia nos merito noſtro aſſequi:& quam ſtulte,abſurde, & ridicule, Lutherus,cum ſuis, & vniuerſa hæc ſecta Euangelica, pro Dei gratia depugnent aduerſus liberum arbitrium.Lapſum humani generis, & reparationis ſalutiſque eius myſterium, quod alibi copioſius explicauimus, ſecundum fidem & doctrinam catholicam paucis hic repetendum eſt.Habet autem in hunc modum.

Nempe,humanum genus, cum primorum parentum noſtrorum ad imaginem Dei ſimilitudinemque conditorū,in illa originali iuſtitia (quam & pro ſe & nobis, humanoque genere vniuerſo acceperant, & quæ noſtram ex ſui conditione mortalem naturam immortalitatis participem,& corporeas inferioreſque in nobis vires, rationi plane obſequundantes,rationemque ipſam cœleſtis irradiationis capacem fecerat)adhæc aſcriptorum vna cum vniuerſa poſteritate ſua in ciues illius ſupernæ Hieruſalem, ſi modo,quod poterant, perſtitiſſent in creatoris obedientia. Cum,inquam,illorum præuaricatione, atque inobedientia ab hac tam gratuita, tantaque felicitate præcipitatum eſſet genus noſtrum in omnem calamitatem & miſeriam: & pro Dei oblata atque vltro ingeſta amicitia & gratia, illi & ſe feciſſent, & nos, iræ filios, regno illo indignos & extorres: peccati vero, & illius huius mundi principis ſeruos, & damnationi obnoxios: attraxiſſent inſuper ſuper ſe & nos, pro opimis illis ſupernaturalibus donis quæ originalem illam comitabantur iuſtitiam, vniuerſa naturæ propriæ incommoda: pro immortalitate, moriendi neceſſitatem: pro libero & omnimodo abſque cuiuſquam contradictione, rationis dominatu in regno hominis, inteſtinum,idq; perpetuum diſſidium, pugnam & rebellionem carnis aduerſus ſpiritum: pro irradiatione diuini illius luminis, & facili atque obuia rerum omnium & naturalium & ſupernaturalium cognitione ac ſcientia, mentis tenebras, & velut rerum omnium naturalium ignorantiam: eamque profundam ac pene inuincibilē: eorum præſertim bonorum immortalium,inuiſibilium ac cœleſtium: non potuiſſe iam aut illos, aut nos, vllis viribus noſtris, vlla

Modus lapſus & reparationis humani generis.

A quibus bonis, in quæ mala, peccato originis cecidérimus.

ratio-

Non potuiſſe hominē ſuis viribus emergere, e miſeria in quā cecidit, ſed redemptore opus habuiſſe, & Dei ignoſcentis gratuita miſericordia. Redēptor reconciliatorcꝫ ordinatus Dei filius.

ratione, ab hac miſeria rurſus emergere, aut inde noſipſos eripere: ſed, & redemptore liberatoreque, et ignoſcentis Dei gratuita miſericordia opus nos habuiſſe, qua reſtitueremur in dignitatem, & gratiam priſtinam, & inueniſſe pijſſimum dominum, qui non longe continuit miſericordias ſuas in ira ſua, ſed vnigeniti filij ſui intuitu (quē naturā humanam aſſumere in ea ſuper rationalem creaturam, in regno illo cœleſtis Hieruſalem regnare ab æterno & ante omnia conſtituerat) miſereri diſpoſuit: ne regno illi ſui filij ea ipſa deeſſet, quam aſſumpturus erat, natura. Illum itaque ipſum, iam prolapſæ naturæ, a Deo patre redemptorem, reconciliatorem, ſaluatoremque, inſcrutabili, ſed proprio nobis diuinitatis conſilio ordinatum fuiſſe: atque eiuſipſius, in demonſtranda hominibus iam perditis, æque ſuipſorum ac Dei creatoris ſui oblitis, & in omnia vitiorum præcipitia prolapſis, veritate, ac ſalutis doctrina, ad contumelias vſque ad ſanguinis ſui precioſi effuſionem, ignominioſiſſimam denique mortem in crucis patibulo, obedientiam, maximopere ſibi gratam & placitam, in expiationem noſtræ, & parentum noſtrorum præuaricationis atcꝫ inobediētiæ, velut noſtræ redemptionis precium, & in ſatisfactionem peccatorū noſtrorum omnium iam tunc acceptaſſe: atcꝫ eius reſpectu & intuitu, impotenti iam ſui, mox ab initio, adiutricem manum porrexiſſe, qua ſubleuaret proſtratum: cū tamen qui ſubleuari deſyderaret, nec deeſſet obuiæ ſibi adiutricicꝫ diuinæ gratiæ, ſed illam apprehenderet, & eius adiutorio reuerti conaretur ad miſericordiſſimum dn̄m, vnde ſe elongarat, ſuāipſius ſalutem fugiēs: & ab eodem ſaluari ex corde deſyderaret, optaret, ſperaret, illius ſui redēptoris ſaluatoriſcꝫ intuitu, non ſua dignitate & merito: illi ſe curandum, illuminādum ſaluandumcꝫ traderet. Hoc nempe ſyncere atcꝫ ex corde facientibus, nunq̄ defuiſſe clemētiſſimi dn̄i miſericordiam, ſed offenſam oēm, atcꝫ æternę mortis debitum illum ſemper miſericorditer remiſiſſe, & reſtituiſſe ad ſpem certā ſalutis, & vitæ illius, vnde excideramus, beatæ. Quam tum demum adipiſcerētur, quando ille ipſe vnigenitus eius, Deus homo, illud ipſum exoluiſſet noſtræ redemptionis precium: ille agnus immaculatus ſuo ſanguine diluiſſet noſtras maculas, & abſtuliſſet peccata mundi, crucique affixiſſet, ac deleuiſſet eodē ſuo ſanguine ſcriptum illud aduerſum nos decreti chirographum, mortis reatum damnationēcꝫ continens, et ſua morte deuicta morte, immortalis vitæ, & cœleſtis illius regni nobis aperuiſſet ianuam.

Redemptionis precium, cuius reſpectu, etiā ab initio peccata hominibus dimiſſa ſunt, & reſtituti hęreditati quā perdiderant.

Hæc, inquā, in ſumma, de lapſu & reparatione hominis, catholicæ Chriſti eccleſiæ habet doctrina, fides, & confeſſio. Quam lib. cōtrouerſiarum, duabus prioribus cōtrouerſijs ex diuinis ſcripturis explicauimus, atcꝫ aſſeruimus accuratius ac luculentius. In qua quod ad hanc rem præcipue pertinet, haud magna inter nos aduerſarioſcꝫ eſt cōtrouerſia.

uerſia. Quæ tñ, vt vides, abſq; diuinæ gratiæ iniuria, imo, cum diuinæ gratiæ cõmendatione, ſuam nihilominus poteſtatẽ libero arbitrio aſſerit. Neq; eſt (quod illi ſtulte imaginantur) per illud peccatum originis, adeo corrupta tota natura hominis, vt plane perierit nobis vniuerſa libertas arbitrij, velut aſtrictis ſeruitutis peccati vinculo, vtq; vniuerſa iã natura noſtra, nihil poſſit aliud q̄ neceſſario peccare: q̄ Deo conditori ſuo aduerſari: illum odio proſequi. Inſanorũ eñ hæc hominum impia in Deum, blaſphemaq; cõmenta ſunt, queẽadmodum controuerſia de peccato originis clariſſime demonſtrauimus. Neq; eñ peccatum, in origine, naturã, ſed gratiã, aut donum ſupernaturale abſtulit: quod meliorem perfectioremq;, q̄ in ſe fuerat, naturam fecerat. Ex mortali immortalẽ: ex diſſentiente & ſecum pugnante, concordẽ atq; compoſitã: ex cognoſcendi difficultate, idq; per viam ſenſuum, quibus ex natura cõpoſitionis eſt alligata ratio, diuini luminis ac fulgoris irradiatione facilitatẽ magnam: ſui in omnibus abſq; vlla difficultate potentem, ex infirma, ob corruptibilem, ſui natura, carnẽ, et mortale corpus quod aggrauat animam. Hęc eñ omnia nobis ex natura inſunt, non ex naturæ vitio. Hæc ex ipſis ſuis, ex quibus cõponitur, principijs, & compoſitionis ratiõe corpus habet, vt corruptibile et mortale ſit: vt feratur in ea q̄ ſibi ſunt amica, ſuauia, et connaturalia, etiamſi aduerſentur iuſtitię, cuius per ſe capax non eſt. Proinde vt pugnet aduerſeturq; rationi, dum illa præceptis iuſtitiæ obſequi imperat, & caro quæ ſunt ſibi amica deſyderat, ex natura eſt: non ex vitio corruptæ peccato naturæ. Quãuis ſi noſtri generis origo perſtitiſſet in creatoris obedientia, et ſibi nobiſque ſeruaſſet iuſtitiam illam quã acceperat, naturę imperfectionẽ hãc vniuerſam gratiæ abſorbuiſſet perfectio. Manſit itaq; quę prius fuit natura in origine, etiam poſt peccatum: nec corrupta in naturalibus, ſed nuda deſtitutaq; donis ſupernaturalibus. Nec illa peccati, cui ſe ſubiugauit, ſeruitus, naturam aut abſtulit, aut aliam aut nouam fecit, q̄ a conditore facta fuerat: non illã in ſe ſauciauit naturam immortalis animæ, q̄ in ipſo ſuo eſſe, ſua natura, noſtræ poteſtati non ſubiacet: ſed malam eam & culpabilem fecit: eadem nihilominus, & in ſe incorrupta immutataq; permanente natura. Nulla proinde ea eſſet diuinæ bonitatis & gratiæ commendatio, ſi rationalis anima, quam corpori ex ſeminis cõmixtione concepto organizatoq;, nudam eiuſdẽ peccati reſpectu deſtitutãque donis illis ſupernaturalibus, quibus in origine exornata fuerat, creando infundit, nihil ex ſe poſſet aliud q̄ peccare, q̄ ſuũ creatorẽ execrabili odio perſequi: imo, hocipſum tenderet ad diuinę gratiæ bonitatiſq; iniuriã, quod talem feciſſet ac quotidie faceret, q̄ nihil aliud ex ſe poſſet. Cũ illud quod ex ſe poteſt, nõ ex ſe, ſed ex Deo habeat vt poſſit. Ab illo eſt, quicquid ſumus, quicquid poſſumus. Illius gratię bonitatiſq; commendatio eſt, ſi tales nos cõdidit, talem naturam dedit, qua,

Vt fides & doctrina catholicæ eccleſiæ de lapſu & reparatione hominis, etiã cum diuinæ gratiæ commẽdatione, ſuã libero arb. poteſtatem aſſerit.

Peccatũ in origine nõ abſtuliſſe naturã, ſed gratiã, quę perfectiorẽ, quã in ſe fuerat, naturam fecerat.

Natura per peccatum, non corrupta aut ſauciata in ſua eſſentia, aut naturalibus, ſed ſpoliata donis ſupernaturalibus.

Ad iniuriã nõ commẽdationẽ diuinæ bonitatis & gratiæ pertinere, ſi anima rationalis ex natura ſua quã a creatore accepit, nihil ex ſe poſſet, quã peccare.

Quod ex ſe poteſt anima, ex deo id, non ex ſe, habere.

O quanuis

quanuis damnationi obnoxij,quanuis noſtra culpa miſeri,noſtram ta men poſſimus agnoſcere miſeriam: poſſimus confugere ad miſericor diſſimmum dominum, atque eius implorare miſericordiam: ad eius gratiam aſpirare:præſertim,ſi & ipſe ad hæc omnia ſua nos benignita te præueniat,varijs occaſionibus medijſq; prouocet: ſtimulet: alliciat: adiutricem ſuam manum conantibus & laborantibus porrigat.

Ex præmiſſis, & Pelagianæ & Lutheranę impietatis demonſtratur abſurditas. Aduerſus Pelagium.

Qualecunq; tñ id eſt,quod noſtræ naturæ virtute (quam oẽs ab illo accepimus) poſſumus: qualecunq; deniq; quod eius ſpeciali gratia ac dono adiuti poſſumus:tale tñ non eſt,vt eo ipſo, æternæ damnationis reatu nos eximere,debito ſatisfacere,aut iuſtificari poſſimus: Vt illius gratiæ reſtitui:vt adoptari ab illo in filios:vt regni illius cœleſtis hęreditatẽ aſſequi:ſed hæc vniuerſa,eximiæ cuiuſdã,ſuperabundantis,et gratuitæ ſunt gratiæ & miſericordiæ benigniſſimi dñi. Quid eñ ſeruus dño,creatura ſuo conditori, cui debet quicqd eſt, quicquid habet, quicquid poteſt,etiamſi illum nunq̃ offendiſſet, exhibere et offerre poterit,quo illũ ſibi debitorẽ conſtituat,vt ab ipſo adoptetur in hęredem & filiũ? Et in dñm contumelioſus & contumax,læſæ maieſtatis reus,et ob hocipſum æternæ dãnationi obnoxius, nunquid habet quo ſe damnationi eximat? quo pro reatu & debito mortis æternæ ſatiſfaciat? imo,quo dño offenſo,inſuper & hæres & filius ſcribi debeat? Vñ hoc vobis Pelagiani in mentẽ venire potuit,vt noſtris hæc viribus,noſtris aſcriberetis meritis,tam abſurda impietas? Si ſeruus qui dñm nõ offendit,ſed ſemper quod debuit pręſtitit, poteſtatem non habet eundẽ ſibi obnoxium facere,ſuo illum merito,vt ſe non ſolum liberũ, ſed etiã hęredem et filium ſcribat obligare: nunquid q ob capitale crimen,etiã mortis reus eſt,non ſolum illud, ſed etiam mortis ſe reatu liberare atq; eximere poterit? Et hęc creatura erga creatorem ſuum,cui debet, & quicquid eſt,& quicquid poteſt,etiam poſtq̃ vniuerſum fecit, quod facere potuit,poterit? Vnde & vobis,Luthere,Philippe,& quotquot eſtis ex aduerſo,ridicula illa ſolicitudo et pugna aduerſus liberũ hominis arbitrium pro Dei gratia? Quid fruſtra timetis non fore locũ diuinæ gratiæ niſi oẽm,lapſo ac miſero homini,poteſtatem bene cogitãdi, aut volendi,dolendi de ſuaipſius miſeria, de dñi ac creatoris ſui offenſa,veniam petendi,implorandi eius miſericordiam,eripueritis? Poſſit hęc omnia,faciat hæc omnia,& multo plura, imo & dñm ſuum amet ex corde ſyncero,atq; ita amet vt pro eius honore etiam vitam ſuam ſit paratus exponere,imo & re ipſa exponat,tamen ſi & huic dominus remittat offenſam,læſæ maieſtatis reatum, mortis ac damnationis debitum, ſi inſuper & hæredem ſcribat, & adoptet in filium, nihilominus vniuerſa hæc, mere ſunt gratuitæ benignitatis & gratiæ miſericordis domini,& non debita ab eodem:nec merita a ſeruo, niſi illo merendi modo de congruo,de quo alibi egimus diligentius. Ita ſane benignitati optimi

Aduerſus Lutherũ et ſectã eius.

ptimi & miſericordiſſimi dñi congruit, vt ſeruum eiuſmodi, quãuis mortis debitorem, ſua gratia dignetur. Necꝫ foret illa cõmendabilior gratia, ſi duos (vt verbi gratia dicam) eiuſmodi cõtumaces ſeruos, maieſtatis reos, & propterea damnationi mortiꝗꝫ obnoxios, & vtroſque adhuc perſiſtentes in ſua cõtumacia ac malitia, alterꝛ iuberet tolli in crucem pro debito, alterꝛ carceri damnationiꝗꝫ exemptũ ſua amicitia dignaretur, & hæredem ac filium ſcriberet. Imo, Non eſſet hæc cõmendabilis, & qualis a ſapiente bonoꝗꝫ dño merito expectanda foret, ſed irrationalis, ſtulta, & inſani hominis gratia: nõ eo ſpectantis, vt ſeruos ſuos bonos faceret, ſed digni potius, ꝗ vniuerſos malos ac cõtumaces haberet. Et iſtiuſmodi niſi ſit diuina gratia, hi nolunt eſſe gratiã: ſed iniuriã fieri gratiæ, ſi detur iam pœnitenti offenſæ, iam imploranti veniã, et gratiã ex toto corde deſyderanti, atꝗꝫ ad eamipſam accipiendã, ſeſe accommodanti pro viribus. Non moror quod Auguſtino alicubi videatur, ita Deũ electos diſcernere a reprobis, vt in exemplo propoſitũ eſt, quo defendat gratiã gratis dari, & non ſecundũ merita retribui. Vt enim ego ita de Deo credã & ſentiam, non permittit infinita eius bonitas & ſapientia. Aeque tñ gratiæ ſuam rationem & dignitatem aſſero: q̃ vt meritis reddi non poteſt, ſi eſſe debeat quod dicitur, ita bono ſapientiꝗꝫ dño certa conſtare debet ratio, cur vni eam impartiat, neget alteri. Quæ qñ ad noſtri emendationem ſpectat, nec nobis ignota ea eſſe debet, quo aſpiremus ad eandẽ. Sed poſt vbi prædeſtinationis reprobationiſꝗꝫ tractabitur quæſtio, hæc accuratius. Interim huius te lector hic admonere volui, vt ſcires Auguſtini nos nõ latere, ſed & nõ probare hac in re ſententiam. Nulla ſit itaꝗꝫ diuinæ gratiæ iniuria, ſi ad eã ex ſua ipſorꝛ natura, & liberi poteſtate arbitrij, (quæ & ipſa quicquid eſt, diuinæ bonitatis & gratiæ opus eſt) ſeſe poſſint præparare homines: ſi auerti a via iniquitatis & ſcelerꝛ, diuinã deteſtari ac odiſſe offenſam: corde contrito ac humiliato cõuerti ad miſericordiſſimum dñm: eius implorare miſericordiã, petere veniam, & ſperare gratiam. Quod niſi ante fecerimus, nõ dignatur nos illo ſuo miſericordi ac benigno reſpectu. Ad quem, inquit, reſpiciã, niſi ad pauperculũ & contritum ſpũ, trementẽꝗꝫ ſermones meos? Aeque tñ iuſtificationis gratia, eſt, & manet, vera, mera, et gratuita gratia: cũ pro illis omnibus nihil nobis debeat: tametſi ex ſua benignitate, & quo nos prouocaret ad curã ſalutis noſtræ, nobis promiſerit ignoſcere ſi ea fecerimus: promiſerit ſua nos ſe dignaturꝛ amicitia, cœleſtis regni hæreditate, & adoptione filiali. Quanq̃ etiam ad illa ipſa præparamẽta, quæ adhæc a nobis in nobis prærequirit, & exigit, nihilominus nos ſolicitare ac prouocare non ceſſet conantibus manũ porrigere: laborantes adiuuare: ipſam iuſtificatiõis gratiam præuenire præueniente ac vocationis ſuæ gratia. Necꝫ vlli deeſt, niſi qui deeſt ſibi: non perſonam accipit, ſed æqualiter omnibus, quod ex

Nota in ſimili opinionis abſurditatem.

Auguſtini ſententia parum probabilis, de diſcretiõe electorum a reprobis.

Commendationem, nõ iniuriã eſſe diuinæ gratiæ, q̃d ad eam, ex noſtra ipſorum natura & liberi arb. poteſtate præparare nos poſſumus.

Nulli deeſſe Deũ, qui non deeſt ſibi.

 ipſo

ipſo equidem eſt,pium ſe patrem exhibet,Qui vult omnes ſaluos fieri. Oẽs condidit,quo ſuę beatitudinis forent participes.Non vult mortẽ peccatoris,ſed magis vt conuertatur et viuat.Sed non oẽs ęqualiter ſeſe exhibent eius gratiæ. Stat ipſe ad oſtium cordis noſtri & pulſat, ſed non omnes illi aperiunt.Si quis autem aperuerit mihi,inquit,introibo ad illum. Cupit ad nos ingredi, ſed non vult vi & poteſtate ingredi: vult a nobis excipi:pulſat oſtium cordis noſtri, ſed non effringit, non irrumpit: ſed vult ipſum a nobis aperiri:ad quod pulſando, nos inuitat,ſed non cogit, ſed noſtræ illud ipſum libertati dimittit. Proinde, ſi quis mihi, inquit,aperuerit, introibo ad illum.

Specialis diuinæ benignitatis & gratiæ ad ſalutẽ nos adducentis triplex effectus.

Itaque quo clarius intelligatur multiplex diuinæ gratię in nobis effectus & operatio, qua proprie electos ad ſalutem promouet præter naturam,& liberi arbitrij poteſtatem, quam æqualiter omnibus dedit: quæ tamen & ipſa,diuinæ gratiæ & bonitatis munus eſt, triplicẽ inſuper eiuſdem diuinæ benignitatis ac gratiæ ad ſalutem nos adducentis

Prçueniẽs. ſpecialem inuenimus effectum. Primus eſt, quo præuenit iuſtificationis gratiam, & eandem vt deſyderemus, nos prouocat: conantibus ad eandem, adiutricem manum porrigit: laborantibus ſuccurrit, & vires, ne deficiamus, ſubminiſtrat. Hanc præuenientem atque initiantem gratiam, ſacri doctores appellant. Qua bonam voluntatem, in nobis, ſed non ſine nobis inchoat: & inchoatam adiuuat & perficit, donec congruum ſibi videatur, nos dignari altera ſua, nempe, iuſtifi-

Iuſtificãs. cationis gratia. Quam eandem non ceſſat nobiſcum quotidie in anteriora prouehere,atque cadẽ, corpus peccati mortificare,in ſe nos transformare, eamq; perficere & conſummare, donec nos dignetur tertia

Coronans. ſua,hoc eſt,coronante & beatificante gratia. Duplicem priorem diuinæ in nobis gratiæ effectum,illa (quę ſuæ impietatis fundamentũ pręcipuum Caluinus conſtituit)Ezechielis verba,clariſſime mihi ſignificare videntur.Quibus ita loquitur dñs,Dabo,inquit, vobis cor nouũ, & ſpiritum nouum dabo in vobis: & auferetur cor lapideum de carne veſtra,& dabo vobis cor carneum,& ſpiritum meum dabo in vobis:& faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis. Eſt primum & initium ad ſalutem, inueterato dierum malorum, et obdurato in peccatis ſuis, vt colliqueſcat eius illa cordis duricies: & molle ac ſenſibile illi cor, aptum diuinis impreſſionibus fiat. Quod ipſum, tametſi iuſtificationis gratiã longo interuallo præcedat,atq; illi prærequiratur in nobis & a nobis:a ſe tamen fieri ſignificat.Auferetur, inquit, cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneũ.Sequitur deinde innouatio noſtri, & vt cor noſtrũ iam ſit diuini ſpũs habitaculum:quod præcipuum diuinæ hic gratiæ munus eſt.Proinde a ſe dari merito dicit,Dabo,inquit,vobis cor nouum, & ſpiritũ nouum, ſpiritum meum dabo in vobis. Quod deniq; eius

iam

iam adiutorio ambulemus in iuſtificationibus eius, & viam man-
datorum curramus, donec conſummatos etiam coronet nos, æque
affirmat, dicens, Et faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, &
iudicia mea obſeruetis & faciatis. Vt itaque bonum facere velimus,
& vt facere valeamus, vtrunque gratiæ diuinæ acceptum referimus:
hocipſum conteſtante etiam diuino illo pſalte, A domino, inquit,
greſſus hominis dirigentur. Qui & opera noſtra bona, non niſi a Deo
in nobis, & in Deo, a nobis fieri affirmat, dicens, Confirma hoc De-
us, quod operatus es in nobis. Et rurſus, In Deo faciemus virtutem,
hoc eſt, opus virtutis. Itaque & Paulus optat nobis, vt Deus pacis
nos aptet in omni bono, vt faciamus voluntatem eius, faciens, inquit,
in vobis, quod placeat corã ſe. Hoc nempe eſt facere voluntatem eius,
facere opera, quæ nobis ipſe inſpirat, & quæ in nobis operatur volu-
ntas eius, non tamen ſine nobis, nec niſi cooperantibus nobis. Quare
nos optat facere, quod ille in nobis facit: quod non faceret, niſi facere-
mus & nos, quæ vt ab illo in nobis, ita & a nobis in illo fieri dicun-
tur, Quemadmodum in præmiſſis verbis teſtatur Dauid, In Deo
faciemus virtutem. Et ille CHRISTI Apoſtolus, Qui facit verita
tem venit in lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia, inquit, in Deo
facta ſunt. Ex ipſo enim, et per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Et idem-
ipſe eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona volun-
tate: ſed ſi nos ſuæ benignitati non defuerimus: ſi terram cordis no-
ſtri diligenter excoluerimus, vt imber diuinæ gratiæ in nobis germi-
net & fructificet. Alioqui, eadem, grauioris nobis damnationis cau-
ſa erit: hocipſum nobis conteſtante Apoſtolo, Ignoras, inquit, quo-
niam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum durici-
em autem tuam, & impœnitens cor tuum, thezaurizas tibi iram in
die iræ & iuſti iudicij Dei. Vis ſcire, quod ipſe deeſt nemini, ſed præ-
uenientem adiutricemque manum ſuam offert omnibus? Apoſto-
lum eius audi affirmantem, quod non ſit apud illum perſonarum ex-
ceptio, ſed communem ſe patrem, ſicut & conditorem, exhibeat omni-
bus, & quod æque, quod ex ipſo eſt, omnes velit ſaluos fieri, & ad agni
tionem veritatis venire. Quod verum non eſſet, ſi ex ipſo deeſſet, quo
minus ſaluaretur quiſquam: ſi cui gratiam, ad hoc neceſſariam, non
liberaliter benigneque offerret. Imo, illum eamipſam offerre omni-
bus, idem ipſe irrefragabilis teſtis eſt. Ego ſto, inquit, ad oſtium &
pulſo. Pulſat ipſe cordis noſtri, ſibi adhuc clauſum, oſtium, quo ipſum
aperiamus. Clauſum eſt illi, per peccata noſtra & ſcelera. Ipſe nihil-
ominus nos pulſat, nos ſolicitat, & varijs modis ac medijs, quo ſibi
aperiamus corda noſtra, prouocat. Nulli ergo ex ipſo deeſt præueni-
ens illa eius ad bonum neceſſaria gratia, qui ad pulſantis vocem, pro-
uocationem, & ſolicitationem cor ſuum non indurat, ſed illi aperit:

Gratia præuenıẽtem, ad conuerſionem neceſſariam etiam peccatoribus offerri, ſed non acceptari ab omnibus.

Diſtinguũtur, gratiæ præuenientis, liberi noſtri arbitrij, gratiæ nos iuſtificantis officia.

hoc enim ex nobis ipſe requirit, quanuis non ſine ſe, qui ea in re omni ſyncere agenti & conanti præſto eſt. Si quis, inquit, mihi aperuerit, introibo ad illum. Ipſe pulſat, ſed nos ei aperire debemus, priuſquam velit ad nos ingredi. Nec hoc obſcurum eſt, quo pacto illi aperire cor noſtrum, vt ingrediatur, debeamus, ſi intelligimus, quod illud ſit oſtium, quod ipſum excludit a nobis: nempe, peccata noſtra. Ea enim ſunt quæ diuidunt inter DEVM & nos. Proinde apertioribus hoc ipſum verbis, abſque vllo tropo, aut metaphora, per Prophetam ad nos clamare non ceſſat, Derelinquat, inquit, impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad dominum, & miſerebitur eius. Audis quo pacto illi aperire debeas. Ipſe pulſat vt aperias, ſed aperire tuum eſt: quanuis non ſine ipſo, qui vt dixi, in omnibus in hoc præſto eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad dominum. Hoc, inquam, illi aperire eſt. Quod ſi feceris, miſerebitur tui, ingredietur ad te, & iuſtificante ſua gratia dignabitur. Intelligis itaque, quo pacto in te ſitum ſit, & quid te facere oporteat, vt tui miſereatur Deus, vt ingrediatur ad te, vt ſua te iuſtificationis dignetur gratia. Vis inſuper, vt te gratia eius proſequatur & deducat per omnes dies vitæ tuæ, fac vt vere poſſis dicere cum illo CHRISTI Apoſtolo, Et gratia eius in me vacua non fuit. Ita tandem etiam glorificante te gratia conſummabit: nempe, vita æterna, quæ & ipſa gratiæ opus eſt. Stipendium enim peccati mors eſt, inquit ille: gratia autem DEI, vita æterna, in Chriſto Ieſu domino noſtro. Et cur mors ſtipendium, vita vero æterna dicitur gratia, niſi quia illa redditur, hæc donatur: etiamſi retribuatur pro meritis. Non ſolum quia donis ſuis Deus ſua dona remunerat, ſed quia tantum etiam ibi diuinæ retributionis gratia exuperat, vt omne meritum, quanuis bonæ & ex Deo datæ humanæ voluntatis, incomparabiliter atque ineffabiliter excedat. Siquidem illam vitæ beatæ gratiam omnibus huius temporis paſſionibus ita excedere teſtatur apoſtolus, vt comparari ad inuicem non valeant, Non ſunt, inquit, condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et rurſus, Id enim quod in præſenti momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum, in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Nota antitheſim: Leue hoc, & momentaneum, operatur æternum gloriæ pondus. Nulla ergo huius ad illud condignitas, nulla comparatio. Operatur nihilominus hoc, illud operatur, inquam, merendo: neque enim alius quo ipſum operetur modus imaginari eſt: merendo, inquam, non quidem de condigno, ſed de congruo. Qui meriti modus, vni nihilominus retribuentis benignitati, liberalitatique innititur ac gratiæ, quemadmodum alibi accuratius

Gratia per ſeuerãtiæ.

Gratia glorificans, & coronans.

Et noſtrũ meritũ, & eius præmium vtrunque gratiæ opus eſſe.

tius demonſtrauimus. Vtrunque ergo, hoc eſt, & noſtrum meritum, & illius præmium, gratiæ opus eſt. Quia vt mereamur, ipſa præueniendo, miſericorditer incipit: ipſa ſubſequendo cuſtodit: ipſa conſummando retribuit. Quæ & ipſa, æque miſericordia in ſcripturis dicitur, hocipſum conteſtante Dauid, Deus, inquit, meus, miſericordia eius præueniet me. Et rurſus, Miſericordia tua ſubſequetur me, omnibus diebus vitæ meæ. Et iterum, Qui te coronat in miſericordia et miſerationibus, Præuenit impium, vt fiat iuſtus: ſubſequitur iuſtũ, ne fiat impius. Præuenit cæcum, vt lumen quod non inuenit donet: ſubſequitur videntem, vt lumen, quod contulit, ſeruet: Præuenit eliſum, vt ſurgat: ſubſequitur iam eleuatum, ne cadat. Hoc, inquam, iſta miſericordia Dei, in homine ſubſequendo cuſtodit ac prouehit, quod præueniens ipſa elargitur, quod demum coronat in gloria. Proinde vt bono Deo, & omnium bonorum authori, merito tribuimus, quicquid in nobis boni eſt: atq; id vniuerſum eius gratiæ & miſericordiæ acceptum referimus, aduerſus Pelagium & Cœleſtium. Ita mala noſtra ab illo rectiſſime remouemus, & nobis ſolummodo attribuimus, aduerſus Lutherum, Vuiclefum, Abailardum, Manichæum, cæteroſq; illos, quos a Simone illo Mago indicauimus traxiſſe originem. Vtranque hinc inde execramur peſtem & blaſphemiam, Deus ſemper ad virtutem, et mandatorum ſuorum impletionem nos vocat, ſolicitat, inuitat, & quod in ſe eſt attrahit, ſed non cogit. Hodie, inquit ille, ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Vides, vt vocet, & quo vocet ille ſemper, dum durat hoc, hodie. Vides a quo indurentur corda noſtra: a nobis nempe, proinde, Nolite, inquit, obdurare corda veſtra. Benignitas equidẽ dei ad pœnitentiã nos adducit, ſed ipſi nos ſecundum duriciem noſtram, & impœnitens cor noſtrum, theſaurizamus nobis iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Cuius iuſtitia, bene nobis ſupplicium retribuit, quod nobis iniquitas propria, cõtra ipſius voluntatem male cõmeruit. Itaq; de morte illa, quã ſibi peccatores manibus pedibuſq; accerſierunt, & exiſtimantes eam amicã ſibi defluxerũt, dicitur, Nolite zelare mortem in errorem vitæ veſtræ, neq; acquiratis perditionem animarum veſtrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, neq; lætatur in perditione viuorum. Imo, quod eamipſam nolit, ipſi credite, per Ezechielem ita nobis loquenti, Conuertimini, inquit, et auertite vos ab omnibus impietatibus veſtris, & non erit vobis in ruinã iniquitas. Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, quas impie feciſtis aduerſum me: aut vt noſtra lectio habet, in quibus præuaricati eſtis. Et facite vobis cor nouũ, & ſpm̃ nouũ. Et quid morimini domus Iſrael? Quia nolo mortẽ morientis dicit dñs, quinimo vt reuertatur a via ſua mala & viuat eius aĩa. Quod in noſtra lectione, duobus verbis exprimitur. Reuertimini, inqt, & viuite. Hæc p prophetã ſuũ ad nos pctõ-

res clamare non ceſſat miſericordiſſimus dominus. Cui contrarium occinunt hi ore blaſphemo atque impudenti, In nullius poteſtate eſſe ſe præparare ad bonum, ſe auertere ab impietatibus ſuis, atque a ſe eas proijcere, & conuerti ad dominum: imo, nec malas vias ſuas facere, ſed omnia abſoluta neceſſitate nobis prouenire. In nullius poteſtate eſſe quicquam cogitare aut boni aut mali: nec ſicut nos volumus, ſed ſicut Deus vult, ita nos viuere, facere, pati, omnes & omnia. Illum & mala opera, hoc eſt, mortem ipſam primam, operari in impijs: quam negat ſcriptura a Deo fieri: imo, quam idem ipſe Deus ſe nolle affirmat, ſed magis velle vt reuertatur impius a via ſua mala, & viuat anima eius: nos proinde adhortans vt faciamus nobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Quod ſi illis credimus, perinde foret, ac ſi nos iuberet volare per aera alioqui minitans interminium. Et cui potius? Deo ne de ſeipſo & poteſtate noſtri arbitrij, an vero Luthero magis æquum eſt credere?

Nihil proinde nobis, nec cum Caluino, Luthero, Manichæo, & qui eius farinæ ſunt, a Simone illo trahentes ſucceſſionem & originem: nec cum Pelagianis commune eſt, quibus ille nos connumerat. (Quemadmodum ſtulti, qui in vno vitiorum extremo conſiſtunt, virtutem in medio poſitam, alteri extremo deputant.) Sed tria quædam conſiderantes, & in iuſtis & in iniuſtis, nempe voluntatis initium, progreſſum operis, & retributionis finem, quæcunque in his iuſta & bona videntur, iuſto & bono Deo attribuimus. Illa autem Deo nihil dubitamus indigna, in quibus nec bonitatem inuenimus nec iuſtitiam.

Quæ Deo, & quæ nobis tribuenda ſint ſa nobis.

Iuſto & miſericordi ac optimo Deo dignum eſt, vt ipſi bonæ voluntatis noſtræ initium, profectus, & cõſummatio, merces, retributioque attribuatur. Indignum vero, ſi per ipſum ſtet, quo minus, qui conſequi & ſeruare poſſint iuſtitiam, & per eam ad ſalutem peruenire, Si gratiam ſuam his obtrudat, ab illis retrahat: hos ſimpliciter ſaluare velit, illos nolit, aut non velit, Non enim eſt acceptio perſonarum apud iuſtiſſimum Deum, ſi Apoſtolo eius credimus, ſed qui communis & æqualis omnibus creator eſt, omnibus etiam, quod ex ipſo equidem eſt, pius & miſericors, breuiter vnus pater eſt: non his pater, illis vitricus. Vnum, inquit ille, habemus patrem Deum, ſi ex nobis non deſit, quo minus ſimus ijdem, hoc eſt, ſimiles filij. Et per Malachiam prophetam, Nunquid non pater vnus omnium noſtrum eſt? nunquid non vnus Deus creauit nos? Suauis dominus vniuerſis, inquit fidelis ille Dauid: non in hos tantum benignus, liberalis, munificus, in illos durus, ſæuerus, reſtrictus, parcus: ſed ſuauis vniuerſis, & miſerationes, inquit, eius ſuper omnia opera eius, Et qui ſolem gratiæ ſuæ oriri facit æque omnibus, & bonis & malis, quod equidem ex ipſo

Per Deum non ſtare, quo minus qui conſequi et ſeruare poſſint iuſtitiam, & ad ſalutem peruenire.

Vnus pater, vnus Deus omnium noſtrũ. Suauis dñs vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

ipſo eſt, qui æque vult omnes ſaluos fieri. Quod ſi eſt, non ille nobis deeſſe credendus eſt, nec per ipſum ſtare, quo minus hic conſequamur iuſtitiam, per quam illic coronemur in gloria: ſed quia vocanti, aures cordis noſtri claudimus: pulſanti obdimus peſſulum: quia terram cordis noſtri non excolimus, non proſcindimus aratro ac vomere pœnitentiæ vitæ veteris, nec præparamus eandem pluuiæ diuinæ gratiæ, quæ nec iniuſtis deeſt, ſi non deeſſent ſibi: ſed noſtra culpa eandem obduramus, vt ſpinas & tribulos germinet. Quia non auertimus nos ab iniquitatibus noſtris, nec ad illum conuertimur, quo conuertatur ad nos, & (quod ille nos, nec ſtulte, nec fruſtra adhortatur) non facimus nobis cor nouum, & ſpiritum nouum, quo ille etiam in nobis idem faciat, confirmet, & perficiat. Vtroque opus eſt, & noſtro & illius opere, niſi in his quos nulla propriæ voluntatis maculauit iniquitas, ſaluatis ſola ſacramenti virtute, in fide eccleſiæ. Nullatenus ſinimus, imo ſalubriter prohibemus, tam in noſtra fide, quam in noſtro opere, tanquam noſtri aliquid, nobis vendicare, æque tamen intelligimus, his qui iam rationis & arbitrij compotes facti ſunt, non dormitantibus, non otioſis obtrudi, ſed conantibus, laborantibus, & ſatagentibus miſericorditer dari iuſtificationis gratiam. Scimus & fidem, & iuſtitiam, atq; opera bona, dona Dei eſſe: & intelligimus cum Apoſtolo quæ a Deo donata ſunt nobis. Aeque tamen non ignoramus in his omnibus ſuas quoq; liberi arbitrij & facultatis noſtræ partes eſſe: proinde etiam noſtram dici fidem, & noſtra opera: nec fruſtra illum nos adhortari, vt credamus, & bonis operibus certam electionem noſtram faciamus. Quod fruſtra fieret, ſi horum nihil eſſet in noſtri poteſtate arbitrij. Secundum fidem, inquit ille, tuam, fiat tibi. Et beatus Iohannes, Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides veſtra. Nec minus Paulus, Gratias, inquit, ago Deo meo per Ieſum Chriſtum, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Opera quoque bona, noſtra etiam eſſe, ipſa veritas teſtatur, dicens, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videntes opera veſtra bona, glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Hæc tamen ita noſtra ſcimus, vt nihilominus Dei dona non ignoremus. Itaq; idem per prophetam ſuum ita nobis eſt pollicitus, ſed conantibus & ſatagentibus quantum in nobis eſt, nō vero otioſis atq; oſcitantibus. Et faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis, faciam, inquit, vt faciatis. Videtis vtriuſque opus, & Dei & hominis, faciam vt faciatis, vt in iuſtificationibus meis ambuletis. Si vniuerſum, hic, Dei eſſet, & ille operaretur in omnibus omnia, ſi in nullius poteſtate eſſet, quicquam cogitare aut boni aut mali, ſed perinde nos haberemus in omnibus, velut ſarræ quædam tractæ ab artifice, non diceret, faciam vt faciatis, vt ambuletis, vt obſeruetis. Et fruſtra, imo ſtulte & ridicule nos ad-

hortare-

hortaretur ad fidem,& bona opera: fruſtra, ſtulte & ridicule diceret. Conuertimini ad me, & auertite vos ab omnibus iniquitatibus veſtris,ſi hoc æque non eſt in poteſtate noſtra ac ſublimes ferri in aera. Et quid interrogat? Quare morimini domus Iſrael, ſi ita illi reſponderi poſſit? Quia tu ita vis,quia non me dignaris tua gratia, ſine qua non poſſum viuere,& proinde me viuere non vis. Quid mentitur ſe nolle mortem morientis,ſed magis velle, vt auertatur a via ſua mala, & viuat anima eius? Hæc enim euidenter ſecum pugnant. Non ſicut nos volumus,ſed ſicut ille vult, ita nos viuere,facere,pati,omnes & omnia: etiam mala opera & flagitia in impijs operari Deum: & eundem nolle mortem peccatoris, ſed magis velle, vt auertatur a via ſua mala, & viuat anima eius. Nihil operatur Deus contra ſuamipſius voluntatem. Mors impij, illa,inquam,prima,eſt eius voluntati contraria, niſi mentiatur ille qui mentiri non poteſt, dicens, Nolle ſe mortem impij. Iterum, Quod impius perſeuerat in vijs ſuis malis, eſt diuinæ voluntati contrarium, ſi eidem ipſi de ſe credimus dicenti, Velle ſe, vt auertatur a via ſua mala: velle animam eius viuere, non perire, qui vult omnes ſaluos fieri: vult, inquam, non illa voluntate abſoluta, imperatiua, efficaci, & potenti, ſed magis optatiua, & complacentiæ: ſalua tamen cuique, ſui libertate arbitrij. Quam vellet quidem, quod ex ipſo eſt, nos omnes ad bonum conuertere, ſed non cogit: præiudicare non vult noſtri in eo libertati arbitrij: hortatur proinde, admonet, corripit, flagellat, inſtigat,beneficijs allicit,& prouocat propoſitis præmijs. Pulſat cordis noſtri oſtium, quo ſibi aperiamus, ſed non effringit: & niſi aperuerimus ipſi, ad nos non ingreditur. Itaque, vt bono Deo, quemadmodum diximus,bonorum in nobis omnium,& initium,& progreſſum,& conſummationem merito tribuimus.Sic peccatorum noſtrorum, noſtræque damnationis cauſam, vt illi attribuamus, eius bonitas, miſericordia, & iuſtitia non patitur. Nam ſi peccati initium quæras, tibi reſpondente ſcriptura, inuenies eſſe, diſcedere & elongari a Deo, Quia, inquit, initium ſuperbiæ, apoſtatare a Deo. Quod cum quiſque ſua mala voluntate facit, ſibiipſi eſt cauſa perditionis, & mortis illius primæ. Proinde manibus pedibuſq; eam accerſire dicuntur impij, æſtimantes eam amicam ſibi: non vero a Deo immitti, qui vltor,non author peccatorum eſt, quæ iuſte punire non poſſet, ſi eadem operaretur in impijs: nec bonus eſſe & permanere, ea faciens quæ nemo facit niſi malus & impius. Propter quod, Deus ipſe per Hieremiam prophetam ſic humanæ voluntatis malitiam obiurgat,vt eam a ſe alienam eſſe demonſtret. Ego,inquit,te plantaui vineam fructiferam, quomodo conuerſa es in amaritudinē vitis alienæ? Alienam vtiq; a ſe dicit, non vitio voluntatis diuinæ: ſed auerſione voluntatis propriæ. Quæ iuſte dānatur, quod amaritudinem iniq̄tatis protulit,q̄

in ea

in ea Deus ipſe non fecit. Pro qua amaritudine ſic eam Deus per eundem prophetam increpat, Scito, inquit, quam malum eſt tibi & amarum, reliquiſſe dominum Deum tuum, & non eſſe timorem meum apud te. Ille ſuauis eſt vniuerſis, ſed nos nobis amaritudinis cauſa ſumus, Quam bonus, inquit, Iſraelis Deus, his qui recto ſunt corde. Et rurſus, Guſtate & videte, quam ſuauis eſt dominus. Quis ergo ita eſt veritati contrarius, vt humanæ quis illi voluntatis aſcribat malitiam? qua bonum Deum relinqueret: & amaritudinem contumaciæ, qua ſuauem dominum non timeret? Et hactenus quidem catholicam veritatem de noſtri libertate arbitrij, & diuinæ nihilominus gratiæ neceſſitate, ſatis ni fallor dilucide explicauimus, & ab inductis vtrinq; circa eandem, peſtiferis, q̃uis ſibi aduerſantibus, erroribus, vindicauimus.

FINIS QVINTI LIBRI.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber VI.

Quæ explicata eſt libro priori, ſectæ quæ ſe euangelicam dicit, de diuina gratia, & quo pacto ea in nobis operetur, ſententia, & rationes quibus eandem aſtruunt, hoc libro preſſius excutiuntur.

NON EST NOVVM VETERATORIS illius, antiquiq; hoſtis cõmentum, ſub Chriſti nominis titulo, incautos fallere, & ſub fuco orationis compoſitæ, & eloquiorum cœleſtium ſubuertere veritatem fidei, dum per ſuos Apoſtolos, Chriſtum demonſtrat in deſerto, in penetralibus, in hæreticorum antris, ac latibulis, quo in fide inſtabiles, ſibique auſcultãtes & credulos, ſeducat ab illo Chriſti corpore, & de eccleſia rapiat, qui ſibi non videntur deſerere, ſed tũ primum inueniſſe eccleſiam: aduerſus quos, ſi Chriſto credimus, intra ſepta ouilis ſui caute nos continebimus: nec recedemus a communi catholicæ eccleſiæ ſenſu: quem certum: aquilarum illarum ſemper nobis demonſtrat congregatio: etiam quicquid illi contra obganniant, quaſcunque ſcripturas proferant: quæ ſi ab illo nos videbuntur abducere, hoc certũ habebimus, eas non recte a nobis intelligi. Proinde cũ iam certiſſimo demonſtrauerimus cõmunem catholicæ ab initio eccleſiæ de libero arbitrio & gratia, atq; vtriuſq;

uſq; coniugatione neceſſaria in negotio iuſtificationis, ſalutiſque hominis, ſententiam: quæ tamen & ipſa in ſequentibus multo reddetur illuſtrior, non puto vllum bene ad veritatem affectum, aduerſus eandem: auſcultaturum, aut Caluino, aut cuiquam alteri: ſed vel per ſe intellecturum falſitatem, imbecillitatemq; eorum quæ contra ingerunt: aut ſi non intelligat, ſine damno id fore veritatis, quam certo intelligit. Quo tamen ex contrariæ falſitatis abſurditate, clarius intelligatur catholicæ veritatis certitudo, & ſecum vbiq; conſentiens firmitas, Quæ ſupra a nobis explicata eſt, iam ſectæ illius ſententia ex Caluini inſtitutione, de modo quo diuinam gratiam in nobis operari intelligit, paulo preſſius accuratiuſque excutienda eſt, vna cum rationibus quibus eandem aſtruit.

Non derogare diuinę gratiæ eſſe & noſtras quaſdã partes in bono opere, & q̃ ad eã, nos poſſimus accõmodare ac diſponere.

Inprimis, quod Deo diuinæq; gratiæ acceptum referri oportere cenſent, quicquid boni in nobis eſt: recte cenſent, et nobiſcum cenſent. Sed quod illi derogare exiſtimant, ſi quæ etiam noſtræ partes ſint in bono opere, ſi ea, quam a Deo accepimus, liberi arbitrij facultate poſſimus & nos noſtram agnoſcere miſeriam: eam deteſtari, confugere ad piiſſimum dominum, eius implorare miſericordiam: veniam petere noſtræ aduerſus ipſum inobedientiæ, noſtræ ingratitudinis, noſtrorum peccatorum remiſſionem quærere, & ſperare eius gratiam: atq; illi adeptæ cooperari quæ ſunt ipſi placita: abſurde, & ridicule exiſtimant. Cum hocipſum quod poſſumus, non ex nobis ſit, ſed bonitatis illius munus, & beneficium: ad cuius commendationem & gloriam, non derogationem, & iniuriam pertinet, ſi quid boni poſſumus: ſicut contra ad eius iniuriam tenderet, ſi per eam, quam ab ipſo ſolo accepimus, naturam: nihil niſi peccare, & optimum dominum conditoremq; noſtrum execrabili odio proſequi poſſemus: quæ eſſet natura peior ipſa malitia diabolica.

Hominem bonorum, malorũq; quę agit omniũ, liberam poteſtatem habere, ab initio ſemper creditũ fuiſſe ab omnibus.

Hominem & bonorum & malorum quæ agit omnium liberam poteſtatem habere nulla neceſſitatis vi ad ea duci aut impelli, allicere, & prouocare nos Deum ad bene ſancteque viuendum: non cogere, nec ſine nobis abſoluta illa ſua omnipotentique voluntate, cui non poſſemus reſiſtere, quos elegit & vocauit, vt ita & viuant, efficere, imo poſſe nos motioni diuinæ & obtemperare et refragari, multis ſæculis traditum & creditum fuiſſe recte intellexit Caluinus. Quamuis rectius dixiſſet, omnibus ab initio ſæculis ita ſemper crediſſe pios homines, q̃ Deum iuſtum noſtrorum operum iudicem, & pro benefactis mercedem: & pro malefactis ſupplicium repenſurum certo crediderunt. Quod non potuiſſent credere, niſi vtraque, in noſtra poteſtate intellexiſſent poſita.

Petrus, aduerſus Simonem.

Proinde Petrus apud Clementem, hoc merito primum cenſet vnde incipiant qui noſtræ philoſophiæ initiari deſyderant, vt intelligant liberi

liberi ſe eſſe arbitrij. Inde enim primo intelligi iuſtum Dei de nobis iudicium: in eos qui hic impie vixerint,& ſe libidinibus, peccatiſque cōmaculauerint: quēadmodum & quod pijs,& ſe inquirentibus æterna prę mia retributurus ſit. Inde enim ad requirenda diligenter etiam cætera ſibi ad ſalutem neceſſaria quiſque facile inducitur, Vnde & veſtræ illius impietatis authorem Simonem hac interrogatione perurget, Dic, inquit, Quomodo ergo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquenque pro actibus ſuis ſi agere quæ egit in poteſtate non habuit? Quod ſi recipiatur, nec iuſtitiam, nec vllam virtutem: ſed nec Deum relinqui affirmat. Itaq; docens creata a Deo quædā: vt in miniſterijs ſuis, alijs neceſſitate deſeruiāt: alia vero, vt agendi quæ velint liberam poteſtatem habeant,& voluntatis arbitrium: hæc, ita quidem eſſe voluiſſe quod ſunt, vt in poteſtate habeant quod velint agere: proinde, nec in eo quo creata ſunt ordine ſemper permanere: ſed prout voluntas duxerit,& animi iudicium, ſeu ad bona, ſeu ad mala, declinauerit: vnde & bene agentibus mercedem propoſitam a Deo,& male agentibus ſupplicia, Quorum in illis locus non eſt, quæ aliud eſſe non poſſunt, quam quod ab ipſo inſtituta ſunt. Ita quoq; & Clemens ille ſecunda epiſtola earum quas Ruffinus latinas fecit, a Chriſto quęrendam nobis veritatem docens, qui ſit porta volētibus ad vitam ingredi, ſit via ad ſalutem pergentibus, Eius ſermonem ſi quis audierit, in poteſtate ſua illum habere affirmat, recipere eum, velit aut nolit. Liberi enim, inquit, ſumus arbitrij. Ita & Tertullianus Marcionem illius Simonis diſcipulum eadem perurget ſententia, Tolli videlicet iuſtum Dei de hominibus iudicium, ſi tollatur libertas arbitrij: ſi poteſtatem non habeat homo, ſeu bona quæ in eo operatur diuina gratia, ſeu mala quę ipſe operatur, eadem deſtitutus gratia, non agere: ſed vtraq; agat neceſſario. Quandoquidē, inquit, nec boni nec mali merces penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate, non voluntate fuiſſet inuētus. Sic Irenæus aduerſus Valentinum eiuſdem Simonis diſcipulum, inducens illud Pauli, Gloria autem: & honor omni operanti bonum, Dedit ergo Deus, inquit, bonum,& qui operantur illud gloriam,& honorem percipient, Quoniam operati ſunt bonum, cum poſſent non operari illud. Hi autem qui non operantur illud: iuſtum Dei iudicium recipient, Quoniam operati non ſunt, cum poſſent operari illud.

Non ſubſiſtere Dei de nobis iudicium, niſi & boni & mali libertas nobis ſit.

Clement.

Tertullianus.

Irenæus.

Addit ad hæc aduerſus eandem, illam veſtram Simoniacæ ſcholæ impijſſimam ſententiam: ex ea conſequi, nec laudabiles bonos eſſe q̄d boni ſint, nec contra vituperabiles malos quod mali, cum hoc ipſum quod ſunt neceſſario forent. Orthodoxam vero catholicæ eccleſiæ fidem,& confeſſionem hoc tenere, omnes homines poſſe & retinere,& operari bonum, poſſe rurſus & amittere illud,& non facere, Iuſte proinde apud ſenſatos homines, q̄to magis apud Deū, alios quidē laudari,

& dignum percipere bonæ electionis,& perſeuerantiæ teſtimonium: alios vero accuſari,& iuſto damno affici,eo quod iuſtum: & bonũ reprobauerint.Imo & vniuerſa quanta quanta eſt diuina ſcriptura: qua Deus per Prophetas,per Apoſtolos,atq; etiam per ſeipſum nos adhortatur pie,iuſte,& ſancte viuere,ſe q̃rere,ſuæ voluntati nos libenter ſubmittere,et deterret ab eorũ contrarijs, oſtendi affirmat liberũ ad bonum & malum,& ſuę poteſtatis eſſe hominem.Cum alioqui fruſtra adhortaretur,hęc quidem nos facere,ab his vero abſtinere.Suũ proinde erga hominem opus oſtendiſſe,& nihilominus ſui arbitrij ac liberę poteſtatis hominẽ ſignificaſſe,qui dixit,Hieruſalem:quoties volui congregare filios tuos,quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?Currentibus,certantibus,& victoribus,a Deo proponi coronam: & illata vi illud rapientium eſſe regnum cœlorũ, vt intelligamus ipſum non otioſis obtrudi:his videlicet,in quibus Deo placet abſoluta illa ſua omnipotẽtiq; voluntate,nec cooperantibus nec deſyderãtibus quidem operari fidem ſuã,& iuſtitiam:contra vero negari,non magis indignis alijs,ex eodem beneplacito.Eadem nuſq̃ non inculcat ille Origenes,quoties locus admonet, quod ſupra clariſſimum fecimus:affirmans traditione eccleſiaſtica definitum, animam rationalem oẽm, eſſe liberi arbitrij & voluntatis: Cui ſit quidem certamen aduerſus diabolos & angelos eius,aduerſariaſq; virtutes,nos tamen non ita neceſſitati ſubiectos eſſe,vt omni modo vel bona vel mala agere cogamur.Impugnare fortaſſis nos poſſe virtutes aliquas ad peccatum : & alias iuuare ad ſalutem,non tñ neceſſitate cogi nos vel recte vel male agere.Hanc ille profert ſuo ſæculo, hoc eſt, ante annos mille trecentos, definitionem eccleſiaſticã:non tunc natã:ſed quæ inter certiſſima ac definita eccleſiæ dogmata:de quibus non licebat ambigere,recepta erat ab ipſo eccleſiæ initio,Quam etiam: ipſa rationis euidentia oſtendi affirmat, & totius quanta eſt ſcripturæ authoritate confirmari. Quæ vniuerſa euidenter oſtendunt liberi arbitrij nos poteſtatem habere.

Origenes.

Baſilius. Eadem Magnus ille Baſilius, Deum malorũ authorem non eſſe demonſtrans,tanquã confeſſum,& oĩbus notorium aſſumpſit, liberi arbitrij factam rationalem animam,omni neceſſitate ſolutam, vitam noſtram in ſua poteſtate habere:ſeu ad bonũ ſe conuertere velit,ſeu velut veterno quodã grauata e ſtatu ſuperiori ad carnis delicias ſe demittẽs, a bono deflectere,Illum Deo vere amicũ:qui non coactus, ſed ſua ſponte virtuteq; illi obtẽperat,arbitriũ in nobis optioneq; liberã laudari merito,aut vituperari. Eadem perpetuo docet ille Hilarius, Deũ bonum, eorũ bonorũ quæ in ſe æterna ſunt nos volens participes,in ſenſum nos atq; vſum beatæ ſuę bonitatis aſſumpſiſſe,& in hoc libertatẽ vitæ permiſiſſe:nõ vero neceſſitatẽ in alterutrũ,vt aut boni aut mali eſſemus,affixiſſe:vt q nos per beneuolentiã,vtẽdæ beatitudinis ſuæ creaſſet capaces,

Hilarius.

ces,profectum nobis ad eandẽ aſſequendã,meritumq́ʒ vitæ innocẽtis, honeſtæque conſtitueret: cui, niſi libertas adeſſet arbitrij, locus nullus foret, Quid ẽm inqt, honoris ac præmij bonitatis neceſſitas mereretur? Cũ malos nos eſſe vis quædã nobis cõſerta,aut oĩpotens illa efficaxq́ʒ, vt vos fabulamini, Dei de nobis,noſtraq́ʒ voluntate voluntas, nõ ſineret. Voluntatis ergo libertati pmiſſa eſt bonitas,vt pmium ſibi voluntas bonitatis acqreret: vtq́ʒ eſſet nobis æternæ huius beatitudinis profectus,atq́ʒ vſus ex merito:nõ neceſſitas indiſcreta p legẽ,Et quanq̃ nos ad voluntatem bonitatis.i.ad bene honeſteq́ʒ viuendũ, per ſpem promerendę,& vtendæ ſuæ bonitatis illiciat,pœnã tñ deuitatę et contẽptę bonitatis adiecit, Vt cum libertatẽ nobis voluntatis ad promerendam bonitatem reliquiſſet,qa meritũ neceſſitas non haberet, libertatẽ ipſam propoſitus e cõtrario pœnæ terror cohiberet. Atq́ʒ per rõnem æqui ac iuſti,ad meritum pmij permiſſa libertas eſt:& per bonitatẽ Dei vis libertatis,metu cõſtitutionis arctata eſt: vt bñ velle meriti ſpes moneret: malum nolle,propoſitæ vltionis pœna ſuaderet. Hæc ille Hilarius enarrat. in Pſalm. II. Qui rurſus enarra.in Pſalm. CXVIII. Eam impiorꝝ, q̃ ex aduerſariorꝝ doctrina cõcipiunt,ſuæ infidelitatis impietatiſq́ʒ excuſationem excutiens,qua dicunt, Proprium Dei munus eſſe,vt quis verſetur in Dei rebus,atq́ʒ operibus:& q́ʒ, ceſſante erga ſe dei volũtate, in infidelitate et peccatis permaneant. Eſt quidẽ,inqt,in fide manendi a Deo munus,ſed impediẽdi a nobis origo eſt, Voluntatem noſtrã hoc ex ſe propriũ habere debere,vt velit,Deum aũt incipienti, incrementũ dare, Quia etſi cõſummationẽ:infirmitas noſtra nõ obtineat,meritum tñ adipiſcendæ cõſummationis,eſſe ex initio voluntatis. Proinde, Pſalmum ita cõcluſit propheta, Inclinaui cor meum ad faciẽdas iuſtificationes tuas in ęternum,propter retributionẽ. Cor,inquit,ſuũ ipſe inclinat, & ex naturæ humanæ peccatis in obedientiã dei inflectit. Natura qdẽ, & origo carnis ſuæ eum detinebat:ſed voluntas & religio, cor eius, ex eo in quo manebat originis vitio,ad iuſtificationũ opa declinat. Eadem & ille docet ſacer Ambroſius,cuius verba ſupra audiſti, & paulo poſt audies iterꝝ. Eadem quoq́ʒ et ille Hierony. qui nec virtuti locum relinq, affirmat,nec iuſto Dei in pctõres iudicio, nec in iuſtos retributioni, & præmio,ſi ex neceſſitate,aut abſoluta dei potentiq́ʒ illa voluntate,& nõ proprij arbitrij libertate,hic,& mali,& boni viuerent. Eadem nuſq̃ nõ inculcat,q́ʒ ipſe tu confiteris, Chryſoſtomus. Eadem vbiq́ʒ tuus ille,ſi ſuperis placet, Auguſtinus, Quæ & ipſa, totius humani gñis conſenſu, a puero ad ſenem,ab illiterato ad eum qui in ſapientiæ ſolio reſidet, ipſa natura proclamante,notoria affirmat: nec culpam eſſe poſſe, nec meritum,nec iuſtã pœnam pro peccatis,nec pro benefactis præmium,ſublata libertate arbitrij, Nec libros nobis ſcrutandos,vnde hoc diſcamus, neminem vituperatione dignũ,qui aut id velit,quod iuſtitia velle non

Ambroſ. Hierony. Chryſoſt. Auguſt.

prohibet,aut id facit quod non facere non poteſt. Hæc em̃ & a paſtoribus decantari in ſyluis,a poetis in theatris,ab indoctis pariter,& a doctis,a profanis, & a myſtis, ac ſacerdotibus, & in toto orbe terrarum ab vniuerſo genere hominum: imo vniuerſam illum religionem tollere, qui tollit libertatem arbitrij. Eadem ab illis ad nos vſque vniuerſa toto orbe tenuit catholica eccleſia.

Recte proinde hoc intellexiſti Caluine, multis retro ſæculis traditum & creditum fuiſſe,Hominem,& bonorum,& malorum quę agit omnium,liberam poteſtatẽ habere:nulla neceſſitatis vi ad ea duci aut impelli:ad bene ſanctecꝫ viuendum prouocari nos a Deo, atque allici, non cogi:non ſua illa omnipotẽti efficaciꝗꝫ voluntate ſine nobis,efficere in nobis,quę ſibi ſunt placita,Quũ hoc pręcipue illi in nobis placeat, quod vltro, & noſtra ſpõte ipſi obtemperemus,atqꝫ ipſum corde ſyncero diligamus,Poſſe proinde nos motioni diuinæ & obtemperare,et refragari. Hæc multis,imo omnibus ſæculis,crediderunt pij:hæc credituri ſunt,q̃diu orthodoxæ, & catholicæ fidei locus erit. At quod falſo hæc tradita & credita affirmas,ipſa falſitate eſt falſius: ipſa impudentia impudentius: ipſa impietate magis impium.

Caluinus. Obiectio ex verbis Apoſtoli. Sed Apoſtolus,inquis,Philippen. ſcribens, dicit ſe confidere quod qui cœpit in ipſis bonum opus,perfecturus ſit vſqꝫ in diem Ieſu Chriſti.Bonum itaqꝫ opus inchoat in nobis Deus, iuſtitiæ & amorẽ & deſyderium & ſtudium in cordibus noſtris excitãdo: vel vt magis proprie loquamur, corda noſtra formando,flectendo,dirigendo, in iuſtitiam: perficit autem,ad perſeuerantiam nos confirmando.

Pighius. Expectabam vt diceres Apoſtolum affirmare, falſum illum quem hactenus aſtruximus communem ſenſum, ſanctorum, quos audiſti, patrum: falſam definitionem eccleſiaſticam: falſam mortaliũ omnium natura magiſtra & præcone,ſententiã.Quod ſi q̃s diceret Apoſtolus, non dubitarem ego,ſathanæ illum,non Chriſti Apoſtolũ dicere,& authore eodem quẽ citas Apoſtolo,anathema pronunciare.Sed bene habet,nihil proferri ex Apoſtolo,quod pugnet cũ fide,q̃ demõſtrauimus hactenus,catholicę Chriſti eccleſiæ.Bonũ opus inchoare in nobis Deum,iuſtitiæ & amorẽ,& deſyderium,et ſtudiũ in cordibus noſtris excitando,orthodoxum eſt,& catholicum: ſed dum magis proprie loq vis,non contentus cõmuni excitandi verbo,quo catholici appoſitiſſime vtuntur, qui ip̃m corda noſtra flectendo, formando,dirigendo in iuſtitiam inchoare in nobis opus bonum affirmas,iã proprium aliqd, & nõ catholicum ſubintroducere niteris. Quanq̃ nec hæc ipſa verba: tametſi minus propria,quicq̃ haberent incõmodi, niſi nota mihi eſſet, quã ſub eiſdem moliris,tua impietas:nempe, Deum ipſum ita vti corde noſtro,aut voluntate in bono opere,vt membris arrepticiorum maligni ſpiritus, dum per eos,& reſpõſa dant,& loquuntur,quæ ipſi non

Quã aliena a ſcopo ſit dicta obiectio.

intel-

intelligunt, Quam tuam ſententiam non diſſimulas,ſed mox aperis.

Caluinus.

Ne quis, inquit, ſic a domino bonum inchoari tergiuerſetur,quod voluntas per ſe infirma adiuuetur, alibi declarat ſpiritus, quid valeat voluntas ſibi relicta. Dabo,inquit, vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra: & dabo vobis cor carneum,& ſpiritum meum ponam in medio veſtri,& faciam vt in præceptis meis ambuletis.

Pighius.

Agnoſcimus verba domini per prophetam: nec minus intelligimus, quis ille tibi ſpiritus eiſdem verbis impijſſimam illam, quam in eis imaginaris ſententiam, inſpiret: is nempe qui factus eſt ſpiritus mendax in ore prophetarum Achab: qui & dominum maieſtatis ſcripturis perperam detortis aggredi auſus eſt.

Caluinus. Vt afferat, nec adiutã quidem humanę volũtatis infirmitatẽ, diuinę gratię ſubſidio, ad boni electionem aſpirare poſſe.

Quis,inquit, voluntatis humanæ infirmitatem dicet ſubſidio roborari, quo ad boni electionem efficaciter aſpiret, cum transformari renouariq́ totam oporteat? Siqua eſt in lapide mollicies, quæ adminiculo tenerior facta: flexum quemlibet recipiat,neque ductile eſſe cor hominis negabo in recti obedientiam, modo gratia domini, quod in eo imperfectum eſt, ſuppleatur. Verum ſi hac ſimilitudine oſtendere voluit dominus nihil vnquam boni expreſſum iri a corde noſtro, niſi penitus aliud fiat, ne inter ipſum & nos partiamur,quod ſibi vni vendicat. Si ergo lapis in carnem transformatur, quando nos dominus ad recti ſtudium conuertit, abolеtur quicquid eſt proprie noſtræ voluntatis, & quod in eius locum ſuccedit totum a domino eſt.

Pighius.

Hic iam agnoſce lector pſeudoprophetam venientem ad te in veſtitu ouium, Quæ ſunt Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum proloquia: quæ ijdem ouili quadam ſynceritate, agno illi immaculato tanquam vellera quædam intexuerunt, ſub quibus latentes ſe ſuoſque ferinos ſenſus inuoluunt lupi rapaces, hoc eſt, hæretici, & caulas eccleſiæ infeſtant, gregemque Chriſti qua poſſunt diſcerpunt, & lacerant,Sed ex fructibus, inquit,eorum cognoſcetis eos. Et qui tandem hi fructus vnde nobis cognoſcendi ſunt? Seducent,inquit, multos, vnde? ab illo ouili Chriſti: ab illo corpore, ad quod congregantur aquilæ, in quo Chriſtus eſt, & permanet: & contempta communi eccleſiæ fide, & ſententia, in deſertum, in ſuos angulos, ſua antra & latibula conantur ſeducere incautos & ſibi credulos: ſuas nouitates profanas introducere: & ſtatuere ex aduerſo catholicæ fidei ſuos ſenſus ſingulares & hæreticos. Proinde, cum cœperunt diuinas illas quibus impietatem ſuam obuoluunt voces non proferre tantum, ſed ſuis non Chriſti dogmatibus accommodare, non tantum iactare, ſed ſuo,non eccleſiæ ſenſu eas interpretari & exponere, tunc ſe prodit hæretici ſenſus illa amaritudo & acerbitas: tunc ferina rabies deprehen-

ditur: tunc exhalatur virus nouitium: tunc profanæ nouitates aperiuntur: tunc ſcindi ſepem: tunc transferri terminos patrum videas: tūc catholicam fidem cædi: tunc eccleſiaſticum dogma lacerari.

Vt orthodoxa fides, neceſſariā coniugationem gratię cū libero arbitrio doceat.

Habet, quod ſupra clariſſime demonſtrauimus, definitio eccleſiaſtica, & orthodoxa fides catholicæ eccleſiæ, datum homini liberum voluntatis arbitrium, ſeu ad bonum ſeu ad malum illud flectere voluerit. Hoc ipſum tamen ſibi, nec ad ſalutem, nec ad vitā ſancte iuſteq; ſecundum Dei mandata peragendam ſufficere: ſed opus habere adiutrice diuina gratia, qua & præueniatur, & deducat, confirmeturq;, quo perduret in finem: ita vt in his omnibus neceſſaria ſit coniugatio liberi arbitrij, & diuinæ gratiæ, & ſit veriſſimū, nec gratiā ſine libero arbitrio ſaluare ſui iam compotes, nec liberum arbitrium ſine gratia. Proinde vniuerſam ſcripturā, vel vno eodemq; loco, neceſſariā hanc cōiugationē exprimere, ꝙ ſupra audiſti locis pene innumeris: aut ſi quis locus alteri horū, hac in re tribuere quid videatur ſine altero, eodem pene loco ſubiungatur locus alius, qui idē ipſum alteri ſimiliter attribuat. Cuius diligentiſſimā rationem diuinus ſpiritus vbiq; habuiſſe dephendit.

Vt dictam coniugationem diuinus vbiq; ſpiritus in ſcripturis diligenter exprimat.

Itaque cum per Ezechielem dixiſſet dominus, Omnes æque animas eſſe ſuas, iuſtum, et fideliter obſequentem mandatis ſuis omnibus, amore ſe proſequi: contra auerſari iniuſtum & impium, Sua cuique, non paterna imputari merita aut demerita: Iuſti filium ſi impius aut iniuſtus, ipſe fuerit, moriturum ob iniquitatem ſuam, nec paterna illi merita valitura ad vitam: Iniuſti filium, ſi iuſtus ipſe fuerit, victurum in iuſtitia quam operatus eſt: nec damnum laturum paternę iniuſtitię, Animam quæ peccauerit ipſam morituram, Nec filium portaturū iniquitatem patris, nec patrem iniquitatem filij: ſed ſuam quenq; comitari iuſtitiā, & iniquitatem: Ad hæc, impio agente pœnitentiā ab oībus iniquitatibus ſuis, & cuſtodiente oīa præcepta Dei, atq; operante iuſtitiam, vita victurū, & non moriturū: nec ſe recordaturum oīm iniquitatum quas prius operatus eſt. In iuſtitia, inquit, ſua ꝙ operatus eſt viuet. Suæ voluntatis nō eſſe mortem impij, ſed magis vitā, vtq; cōuertatur a vijs ſuis, Ita quoq; & iuſto auertente ſe a iuſtitia ſua, & declinante ad impietatem, victurum illum negat, ſed moriturū in præuaricatiōe ſua: nec fore memoriā vniuerſę iuſtitię eius quam ante fecerat. Iuſtum hoc aſſerens diuinum iudicium: vt cum a iuſtitia ad iniquitatem declinat iuſtus, moriatur in ea: & cū auerterit ſe impius ab impietate ſua, miſeriā in quam per eam ſe præcipitauerit conſiderans, & conuerterit ad iuſtitiam, viuat, & non moriatur, Ipſe, inquit, animam ſuā viuificabit, Se vero vnumquenq; iuſte iudicaturum iuxta vias ſuas. Tandem exhortationem ad oēs pctōres ſubiungens. Conuertimini, inquit, & agite pœnitentiam, ab oībus iniqtatibus veſtris, et nō erit vobis in ruinā iniquitas. Proijcite a vobis omnes iniquitates veſtras in qbus ꝑuaricati eſtis;

 & fa-

& facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit dominus Deus, Reuertimini, & viuite. Quo loco vniuerſo, cum vnius tantum noſtri noſtræque facultatis & arbitrij in auerſiõe impij ab impietate ſua, & conuerſione eiuſdem ad iuſtitiam, vita inſuper iuſte ſanctequе ſecundum Dei præcepta peragenda, & per ea ſalute aſſequenda, nulla vero Dei operationis, aut cooperationis diuinæ gratiæ fiat mentio, cum nobis tribuatur poſſe proijcere a nobis iniquitates noſtras, in quibus præuaricati ſumus, facere nobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & eſſe poteſtatis noſtræ ne moriamur. Nec ex his Pelagius & cæteri diuinæ hoſtes gratiæ ſuæ impietati iuſtam poſſent aliquam rationem prætexere, idem diuinus ſpiritus apud eundem Prophetam aliquanto poſt, eadem vniuerſa, ita vni Deo tribuit, vt nulla quoq; noſtri arbitrij, noſtræve facultatis, aut cooperationis fiat mentio. Itaq; hoc pacto per eundem Prophetã Iſraeli loquitur, Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuerſis terris, & adducam vos in terrã veſtram, & effundam ſuper vos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini. Vides vt vniuerſa, quæ ante nulla ſui, nulla aut operantis, aut cooperantis ad ea in nobis ſuæ gratiæ mentione facta, ſolis nobis attribuit, nunc contra vni ſibi, æque nulla noſtri noſtræve facultatis aut cooperationis ad ea mentione facta, tribuat, Vt vtrunque locum coniungentes, intelligamus ex vtroque, vtriuſque, quam ſupra demonſtrauimus, coniugationem neceſſariam: nec Deum hæc operari in nobis ſine nobis: nec noſtras ad hæc vires abſque gratiæ illius ſufficere adiutorio. Alioqui, qua ratione aduerſarij ex poſteriore hoc loco, ſine prioris temperatura, ſuam impietatem vellent ſtatuere, eadem, ſuam, ex priore, poſſet Pelagius, Sed media eſt ea quam audiſti ex vtroque temperata: orthodoxa: & catholica veritas. Auertitur impius ab omnibus iniquitatibus ſuis, ad Deum conuertitur, agit pœnitentiam, crucifigit carnem ſuam, & corpus peccati: mortificat veterem hominem, atque illum deponit cum actibus ſuis, & nouum induit, qui ſecundum DEVM creatus eſt, & qui renouatur in agnitione Dei, ſecundum imaginem eius qui creauit illum. In quo innouando quotidie non ceſſat, nec quieſcit, donec in eandem imaginem transformetur, Itaque, & ipſe ſibi circuncidit cordis ſui præputium, iuxta præceptum domini dicentis, Circuncidite præputiũ cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis amplius: & per Hieremiã,

Nouate vobis noualia, & nolite ſerere ſuper ſpinas, Circuncidimini domino, & auferte præputia cordium veſtrorum: ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea. Ipſe quoque eidem præcipienti obſequens, innouat noualia: deponit veterem hominem, facit ſibi cor nouum, & ſpiritum nouum: & nihilominus, etiam vniuerſa hæc operatur in nobis Deus, Ipſe nos conuertit, vt conuertamur ad ſe. Applicabo, inquit, eum, & accedet ad me. Illo conuertente agimus dignam pœnitentiam. Conuerte me, inquit ille, & conuertar, quia tu dominus D E V S meus: poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Ipſe circuncidit præputium cordium noſtrorum, Cum venerint (inquit ille Moyſes populo ſuo) ſuper te omnes ſermones iſti, & ductus pœnitudine cordis tui in vniuerſis gentibus, in quas diſperſerit te dominus D E V S tuus, & reuerſus fueris ad eum in toto corde tuo, & in tota anima tua, reducet te dominus Deus tuus de captiuitate tua: & miſerebitur tui, & circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt poſſis viuere. Idem ipſe eſt qui noualia noſtra innouat, qui dat nobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Ipſe eſt qui facit, vt in præceptis eius ambulemus, & iudicia eius cuſtodiamus, & operemur. Quæ vniuerſa adeo inter ſe non pugnant, vt pulcherrime conſonent, quemadmodum ſupra demonſtratum eſt.

Caluinus. Quid igitur hic cauillatur Cauillinus?

Pighius. Interrogat quis voluntatis humanæ infirmitatem dicet diuinæ gratiæ ſubſidio roborari, quo ad boni aſpirationem efficaciter aſpiret? Poſſem enumerare & recitare omnium a principio orthodoxorum ſcripta concorditer ita dicentium: ſed quo ſim breuior interrogabo ego illum viciſſim, quis omnium dixerit aliter, niſi hoſtis diuinæ gratiæ? Quis ante ipſum, & Lutherum, hoc negauerit, præter Pelagium cum ſectatoribus ſuis? niſi Simonem, Marcionem, Valentinum, Manichæum, Priſcillianum, Abailardum, Vuiclefum, atque eiuſmodi hæreticorum portenta protulerit: qui abſtulerunt liberum arbitrium ex hominibus: et Deum optimum maximum flagitiorum omnium fecerunt fontem, & gurgitem. Quod ſi quem alium producere potuerit, qui inter orthodoxos & catholicos ſit nominatus & habitus, qui non ita ſenſerit, quiduis patiar ab illo conuicij.

Caluinus. Qua ſimilitudine, & quo pacto, ſententiā ſuam comprobet. Si qua, inquit, eſt in lapide mollicies, quæ adminiculo tenerior facta flexum quemlibet recipiat, neque ductile eſſe cor hominis negabo, in recti obediētiam, modo gratia domini quod in eo imperfectū eſt ſuppleatur. Verum ſi dicta ſimilitudine oſtendere voluit dominus, nihil vnquam boni expreſſum iri a corde noſtro, niſi penitus aliud fiat, ne

inter ipſum & nos partiamur quod vni ſibi vindicat? Si ergo lapis in carnem transferatur, quãdo nos dominus ad recti ſtudium conuertit, aboletur quicquid eſt propriẹ noſtræ voluntatis, & quod in eius locũ ſuccedit a domino eſt.

Pighius.

Quæ hic noua: quæ portenta audio? Et hoc tibi eſt Caluine, illas quas aduerſum vos produximus inuictas, atque omni aduerſariæ poteſtati inſuperabiles machinas, ſubruere? Verum ſi dicta ſimilitudine oſtendere voluit dominus nihil vnquam boni expreſſum iri a corde noſtro niſi penitus aliud fiat? occinam ego tibi ex aduerſo, Verum ſi dicta ſimilitudine non hoc quod ſtulte imaginaris, tu, ſed inueterati longa peccandi conſuetudine cordis velut lapideam duriciem auferri, & colliqueſcere oportere, quo molle ac ſenſibile & diuinis impreſſiõibus aptum, ſequax ac ductile fiat, ſignificare voluit? quod re vera ſignificare voluit: quid tum denique? Quid habebis quod oggannias? Non ſubſtantiam cordis, hoc eſt, voluntatis, aut animi noſtri (quem fere cordis vocabulo paſſim et vbiq; ſcriptura ſignificat) ſed qualitatem mutari, ſed vitium tolli, cum ex peccatis ad Deum cõnertimur, indubitatum eſt.

Nõ ſubſtãtiam cordis noſtri, ſed qualitatem mutari, cum ex peccatis ad Deum conuertimur.

Proponit hanc quæſtionem diuus Ambroſius libro primo de vocatione omnium gentium, aut quiſquis eius libri author fuerit (quem inprimis eruditum, orthodoxum, catholicum, & vetuſtum fuiſſe res ipſa loquitur), An cum bonæ voluntatis homo eſſe incipit, eadẽ quæ in ipſo erat corrigatur voluntas, an alia quam habebat, & quæ priori repugnet, vt hic imaginatur, detur: Ad quam reſpondens, Cum igitur homo, inquit, ad pietatem redit, non ſit nouum figmentum, aut noua creatura: ſecundum ſubſtantiam videlicet: ſed eadem quæ fuerat labefactata reparatur: nec aliud ab eo aufertur niſi vitiũ, quod natura non habuit, Hoc aũt fieri vna gratia ſaluatoris noſtri. Qui ſic rũpit vincula captiui, ſic veſtit nuditatem ſpoliati, ſic ſanat vulnera ſauciati, vt quod in eo agit, etiam per ipſum geratur, &c. Nec quia ſpiritu Dei agitur, ideo putet liberum arbitrium ſe non habere: quod nec tũc quidem perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit, a quo iudicium voluntatis deprauatum eſt, non ablata libertas. Quod ergo non eſt interfectum per vulnerantem, non tollitur per medẽtem: Vulnus ſanatur, non remouetur natura. Hæc ille Ambroſius, & tu interrogas, quis dicet humanæ voluntatis infirmitatem diuinæ gratiæ ſubſidio ſanari, & roborari, quo ad boni electionem efficaciter aſpiret? Audis autem quid hic dicat, non mutari ſecundum ſubſtantiam hominem cum ad pietatem redit, ſed ex infirmo & ſaucio ſanum fieri: reparari quæ labefactata in ipſo fuerant: auferri vitium a natura quod naturæ non eſt, ſed ab ea alienum eſt. Dirumpi vincula captiui, veſtiri nuditatem ſpoliati: vulnus ſanari, non remoueri naturam. Et

A D. Ambroſio, vt explicetur hæc quæſtio, An cũ bonæ võlũtatis eſſe homo incipit eadem que in ipſo erat corrigatur volũtas, an ac quirat aliã.

hæc

hæc omnia per gratiam ſaluatoris fieri: ſed ita fieri, vt quæ in homine agit, etiam per hominem gerantur. Nec ſuas libero arbitrio partes deeſſe, etiam ſub ipſo actu ſpiritus.

Vt ſeipſos non intelligant aduerſarij.

Sed velim hic mihi Caluine reſpondeas, Dicis cor noſtrū, penitus aliud fieri oportere, & aboleri quicquid ex nobis eſt, vt cōuertamur ad iuſtitiam, Qua in re, ſi mihi explicare potueris quid intelligas, quiduis a te patiar. Cor ex vſu ſcripturarum vel animum vel voluntatem intelligis, etiam teipſo interprete, Non actum ipſum voluntatis, vt exiſtimo, tametſi & ille voluntatis nomine ſubinde cenſeatur: ſed ipſam voluntatem noſtram, qua volumus, nolumus, amamus, odimus, proſequimur hoc, illud fugimus, Cor enim, ſubſtantiam denotat: actus, ad genus affectuum pertinent. Nam de actu voluntatis ſi te loqui dixeris, ridicule omnino nugaris, & in vanum verba profundis, Cū malas voluntates noſtras: hoc eſt, ipſa peccata noſtra: prorſus aboleri oportere, vt conuertamur ad iuſtitiam, prorſus ſit indubitabile, nec ab vllo in quæſtionem vnquam vocatum eſt, Sed de ipſa te voluntate, illa, inquam, potentia, qua volumus, nolumus, amamus, odimus, & cætera illa quæ voluntatis ſunt, peragimus, loqui te, tua ſcripta clare atteſtantur. Hanc voluntatem prorſus aboleri vis, & nouam nobis dari, vt conuertamur ad iuſtitiam, Nec eam tantam, ſed & rationem, vt opinor, Nam addis, Quicquid ex nobis eſt, Puto autem illis verbis, vniuerſas te noſtræ naturæ partes ſignificare. Nam ſi hoc intelligeres, vt in locutione ambigua tergiuerſari poſſes, Quicquid ex nobis eſt, hoc eſt, a nobis factum eſt, iam nec voluntas illa noſtra a nobis eſt, ſed eius vitium tantum a nobis eſt, quod prorſus aboleri oportere, vt ad iuſtitiam conuertamur, omnes intelligunt. Proinde vt conſentaneum aliquid loquaris & intelligas, vniuerſas naturæ noſtræ partes dictis verbis intelligere te conuenit, In quibus, cum ſit & ratio, nec ratio tantum, ſed etiam corpus, etiam illud prorſus aboleri & aliud nobis dari oportere, conuerſis ad iuſtitiā, vt confitearis neceſſe eſt. Quod ipſum tamē electus ille Chriſti Apoſtolus, etiam poſtquā ſpiritibus cœleſtibus interfuerat, ſe circuntuliſſe conteſtatur & queritur. Sed de ratione, vt exiſtimo, idem quod de voluntate, affirmas, eam prorſus aboleri oportere, et aliā fieri, quo cōuertamur ad iuſtitiā. Quādoquidē in cordis appellatiōe, quod transformari atq; aliud fieri oportere contendis, etiam ipſam comprehenſam intelligis: affirmans ſpiritum ſanctum: qui nouit omnes cogitationes hominum vanas eſſe, etiam de ea ipſa clare pronunciare, Omne figmentum humani cordis eſſe tantummodo malum. Si, inquis, quicquid ingenium noſtrum concipit, agitat, inſtituit, molitur, ſemper malum eſt, quid, quantumque facultatis homini ad bonum ex hac parte, nempe ratione, ſuppetat, ex hoc perſpicuum eſt, Proinde, & illam aboleri oportere, ſi ſemper, hoc

eſt, neceſſario, malum eſt quicquid ab ea prodit, & in locum eius nouã rationem dari, quo aſpiremus ad bonum, tuæ ſententiæ eſt conſentaneum. Quando æque ſine ratione, vt ſine voluntate, nihil poſſit bene fieri.

Age igitur videamus quale ſit iſtud quod a te dicitur, Rationem & voluntatem eſſe vel ipſam rationalis animę eſſentiam, aut certe energias & virtutes quaſdam, ab ipſa, & in ipſa eius ſcaturientes eſſentia, & neceſſariam ad inuicem dependentiam, connexionemque habere, vt ſine ſe mutuo eſſe non poſſint, quemadmodum & vis calorifica, ex, &, in, ipſa ignis ſubſtantia: & diaphoni vis illuſtratoria: in ſole atque eius eſſentia, indubitatum eſt. Proinde fieri non poteſt, vt ex nobis auferatur & voluntas & ratio, & in locum earundem ſubſtituantur aliæ, niſi auferatur, & ipſa rationalis animæ ſubſtantia, ex cuius natura & eſſentia, illæ, & primo, & neceſſario ſcaturiũt, ac profluunt: atq; in eius locum, noua aliaque ſubſtituatur anima. Quod vt fiat, ſi credere potes Caluine, idoneus mihi non videris, qui cum, verba commutet quiſpiam. Nihil hic tibi relictum eſt tergiuerſationis aut ſubterfugij: De ipſis energijs, virtutibus, ac potentijs, non actibus earundem prauis ſub ſeruitute peccati, loqui te certum eſt: niſi bis ridiculum te feceris: et oſtenderis nec teipſum intelligere, nec alios, quibus contradicis: quos ignorantiæ, & impietatis redarguis: & vniuerſa tua, de illis, nõ his, te loqui coarguunt. Tolli vero has energias, & potentias non poſſe, & in locum earundem alias ſubſtitui, niſi tollatur & ipſa animæ ſubſtantia, & pro ea noua ſubſtituatur, æque certum atque indubitatum eſt. Quid igitur? Adhuc non vides quam ſit cæca impietas? quam ſit falſum, quam abſurdum, quicquid præter catholicam fidem noui: & ſingularis a vobis inducitur? qui nouitate, & ſingularitate placere, et nominari quæritis, nec intelligitis quid ipſa in ſe habeat quã ſtatuere quæritis nouitas?

Quanquam, ſi tuaipſius ſponſione teneri te vis, vt noſter ſis, in noſtramque mox ſententiam concedas neceſſe eſt. Si qua, inquis, eſt in lapide mollicies, quæ adminiculo tenerior facta flexum quemlibet recipiat, neque ductile eſſe cor hominis negabo. Eſſe enim in lapide eam molliciem, vt ignis adminiculo fluxum recipiat, ſi inter vitriariorum & alchimicorum fornaces aliquandiu verſatus fueris, oculis ipſe tuis crediturus es.

Sed erunt forte, inquis, qui cõcedant voluntatem, a bono ſuopte ingenio auerſam, ſola dñi virtute conuerti, ſic tamen, vt præparata, ſuas deinde in agendo partes habeat: vt ſit, quod alicubi docet Auguſtinus non ducẽs, ſed comitans: nõ pręuia, ſed pediſſequa volũtas in bono opere. Ego aũt duo in dictis prophetę verbis, ſignari animaduerto. Qđ & prauã noſtram voluntatẽ corrigat dñs, vel potius aboleat, et a ſeipſo Caluinus.

bonam

bona ſubmittat. Quatenus a gratia præuenitur, in eo vt pediſſequam appelles, tibi permitto: ſed quia reformata, opus eſt domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ præuenienti, pediſſequa voluntate obſequitur, Ideo non recte a Chryſoſtomo ſcriptum eſſe, Nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quicquam poſſe operari: quaſi non ipſam quoque voluntatem operetur gratia. Neque vero Auguſtini conſilium fuiſſe, dum pediſſequam gratiæ noſtrā voluntatem facit, illi vel ſecundas quaſdam partes aſſignare in bono opere, Sed quia hoc dogmati Pelagij refellendo ſatis erat, quod primam ſalutis cauſam in hominis merito ponebat, aduerſus illum tantum cōtendebat, omni merito eſſe priorem gratiam, cuius tamen effectum egregie tractet alibi.

Pighius. Quam ſit falſa, abſurda, peſtilēs eorum opinio, qui ad hominis cōuerſionem nullas illi partes tribuunt.

Si qui erunt, qui tibi concedant voluntatem, ſuopte ingenio a Deo auerſam, ſola domini virtute conuerti poſſe, ſic vt ad conuerſionē nullæ voluntatis noſtræ partes ſint, vt quæ nihil ad eam aſpirare poſſit, nihil ſe præparare, ſe ad illā dare, ſed nec deſyderare, nec expectare quidē, quod tu affirmas, me authore non facient: cum totius quanta eſt diuinæ ſcripturæ contradicat authoritas: contradicat orthodoxorum omnium ab initio, quem ſupra audiſti, conſenſus, & catholicæ definitio eccleſiæ: ſitque ex hac aſſertione neceſſario conſequens, Nulli peccatori vel conandum eſſe ad conuerſionem ſuam: nec eam oratione petendam a Deo: vt quam nec deſyderare quidem poſſit priuſquam accipiat: ſed permittendam illam vni diuino beneplacito, quando illi videbitur ſua nos virtute conuertere: interim ſolutis manibus indulgentes genio, & obſequentes carnis deſyderijs: quod neceſſario, niſi falſa ſit doctrina tua, ante conuerſionis gratiam facimus. Et ludunt operam, qui exhortationibus, obiurgationibus, comminationibus obtundunt atque obſtrepunt peccatoribus, neceſſario, quod faciunt, facietibus, nec in ſua poteſtate habentibus, vt monitionibus increpationibuſq; acquieſcant ac pareant: & perinde cum illis agunt: ac ſi perſuadere conarentur, vt ſublimes ferrentur in aera: quod quanuis non poſſent ipſi, poſſet tamen Deus in ipſis. Quæ ſi quis ex tua impijſſima aſſertione conſequi non intelligit, vel rationis tarditas, vel veſtri illius Euangelij illa vis & energia, cuius ſubinde iudicium exhibuimus, & adhuc exhibebimus, in cauſa eſt, Sin intelligit, nec te vna cum præclara hac doctrina tua execratur, execrabilis merito ipſe eſt. Quanquam & in eo quod dicis, voluntatem noſtram ſuopte ingenio, a Deo auerſam, moliris inſidias: tametſi verba nihil alioqui incommodi habeant, Hoc enim ſubindicas, quod alibi plane indicas, ſuapte velut natura, neceſſario auerſam a Deo. Quod aſſerere eſt impijſſimum, & in conditorem eius nulla ferenda blaſphemia.

Oſtēditur, noſtri ad de

Si nobis nihil ad noſtram conuerſionē poteſtatis facultatiſque relictum

ctum eſt, ſed vnius hoc Dei virtutis & beneplaciti eſt, velit, non velit, vbi, quando, quomodo velit nos conuertere, quid ludit operam, imo quid ridiculum ſe facit, toties vt ad ſe conuertamur, & agamus pœnitentiam de peccatis noſtris, quo gratiam ſuam & miſericordiam conſequamur, a nobis exigens? Quid clamat per Eſaiam prophetam? Si quæritis, quærite, conuertimini, & venite. Et rurſus, Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael. Et iterum, Non dixi ſemini Iacob fruſtra, Quærite me, Ego dominus loquens iuſtitiam & annuncians recta. Congregamini, venite, accedite ſimul. Nunquid nō ego dominus: & non eſt vltra Deus abſq; me? Deus iuſtus & ſaluans, nō eſt præter me. Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus & non alius. Quid, inquam, iſta non ceſſat clamare ad nos, ſi æque noſtræ poteſtatis non eſt, auerti a peccatis noſtris, quam cœlum digito tangere? ſi ipſe quos vult, ſua vnius virtute, pro ſuo beneplacito conuertit: quos vult in peccatorum ſordibus cōtabeſcere ſinit? Quorſum iſta vociferatur & toties ingerit, niſi vt nos excitet ad pœnitentiam, vtq; conuertamur ad ſe? Quod ſi nō poſſumus, ſi ipſe ſolus poteſt, & facit, quibus, quādo, & vbi ſibi placet, quid nobis fruſtra loquitur? Quid non ſibi potius loquitur, vt conuertat ſi quos conuerſos velit? Quid rurſus per Hieremiam ita agit, cum peccatrice anima? Vulgo dicitur, Si dimiſerit vir vxorem ſuā, & recedens ab eo duxerit alterꝫ virum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me dicit dominus, & ego ſuſcipiam te. Si eſt quod tu dicis Caluine, æque poſſibile peccatrici animæ ad Deum reuerti, vt eſt mihi in cœlum ſcandere, an non pulchre derideret nos peccatores Deus inuitationibus eiuſmodi? Sed quod ſerio nobiſcum & egerit & loquatur, teſtatur vnigenitus eius filius, quem hominem factum, propter nos peccatores, in mortem tradidit: teſtantur & illæ conteſtationes, quas ſuis illis, vt audiſti, exhortationibus ad nos addidit, Ego dominus loquens veritatem, & annunciās recta. Ego Deus & non alius. Serio ergo nobis dici exiſtimemus a domino, vt reuertamur ad ſe: ita fore, vt ſuſcepturus ſit nos. Deſyderat quidem ſuſcipere nos omnes: ſed a nobis prærequirit, vt reuertamur a via qua in perditionem cucurrimus, et cōuertamur ad ſe: ad quod ipſum, nihilominus ſua gratia multipliciter nos præuenit, inſtigat, ſolicitat, pulſat: tamen a nobis hoc requirit, vt ad ſe ipſi conuertamur, quo conuertatur ad nos: vt ſibi cordis noſtri oſtium aperiamus, quo ingrediatur ad nos. Poteſtatis itaque noſtræ eſt, cum Dei, omnibus parato atque obuio adiutorio, reuerti ad ipſum. Quod niſi fecerimus ipſi priores, ille ad nos nō cōuertitur, nec ſua nos amicitia & iuſtificationis gratia dignatur. Quod an non iterum atq; iterum eodem loco apud eundem prophetam clariſſimis nobis verbis ſignificat? Reuertere, inquit, aduer

um conuerſio in noſtra poteſtate poſita.

ſatrix Iſrael ait dominus, & non auertam faciem meam a vobis, quia ſanctus ego ſum. Et iterum, Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. Audis quid dicat, Reuertere & non auertam. Conuertimini & ſanabo. Vides cui & ſanitatem & gratiam ſuam promittat: nempe reuertenti, & ſe ad ipſum conuertenti. Hæc ergo prærequiruntur ſanitati noſtræ atque eius gratiæ. Ante, vt nos ſimus corde humiliato, quo ſupplices imploremus eius miſericordiam, & contrito ſpiritu, ſynceroque corde pœnitentes diuinæ offenſæ, quam ipſe nos dignetur ſuo illo gratioſo & miſericordi reſpectu, etiam per Eſaiā iterum atque iterum nos conteſtatus eſt. Ad quem, inquit, aſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. Et rurſus, Hæc dicit excelſus & ſublimis habitans æternitatem & ſanctum nomen eius, in excelſo & ſancto habitans, & cum contrito et humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, & cor contritorum.

Vides quem ſuo illo miſericordi & gratioſo reſpectu dignetur: nēpe iam pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones eius. Vides quorum & ſpiritum & cor viuificet, humilium inquā, & contritorū. Noſtræ igitur partes ſunt, vt tales nos exhibere ſtudeamus, ſi gratiā domini quærimus, & viuificari corde & ſpiritu. In quo opere nec ille nobis laborantibus & ſatagentibus deerit: præſertim ſi noſtræ imbecillitatis conſcij, etiam eius, ea in re, imploremus auxilium, illius exemplo qui dixit, Cōuerte me & conuertar, quia tu dominus Deus meus. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam a nobis. Interim tamen nobis ipſi non deerimus. Ita fiet, vt ipſe nos ad ſe cōuertat, & nos ad ipſum reuertamur, & nos conuertamus, & ipſe viciſſim conuertatur ad nos, nos ſanet, ac viuificet. Pœnitentibus, inquit ille, dedit viam iuſtitię, & confirmauit deficientes ſuſtinere, & deſtinauit illis ſortem veritatis. Itaq; nemini quicquam per ipſum deeſt. Ipſe deficientes confirmat. Ipſe deſtinat illis ſortem veritatis: ſed neceſſe eſt, vt nos pœniteamus ante, vt reuertamur a vijs noſtris peſſimis & conuertamur ad ipſum. Hæc ſane duo, vniuerſa ſcriptura prærequirit a nobis, quo diuinam impetremus gratiam et miſericordiam: vt, inquam, auertamur a vita veteri: & ex corde pœniteamus diuinæ offenſæ: vtq; humiliter nos illi tradamus ac ſubmittamus. Quæ vbi pręſtiterimus, ipſe pro ſua benignitate libenter nos ſuſcipit: remittit vniuerſum debitum: ſanat contritiones noſtras: et virtutem, qua perſeueremus in eius amore & mandatorum obſeruantia, ſubminiſtrat. Hoc eſt, quod vbiq; clamat. Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael. Conuertere Iſrael ad dominum Deum tuum, quoniam corruiſti in iniquitate tua. Conuertimini ad dn̄m & dicite ei, Omnem aufer iniquitatem noſtram. Conuertimini ad me & ſalui eritis. Reuertere ad me, & ego ſuſcipiā te. Reuertere auerſatrix Iſrael, & non auertam faciem meā a vobis.

Duo neceſſario prærequiſita a nobis, quo diuinā impetremus gratiam.

bis, Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. Viuo ego dicit dominus, Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, Conuertimini a vijs veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael? Conuertimini & agite pœnitẽtiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et quare moriemini domus Iſrael? quia nolo mortem morientis dicit dominus Deus, Reuertimini & viuite. Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum, facite fructus dignos pœnitentiæ. Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.

Non vult mortem impij Deus, ſed magis vult vt conuertatur et agat pœnitentiam, & viuat. Ipſe tamen ſua illa omnipotenti voluntate ipſum non conuertit: ſed vt ipſe ſe conuertat, inuitare & adhortari illũ non ceſſat. Quod ſi negligat, etiam contra ſuamipſius voluntatem illũ moriturum denunciat: æque ſignificans in poteſtate eius ſitum, vt ad ſe reuertatur & viuat. Et quare, inquit; moriemini domus Iſrael? quia nolo mortem morientis: reuertimini, & viuite. Noſtrum proinde hoc eſt, reuerti & conuerti, Ipſius, reuertentes ſuſcipere, & viuificare. Et quanuis in conuerſione nobis non deſit, noſtrum tamen eſt, prius ad eandem conari. Quod per Hieremiam clariſſimis verbis ſignificat, Hæc, inquit, dicit dominus, Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis. Proinde, & ille, qui ipſum orat, vt ſe conuertat, quo conuertatur, iam illudipſum orando, ſe conuertit: aut ſaltem, conuertere incipit, & ad conuerſionem aſpirat. Vis ſcire quomodo ad pœnitentiam conuertat nos Deus? Apoſtolum audi, An diuitias, inquit, bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis cõtemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Sua, inquã, bonitate, patientia, longanimitate, non ſtatim pro peccatis noſtris iuſta nos damnationis percellens ſententia, ſed longanimiter expectans, dans tempus & locum pœnitentiæ: adhæc, multis medijs & occaſionibus, exhortationibus, beneficijs, aduerſitatibus & flagellis, ad eandem nos prouocans, ſolicitans, ſtimulans. Hinc illæ voces. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, introibo ad illum. Benignitas ergo Dei omnes ad pœnitentiam adducit & conuertit. Sed nunquid conuertuntur omnes? Dedit ei, inquit Iob, locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia. Et apud Iohannem, Hæc dicit filius Dei, Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere a fornicatione ſua. Ita quoque multiplicium caſtigationum & flagellorũ quibus peccatricem populum percuſſit per Eſaiã mentionem faciens, Et in his omnibus, inquit, non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta, & populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe, & dominum exercituum nõ exquiſierunt. Quid igitur?

Quãuis in peccatoris conuerſione dominus illi nõ deſit, eius tamen eſſe, prius conari ad eandem.

Vt Dei benignitas, oẽs ad pœnitentiã adducat & cõuertat, non tamen conuertantur omnes.

Quid obſtet, quo minus?

Ceſſandũ nobis eſt,et expectandum dum ipſe ſua nos illa omnipotẽti
virtute conuerterit? Imo, non ceſſat ipſe ſua illa omnes benignitate
conuertere: ſed qua cauſa, qua culpa non conuertamur iam intelligis.
Quia benignitate Dei abutimur in ſuperbia, & ipſi cõuerti nolumus,
Quia vocanti, aures obturamus, atque obduramus corda noſtra: pul
ſanti, vt ianuam aperiamus quo ingrediatur ad nos, non ſolum non
aperimus, ſed adhuc obdimus peſſulum. Ad corripientem, flagellan
tem, & percutientem nos non reuertimur, ſed in flagellis duriores con
tumacioreſque efficimur, Quia reuerti nolumus. Quare, inquit, auer
ſus eſt populus iſte in Hieruſalem auerſione contentioſa? Apprehen-
derunt mendacium & noluerunt reuerti. Et in Euangelio Chriſtus,
Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina con-
gregat pullos ſub alas? & noluiſti. Recte proinde ſubiunxit Apoſto-
lus, Secundum autem duriciem tuam & impœnitens cor tuum, the-
ſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti Dei iudicij, Qui red-
det vnicuique iuxta opera ſua.

Aduerſariorum doctrina, peccatores q̃d dicere doceat.

Hoc per te docentur Caluine peccatores dicere, quod dixiſſe domũ
Iſrael Deus per Ezechielẽ teſtatur, Fili hominis, inq̃t, dic ad domũ Iſra
el. Sic locuti eſtis, dicentes, Iniq̃tates noſtræ & peccata noſtra ſuper nos
ſunt, & in ipſis tabeſcimus. Quomõ ergo viuere poterimus? Hanc, in-
quam, plenam deſperationis vocem, ex veſtra doctrina vt concipiant,
vt emittant peccatores neceſſe eſt: adempta quippe ipſis omni reſpirã
di facultate, omni conatu, omni ſpe, omni deſyderio, ſed in vno Dei be
neplacito (de quo ipſis nihil cõſtare poteſt) omni cõuerſione eorũ repo
ſita. Et non audiunt quid illis ad hæc reſponderit miſericordiſſimus
dominus, Dic, inq̃t, ad eos. Viuo ego dicit dominus Deus, Nolo mor
tem impij, ſed vt conuertatur impius a via ſua mala, & viuat. Conuerti
mini a vijs veſtris peſſimis, Et quare moriemini domus Iſrael? Audite
ergo peccatores, quid vobis dicat dñs: & nolite audire quid vobis inſu
ſurret Lutherus, Philippus, Caluinus, & peſtes iſtiuſmodi, ſed illi vel
iuranti credite. Viuo ego dicit dominus, Nolo mortem impij, ſed con
tra volo vt conuertatur a via ſua. Vult ipſe vt conuertatur impius, &
non cõuertitur. Non ergo ſua illa omnipotenti efficacique voluntate
conuertit impium: ſed eam ponit in voluntate & arbitrio impij. Vt e-
ius culpa ſit ſi non conuertatur. Vult ipſe vt conuertatur: vt autẽ im-
pius hocipſum velit, illũ admonet atq; hortatur, Cõuertimini, inquit, a
vijs veſtris peſſimis, Et quare moriemini? Perinde ac ſi dicat, Ego q̃-
dem volo vos viuere, ſed vt & vos hocipſum velitis, neceſſe eſt. Si no-
lueritis, per vos ſtat, non per me, quo minus viuatis. In veſtra illud po-
teſtate ſitum eſt. Quandoquidem, quod ex me requiritur, vobis para-
tum eſt. Quare ergo moriemini?

Si vnius Dei in nobis opus ſit noſtra conuerſio, nec quicquam facia-
mus,

muſ,operamur,aut cooperamur nos. Quid rex Niniuæ ad denunciationẽ Ionæ,pœnitentiã agens in ſacco, & cinere, præconis voce edixit in populũ? Conuertatur vir a via ſua mala,& ab iniquitate q̃ eſt in manibus eorꝝ. Quis ſcit,ſi conuertatur & ignoſcat Deus,et reuertatur a furore iræ ſuæ,& nõ peribimus. Certe ex hoc intelligis communem ſenſum humani generis,hoc intelligentis,in noſtra poteſtate ſitum,cõuerti a vijs noſtris malis, & a peccatis noſtris. Quin audi, diuini ſpiritus, per os eiuſdem Prophetæ, de eoipſo clariſſimam definitionem & ſententiam,Et vidit,inquit,Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala,et miſertus eſt ſuper malitiã quam loquutus fuerat,vt faceret eis,et nõ fecit. Vidit,inquit, Deus. Quid? opus ſuũ,hoc eſt, conuerſionem,quã ipſe ſua illa abſoluta efficaciq; voluntate,in eis nihil ad eã conferentibus,aut cooperantibus fecit? certe hoc nõ dicit, Sed vidit opera eorum.Quęnam? Quia conuerſi ſunt de via ſua mala. Quomodo potuit clarius exprimere,peccatoris opus eſſe,conuerſionẽ ſuã? Quam tamen etiam opus ſuum eſſe non negauit qui author eſt omnium bonorum, Qui dixit velle ſe, vt conuertatur impius & viuat.

Ex facto Niniuitarum, demõſtratur communis ille eſſe ſenſus humani generis, In noſtra poteſtate ſitum, conuerti a peccatis noſtris ad dominum.

Vidit, inquit,Deus opera eorũ,& miſertus eſt eis.Miſertus eſt propter opera eorꝝ:quæ,etſi etiam ſua erant, non tamen ideo miſertus eſt, quia ſua,ſed quia illorum erant.Neq; enim hoc ipſis imputari poterat, ad promerendam aut obtinendam gratiam & miſericordiam, quod ipſe eos ſua miſericordia,vt conuerterẽtur,præuenerat,Quod prophetam ſuum ad illos miſerat,qui ni conuerterentur & pœniterent, inſtãs denũciaret exterminium. Sed reſpexit,inquit,opera eorum, quatenus proficiſcebantur a libero eorundem arbitrio:et illorum ergo,miſertus eſt eis.Non,quia illis hoc merebantur: ſed quia ipſe bonus & pius eſt. Quia benignus & miſericors, patiens et multæ miſericordiæ,pręſtabilis ſuper malitia:proinde miſertus eſt eis, vt intelligas,æque gratię hocipſum eſſe & miſericordię,tametſi operꝝ noſtrorꝝ præſtetur reſpectu.

Miſereri noſtri deũ, propter opera noſtra, quæ, tametſi etiam ſua ſint, non ideo tamẽ eorum reſpectu miſereri, quia ſua, ſed quia noſtra.

Si vnius Dei opus in nobis eſt,noſtra pœnitentia & conuerſio, nec quicquam ad eam conferimus,operamur, aut cooperamur nos, quid eſt,quod Chriſtus ciuitatibus illis in quibus multa miracula fecerat ſuam infidelitatem & obſtinationem exprobrans,& vę æternæ damnationis denunciãs,adiecit? Quia ſi in Tyro & Sidone factę fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis,olim in cilicio & cinere ſedentes pœniterent. Quo pacto ſunt cõſentanea iſta aut cohærentia, ſi eſt vera illa veſtra ſentẽtia? Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, q̃ factæ ſunt in vobis,quid? Deus operatus fuiſſet in eis cõuerſionem & pœnitentiam. Quid eſt hoc? Si illa abſoluta efficaciq; voluntate noluit eos conuertere,aut eis dare pœnitentiam,nunquid voluiſſet,ſi factę fuiſſent in eis virtutes illę? Cur id voluiſſet eis,ſi factæ fuiſſent in eis virtutes eiuſmodi, quod non voluit ciuitatibus ſuis, ob factas in eis eaſdem? Sed

hoc eſt, quod dicere voluit, illos tantis ſignis ſi vidiſſent ceſſuros fuiſſe, & acturos pœnitentiam, quibus ipſi non ceſſerant.

Poſtremo, ſi eſt quod hi affirmant, natura noſtra vniuerſa non niſi quoddam peccati ſemen, cui nec vel modica vel infirma ſuperſit bene agendi facultas, qua etſi per ſe & ſola non poſſit, opitulante tamen gratia diuina ſuas & ipſa partes vel ſecundas agat: ſi hæc neceſſario male agat: ſi opera bona, ante omnia vero, noſtram ad Deum conuerſionem, & veteris vitæ ſynceram pœnitentiam, in nobis efficaciter operatur vna ſolaque Dei gratia, cui nec reſiſtere poſſimus, cum nobis offertur inoperaturque a Deo, nec ſtudio, amore, deſyderio aſpirare ad eandem, nec nos illi vlla ratione præparare, neque cum adeſt, ſaltem pediſſequa voluntate eidem aut collaborare, aut obſequi: ſi & inchoat, & perficit Deus in nobis omne opus bonum, abſque vlla noſtra aut præuia, aut cooperante volũtatis operatione, dum corda noſtra efficaciter afficit, flectit, format, dirigit in iuſtitiam, nec poſſumus nos, vt multis, imo omnibus ſæculis eſt creditum, motioni diuinæ & obtemperare & refragari: Quid diuinus ſpiritus toties in ſcripturis tribuit nobis, acquieſcere diuinis monitionibus, & increpationibus: & aduerſus eas nos obdurare & nolle acquieſcere: Tradere manus noſtras domino: Pręparare & dare corda noſtra vt quęramus dominum: Præbere domino cor noſtrum: Inclinare corda noſtra ad ſequendum illum: Dirigere corda noſtra in viam rectam: Exquirere Deum in toto corde noſtro? Hæc ne ſunt, prorſus impotentum vlla ratione aſpirare ad diuinam gratiam? eandem deſyderare? eidem ſe præparare, ſe dare, acqeſcere, collaborare? imo neceſſario repugnantiũ diuinæ gratiæ etiam ſub ipſa gratia? Proponit per Salomonem egeſtatem & ignominiam, ei qui nõ acquieſcit diſciplinæ domini: acquieſcẽti, contra gloriam. Proinde & per Iob ita nos admonet, Acquieſce igitur ei, & habeto pacẽ, & per hæc habebis fructus optimos. Si reuerſus fueris ad omnipotentem, ędificaberis, & longe facies iniquitatẽ a tabernaculo tuo. Sicut contra dicit quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Noſtri proinde arbitrij eſt, acquieſcere Deo, aut nõ acquieſcere: aut nolle acquieſcere, & corda noſtra aduerſus diuinas admonitiones inſtigationeſque obdurare. Proinde, ita nos diuinus ſpiritus commonere non ceſſat, Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra: nolite, inquit, hoc noſtræ liberæ voluntatis eſſe ſignificans. Et per Zachariam prophetam de præuaricatore populo Iſrael, Et noluerunt, inquit, attendere, & auerterunt ſcapulam recedentes, & aures ſuas aggrauauerunt, & cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ miſit dominus exercituum in ſpiritu ſancto per manum prophetarum priorum. Quæ vniuerſa clare atteſtantur, in noſtræ voluntatis facultate ſitum, acquieſcere præueniẽti nos, & pro-

Noſtri arbitrij eſſe, acquieſcere Deo, nõ acquieſcere.

Corda noſtra aduerſus diuinas admonitiones obdurare, et cõtra, præbere, p̃parare, inclinare corda noſtra dño, &c.

Acquieſcere.

Nolle acquieſcere.

Aduerſus diuinas admonitiões corda noſtra obdurare.

& prouocāti ad bonum,ad noſtri conuerſionem,ad pœnitentiam, diuinæ gratiæ: & refragari eidem.

Præparare animam noſtram domino,& diuinæ gratiæ,a nobis exigi, & noſtræ facultatis eſſe, vniuerſa ſcriptura teſtatur, Hominis, inquit ille, eſt animam præparare. Et alter, Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam in tentationem. Et rurſus, Qui timent dominum, præparabunt corda ſua,& in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Et iterum, Ante orationē, præpara animam tuam. Noſtræ ergo facultatis eſt præparare animas noſtras domino,atque eius gratiæ: & ſanctificare in conſpectu eius animas noſtras. Proinde Samuel ita conuenit populum domini, Si in toto corde veſtro reuertimini, hoc eſt, reuerti proponitis ad dominū, auferte deos alienos e medio veſtri: & præparate corda veſtra domino,& ſeruite ei ſoli. Et has præparationes cordis noſtri illi gratas eſſe, Dauid teſtatur dicens, Deſyderium pauperum exaudiuit dominus, & præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Cuiuſmodi autem hæc ſit,Deo grata cordis noſtri præparatio,qua peccatores diuinę miſericordiæ & gratiæ efficaciter ſe præparant, per Hieremiam diuinus nos ſpiritus inſtruit,Scrutemur,inquit,vias noſtras: & quæramus, & reuertamur ad dominum: leuemus corda noſtra cum manibus ad dominum in cœlos,dicentes, Nos impie egimus, & ad iracundiā te prouocauimus,idcirco tu inexorabilis es. Hæc,inquam,eſt præparatio noſtri ad diuinam gratiam & miſericordiam,deteſtari vitam veterem & auerti ab ea, ex corde pœnitere diuinæ offenſæ,et humiliter confugere ad dñm,& fideliter implorare eius miſericordiam. Ad odium vitæ veteris,nos prouocat ex conſyderatione ſuæ in ſe dignitatis,pctōrum noſtrorum grauitatis ac turpitudinis,& miſerię, quam per ea incidimus. Scrutemur,inquit,vias noſtras,hoc eſt,q̄d alibi dicit, Leua oculos tuos in directum,& vide vbi nunc proſtrata ſis:confuſionem et ignominiā noſtram pluribus ſubiungens. Conuerſionem noſtri ad dñm clariſſimis verbis explicat,Leuemus,inquit,corda noſtra,hoc eſt,animum noſtrum,aut affectus noſtros,auerſos ab his terrenis, caducis & mortalibus,vna cum manibus, hoc eſt,operibus noſtris, in cœlos ad dominū, cum ſupplici oratione,agnoſcentes culpam noſtram,oſtendentes pœnitudinem, & deprecantes veniam.

Præparare animā noſtram Deo & eius gratiæ.

Gratas eſſe Deo, præparationes cordis noſtri.

Et quales.

Si autem horum omnium nihil noſtræ poteſtatis eſt,non magis q̄ tonare aut pluere,quid tantopere delirauit ille,qui & ſe & alios ad hæc facienda adhortatus eſt? Sed non delirauit ille niſi delirarit & diuinus qui per eum nobis loquitur ſpiritus. Qui & alibi cauſam dati in ſenſum reprobum Roboam regis exprimens, Non præparauit, inquit, cor ſuum vt quæreret dominum. Si nemo hominum poteſt præparare cor ſuum vt quærat dominum, non magis quam

Nota rationem.

digito cœlum tangere, quid hoc ſpecialiter de Roboam & velut cauſam reprobi eius ſenſus ſcriptura commeminit, quod eſt æque & piorum & impiorum omnium? Comminiſcere hic aliquid Caluine quod reſpondeas.

Præbere ac tradere nos corda noſtra ad quærendum & manus ad ſeruiẽdum domino.

Iam qui dat, qui præbet, qui tradit cor ſuum ad quærendum, & manus ſuas ad ſeruiendum domino, nihil ne ille tibi videtur agere? nullam poteſtatem eius quod dat aut tradit habere? Quomodo enim aut dabit aut tradet id in quo nullam prorſus poteſtatem obtinet? Vt autem præbeamus, demus ac tradamus corda noſtra, animas noſtras, & manus noſtras Deo, idem ipſe toties a nobis in ſcripturis exigit. Præbete, inquit, corda veſtra, & animas veſtras, vt quæratis dominum Deum veſtrum. Et rurſus, Nolite indurare ceruices veſtras, ſicut patres veſtri, tradite manus veſtras domino, & ſeruite domino Deo patrum veſtrorum, & auferetur a vobis ira furoris eius. Vides quoque quid ſit, tradere manus noſtras domino, nempe illi ſeruire, præceptis eius obſequi.

Cauilli remotio.

Et ne dicas (quando nihil tibi abſurdum eſt, modo veſtro Euangelio congruat) haud grauate vos admiſſuros, hoc vt & cætera pleraque præcepta nobis data, eſſe impoſſibilia, hanc tuam blaſphemam cauillationem velut præuidens, præuenit & excluſit ſacer ſpiritus, non ſolum impoſſibile id non eſſe, ſed perpetuo factum a pijs omnibus conteſtans, Sed & de cunctis, inquit, finibus Iſrael venerunt in Hieruſalem, ad immolandum victimas ſuas coram domino Deo patrum ſuorũ. Et tu poſſibile negabis quod diuinus ſpiritus factum affirmat? Proinde ille velut pius pater nos vt filios ad hoc ipſum exhortatur & inuitat, Præbe, inquit, fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas cuſtodiant. Non illudit nobis pius pater, ſed ſerio, nec ſtulte aut fruſtra, nos inuitat: non vt ſcandamus in cœlum, vt ſuper mare velut ſolida terra ſiccis pedibus incedamus, vt mortuos ſuſcitemus, cæcis viſum reſtituamus, (hæc enim noſtræ facultatis non ſunt) ſed ad ea nos inuitat in quibus obſequi in nobis ſitum eſt.

Inclinare cor noſtrũ Deo, Effundere coram eo cor noſtrum, Dirigere cor noſtrum in viam rectã.

Deniq; qui cor ſuũ inclinat Deo, qui effundit coram illo cor ſuum, Qui dirigit cor ſuum in viã rectã. Qui cuſtodit præcepta Dei, nihil ne agere aut operari tibi videt? nullã cordis ſui poteſtatẽ habere? Ad hæc ipſa diuinus nos ſpũs velut quæ noſtræ facultatis ſunt paſſim in ſcripturis inuitat, teſtatur etiam pios hæc egiſſe & agere. Nunc ergo, inqt, timete dñm, & ſeruite ei corde perfecto atq; veriſſimo, Dirige cor tuũ in viam rectã in qua ambulaſti, Inclinate corda veſtra ad dñm Deũ Iſrael. Et rurſus, Sperate in illo oĩs cõgregatio populi, effundite cõrã illo corda veſtra. Et ꝑ Salomonẽ diuina ſapiẽtia, Inclina cor tuũ ad cognoſcendã prudentiã, ſi eñ ſapientiã inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, ſi quæſieris eã ſicut pecuniã, & ſicut theſauros effoderis illã,

tunc

tunc intelliges timorem domini,& ſcientiam Dei inuenies, Quia dominus dat ſapientiam, & ex ore eius ſapientia & prudentia. Attende quid dicat, Dare quidem dominum illam veram ſapientiam, & prudentiam: nempe, per ſanctum ſuum ſpiritum, quem diffundit in cordibus noſtris: per quem nobis iam ſordent hæc terrena, caduca, mortalia, quæ ſola ſuſpicit,& admiratur vulgus mortalium,ſolis inhiat: ſapiunt autem illa vere bona, immortalia, & cœleſtia: ſapit ſolus Deus, qui nobis eſt omnia in omnibus: prudentes cautique reddimur, vt neglectis his, aſſequendis illis, toto inſiſtamus conatu & ex cordis deſyderio. Hæc ſapientia, hæc prudentia ex ore altiſſimi procedit,eius vnius donum eſt: ab vno datur: non,vt tu falſo imaginaris & aſſeris, pro abſoluto a ratione, ac irrationabili diuino beneplacito, quo ex duobus æque indignis, æque a ſe auerſis alterum eligit, cui ipſam dare velit,alterum auerſatur, reijcit, & dimittit, vt contabeſcat in ſua miſeria, vnde niſi illius beneplacito & ope non poteſt eripi. Quæ eſt indigna Deo de Deo & infinita eius bonitate cogitatio: quantumuis Auguſtinum & qui eius authoritatem ſequuti ſunt, aſſertores habeat. Quin & diuinis vbique ſcripturis coarguitur. Nam & iureiurando interpoſito nobis affirmat ille, nolle ſe mortem impij: imo velle vt conuertatur & viuat, modo & ipſe conuerti velit, ad quodipſum benignè inuitat omnes, & ſua illa antecedente gratia præuenit, vt per noſipſos tantum, nõ per illum ſtet,ſi non conuertamur & moriamur. Quare ergo, inquit, moriemini domus Iſrael? contra meam certe voluntatem,moriemini,qui te volo conuerti & viuere. Sed nec veterum quiſquam,quem mihi videre cõtigit ante Auguſtinũ, in hanc optimo Deo indignam,ne dicam crudelem, deſcendit ſententiam: ſed omnes affirmant nihil cuiquam ex Deo deeſſe, quo minus ſaluari poſſit. Sed diſputandi inquirendiq; nimia facilitas,ſedulitas, & libertas (vt etiam mihi liceat quod ſentio dicere.)Auguſtinum alicubi abripuit, nempe hominem. Vehementer inſtabat aduerſus impiam Pelagij aſſertionẽ, qua affirmabat diuinam gratiam,ſecundũ merita noſtra dari: & imaginabatur id merito velut debitum retribui, quicqd alicuius reſpectu datur,quod a vero abeſt longiſſime. Sed alibi huius tractationis locus eſt proprius: hic incidit.

Vera illa ſapientia, vt detur ab vno Deo.

Sed detur omnibus, quantũ ex ipſo eſt.

Contra opinionẽ Auguſtini.

Vt igitur ad inſtitutum reuertar. Cœleſtis illa ſapientia & prudentia ex ore altiſſimi prodit: vnius illius donum eſt: ab vno datur, non obtruditur:datur, quibus tandem? His qui illam inuocant: illam deſyderant: qui cor ſuum illi inclinant: Nam paruulorum hæc eſt, & humilium: non alta ſapientium, & humana ſapientia inflatorum. Confiteor, inquit, ille tibi pater, domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, Quoniam ſic placitum fuit ante te. His, inquam,

Quibus re ipſa detur cœleſtis illa ſapientia.

quam, datur, quærentibus eam quaſi pecuniam, & quaſi theſauros effodientibus. Et tu dicis homini impoſſibile vt cor ſuum inclinet domino Deo & diuinæ gratiæ? vt illum amet, deſyderet, quærat, inquirat, vt inueniat & accipiat a domino? Quid ergo mentitur ille qui dixit, Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem? imo, qui dixit in toto corde ſuo inquiſiuiſſe dominum?

Et quanquam etiam ex alijs ſcripturarum locis, vniuerſa hæc, Dei quoque eſſe conſtet, doceamurque ea, oratione a Deo petere: hoc noſtram & catholicam confirmat, non infirmat ſententiam, quæ neceſſariam coniugationem liberi arbitrij & diuinæ gratiæ in his omnibus aſſerit.

Vt itaq; ad ſuum caput hic recurrat oratio. Si qui ſunt aut erunt, qui tibi concedant Caluine, voluntatem ſuopte ingenio a Deo auerſam, ſola domini virtute conuerti poſſe, ſic vt ad noſtri conuerſionem nullæ voluntatis noſtræ partes ſint, vt quæ ad eam nec deſyderio nec ſtudio aſpirare aut præparare ſe poſſit, diuinis monitis, nec refragari, nec acquieſcere, cor ſuum inclinare Deo, aut dare ad quærendum Deum, is ex prædictis intelligat diuinarum ſcripturarum authoritati, &, quo dictatæ ac traditæ ſunt, ſpiritui contradicere. Sed hæc tibi ſatis magna impietas non eſt: niſi & obtineas, nec ſub gratia quidem ipſa, quanuis pediſſequam illi voluntatem, vllas vel ſecundas partes, habere in opere bono: imo totam aboleri oportere, & in eius locum nouam ſubſtitui. Qua in re, ſi teipſum quid velis intelligas, quiduis a te perferam æquo animo. Quam autem fruſtra labores in Auguſtini ſententia, cum intelliges cum prędicta legeris, Ex quibus, ſi tibi Auguſtini ſententia certa non eſt, neſcio quid certi vnquam tibi eſſe poterit, Nam quod Auguſtinum diligenter & cum ſtudio legeris, mihi ſane perſuadere non poſſum.

Quã impie atq; abſurde ſentiãt, nec ſub gratia quidem ipſa, q̃uis pediſſequã illi voluntatem, vel ſecundas vllas partes habere in bono opere.

Quam in Chryſoſtomo ſententiam damnas, affirmante: nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quicquam boni operari poſſe, ſed vtriuſque coniugationem eſſe neceſſariam: neceſſe eſt, eandem vt damnes, in definitione catholicæ eccleſiæ, quam ſupra tam multis aſtruximus, & in orthodoxis illis, quos audiſti, patribus omnibus. Quam & Auguſtinus tuus totidem pene verbis reddit libro III. Hyponoſticon aduerſus Pelagianos, Vbi liberum arbitrium iumento, gratiam ſeſſori haud inepte comparans, modo ratione præditum iumentum intelligas. Sicut, inq̃t, iumentũ vt dometur ad opus homini neceſſarium, de armento vagũ apprehendit, et incipit per curã domantis ſe, ad eius proficere voluntatem. Ita & liberũ arbitriũ q̃ vulneratum viuit in hõie, gratia dei apprehendit de armento luxuriæ huius ſæculi: in q̃ ſub paſtore diabolo vagabat̃ per incõgruas voluntates. Apprehẽditur

In Chryſoſtomo, docente neceſſariã coniugationẽ voluntatis & diuinæ gratiæ, vt damnent definitionem catholicæ eccleſiæ.

Vt eandẽ Auguſtinus clariſſime aſtruat.

Apta cõparatio, Gratiæ ad ſeſſorem, Arbitrij ad iumentum.

ditur ergo a gratia Dei, vt dixi,ad domandum,liberum arbitrium: vt malæ conuerſationis feritate depoſita,humilietur: & vt ad obediendũ in opus dño neceſſarium corrigatur: & ita per eius ſemper curam incipiat in Dei voluntate proficere.Sicut enim iumentum illud dum in via dirigitur,ſeſſoris manu regitur, vt iter rectum, ſiue leuiter ſiue curſim,ſecundum rectoris voluntatem incedat, quoaduſq; ad locum deſtinatum perueniat:ita liberum arbitrium, dum in via, id eſt, in Chriſto eſſe cœperit, gratiæ regimine regitur, vt in ſemitis domini, recto corde,ſiue patientia charitatis,ſiue feruente ſpiritu, hoc eſt, ſecundum diuiſiones gratiarum ſpiritus,poſſit ambulare,quoaduſque ad promiſſum regnum cœlorum perueniat. Ideo & in Pſalmis ait,Spiritus tuus bonus deducet me in rectam terram. Sicut ergo ſedens in iumento, dum peregerit iter quod inceſſit dicit, feci hodie, vtputa, triginta miliaria,cum illo ſedente, iumentum ea cucurrerit: ſed non cucurriſſet niſi a ſeſſore tam directum in via, quam gubernatum fuiſſet. Recte proinde ſe feciſſe dicit, qui iumentum facere fecit: & tamen vtriſque itineris labor imputatur. Ita & gratia, & liberum arbitrium peragit ſine dubio iter fidei liberum, dum Chriſtianus Dei præcepta facit, ſed non,vt ſupra dixi, ſine gratia dirigente vel gubernante: propter quod dicitur in Pſalmis, Dirige in conſpectu tuo viam meam, & domino hominis greſſus diriguntur.Itaque in hæc verba concludens.Nec gratia ergo ſine libero arbitrio facit hominem habere vitam æternam, nec liberum arbitrium ſine gratia. Hæc, inquam, Auguſtinus, tuus, vt videri vis, loco memorato. Quem cum legiſſe te alibi demonſtres, deſumpta ex eodem dicta ſimilitudine, ſeſſoris ad gratiam, iumenti ad noſtram voluntatem & arbitrium, miror quod hic id diſſimules, ſed vni Chryſoſtomo imputes quod commune eſt omnium: & quod ille, quem vnum pro te citas, clariſſimis verbis contra te affirmat. In quibus etiam hoc debuiſti animaduertere, non tolli per gratiam, noſtram voluntatem aut liberum arbitrium, & eius loco nouum creari: quin ipſum vulneratum apprehendi, vt dometur, & malæ conuerſationis depoſita feritate humilietur, corrigaturque ad obediendum domino in opus neceſſarium: vt in Dei ſemper voluntate proficiat, & viam mandatorum eius ambulet, vſque dum ad regnum cœlorum perueniat, Quin & eodem libro, aliquantum poſt prædicta, te tuoſque, multo odioſius compellit, Audi, inquit, hæretice, ſtulte, & inimice fidei veritatis. Opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant præparantur per gratiæ præuentum, nullo liberi arbitrij merito, & ipſa faciente, gubernante, perficiente, vt abundent in libero arbitrio, non damnamus, Quia ex his vel huiuſmodi homines Dei iuſtificati ſunt, iuſtificantur, & iuſtificabuntur in Chriſto. Hæc, inquam, ille, Quæ ſi ad vos non pertineant, negate

Quales Auguſtinus pronunciet aduerſarios nempe, hæreticos, ſtultos, & inimicos fidei veritatis.

vos

vos damnare liberi arbitrij opera bona: imo vniuerſum quantū quantum eſt damnare liberum arbitrium: negate vos illi negare omnem prorſus facultatem ad bene,iuſte, ſancteque viuendum, etiam vna cū adiuuante nos diuina gratia, Quod cum negare non poſſitis, videtis quale ille ipſe de vobis perhibeat teſtimonium,quem vnum pro vobis aduerſus multos,atq; adeo omnes, producitis: cuius refellendi vobiſipſis liberum ademiſtis arbitrium. Videtis, quales vos clariſſima ſua ſententia pronunciet: nempe hæreticos, ſtultos, & inimicos fidei veritatis.

Sed pergamus Caluinum excutere: cuius tamen ſi ſingula verba perſequamur, nunquam exitum inueniret oratio. In compendium proinde noſtris ſubinde verbis, ſub eius tamen perſona(quo diſputationis viciſſitudo procedat commodius)eiuſdem perſtringemus ſententiam,Cui ſi quicquam per nos detractum fuerit, ipſe queri poterit, & nos conuincere, Tu tamen fac lector,priorum ſemper memineris, & quibus ille rationibus conetur mortalium omnium conſenſum, apertam definitionem catholicæ eccleſiæ, tot ſanctorum, quot audiſti, patrum,imo omnium, eandem ſententiam euertere, ita fiet, vt vel nemine reſpondente vix audire dignaberis. Itaque in hunc fere modum pergit.

Caluinus. Quandoquidem in præcipuo cardine iam verſamur, ſummam rei paucis ac apertiſſimis tantum ſcripturæ teſtimonijs probatam complectamur: tum deinde,ne quis nos detorte perperam ſcripturæ inſimulet,Auguſtini teſtimonio, cui plurimum authoritatis merito confert piorum conſenſus, eandem oſtendemus non deſtitui: agedum igitur. Vt promiſſum præſtet, eandem quam diſcuſſimus hactenus, cantilenam repetit. Diuinis ſcripturis affirmari in conuerſione impij, dominum auferre illi lapideum cor, & dare cor carneum, ex quibus concludit quod ſupra,In conuerſione impij,cor vetus, veteremque voluntatem prorſus aboleri,& nouam creari,& in eius locum ſubſtitui.

Pighius. Iam his abunde reſponſum eſt.

Caluinus. Inueniri proinde oraſſe ſanctos, vt ad ſe inclinet cor noſtrum dominus.

Pighius. Inueniri nō minus nos admoneri per ſcripturas,vt ſibi inclinemus, ſibi præbeamus,ſibi præparemus, effundamus corā illo corda noſtra: eleuemus ea cum manibus ad ipſum in cœlos. Inueniri quoque hæc fieri ab his qui eius aſſequuntur gratiam, quemadmodum paulo ante copioſe demonſtrauimus. Quæ cum in vnum conferuntur, confirmant noſtram & catholicam ſententiam. Nec gratiam ſine libero arbitrio,nec liberum arbitrium ſine gratia.

Caluinus. Dauid autem cum rogat dominum vt cor mundum in ſe creet, & ſpiritum rectum innouet in viſceribus ſuis,an non omnes,inquit,cordis

dis ſui partes impuritate refectas agnoſcit, & ſpiritum obliqua prauitate contortum?

Pighius.

Agnoſcit cordis munditiem, & rectitudinem ſpiritus, Dei eſſe donum ac gratiam, Quam cum poſt peccatum grauiſſimum, adulterij, cumulatum crudeli deteſtandoque homicidio, oratione a Deo impetrare contendit, vtique demonſtrat peccatorem aſpirare ad gratiam poſſe:eam deſyderare, ad eam ſe præparare. Quæ vniuerſa e diametro cum veſtra pugnant ſententia.

Caluinus.

Nihil ſeuerius exigit dominus, quam vt religioſiſſime ſuum ſabbatum obſeruemus, quieſcendo ſcilicet ab operibus noſtris.

Pighius.

Nunquid etiam ab operibus miſericordiæ: a Dei cultu, amore, veneratione, & quæ huius generis ſunt? Omne, inquit, opus ſeruile non facietis in eo.

Caluinus.

Luculentum ſatis teſtimonium ſuis gratijs reddidit Chriſtus, ne maligne ſupprimerentur, Ego ſum, inquit, vitis: vos palmites: pater meus agricola eſt. Sicut palmes non poteſt a ſeipſo fructum ferre, niſi manſerit in vite:ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Quia ſine me nihil poteſtis facere.

Pighius.

Expenſio verborum Chriſti, Ego ſum vitis, vos palmites. Et, Pater meus agricola. Quod ſit agricolæ, vitis, et palmitum officium.

Recte ſane, Neq; em̃ eſt vlla ſcriptura, quæ euidentius veſtram condemnet, & noſtram confirmet ſententiam: nempe, nec voluntatem noſtram ſine gratia, nec gratiam ſine volũtate noſtra fructificare in nobis: quod clariſſime intelliges, ſi & Chriſti verba, & ſimilitudinẽ ipſam ad rem de qua agitur, cõtuleris & expenderis. Hoc primũ fac cogita, quid ſit agricolæ, quid vitis, quid palmitum officium: & intelliges quomodo Deo, quomodo Chriſto, quomodo nobis imputentur fructus vitæ & bonorum noſtrorum operum. Deus agricolæ vicem gerit, qui commoda omnia, vt fructuum vbertas abunde proueniat, prouidet: curat: & diſpenſat: fodit: ſtercorat: irrigat. Vitis, palmites ex ſe producit, palmites vero ex ſeſe botros & fructus: ad quos agricola etiam, ſed ſuo illo modo, cura, prouidentia, labore & opere, plurimum ſane confert, ita vt ſine illo non prouenirent: nõ tamen ipſe fructificare aut vuas producere proprie dicitur: ſed palmites ſunt qui proprie vuas producere dicuntur, & immediate fructificant. Ita quoq; & vitis, immediate & per ſe non fructificat, ſed per palmites quos producit, Qui etſi vim illam fructificandi quam habent, ex vite conceperunt, & inſuper genitalem illum humorem qui in fructus tranſit continuo concipiant, ſua tamen velut propria, quam ex vite conceperunt, forma, eſſentia, aut natura fructificant: nec inſerti alterius generis arbori, pruno videlicet aut piro, (quod quo pacto fiat norunt agricolæ, & tradunt Columella & cæteri ſcriptores rei ruſticæ) reſectique a vite, ceſſant vuas producere. Vnde conſtat, propria ſua vi, natura & forma, quam ſemel a vite conceperunt, & nõ, quã cõtinuo influxu a vite hauriunt, fructificare eoſdẽ

Cum ex pruno, cui inſerti æque fructificant, vuas producendi vim concipere non poſſint: quanuis ex eo genitalem illum rorem humorem que fructificationi neceſſarium, velut ex terra quadam, concipiant. Nunc ſimilitudinem ad rem confer, quam per eam, ipſa nobis explicare voluit veritas: atque eius verba diligenter perpende, & inuenies rem ita ſe habere vt diximus. Ego, inquit, ſum vitis: vos palmites: pater meus agricola eſt. Singulorum iam audiſti munia & officia propria, Quę vt rei propoſitæ apte recteque reſpondeant, ipſe pro ſe Chriſtus reſpondeat, Certe niſi reſponderent, ipſe ſuos, reſpondere hæc affirmans, ſtudio in errorem voluiſſet ſeducere. Sed nobis cum Chriſto, aut eo authore, errare, ſecurum eſt, qui nos iudicaturus eſt, Cui poſſemus errorẽ exprobranti dicere, Tu domine decepiſti nos. Sed abſit vt ille deceperit, vt aliter quam res habeat, affirmarit, & docuerit æterna veritas. Hoc proinde certum habeamus, propoſitam ab illo ſimilitudinem aptiſſime congruere rei propoſitæ, & ad vitæ bonorumque operum noſtrorum fructum, Chriſtum ſe habere, vt vitem ad racemos aut vuas: nos, vt palmites: Deum, vt agricolam. Ex quo iam intelligis, fructus vitæ, & racemos bonorum operum, immediate et proprie produci a nobis, & a vi germinatiua quæ eſt in nobis, & noſtra velut propria: tametſi eam & ex vite, & cœleſti illo agricola acceperimus, A nobis, inquam, inſertis viti Chriſto, & ab illo vitalem illum rorem diuinæ gratię, qui per ſuum ſpiritum nobis continuo influit haurientibus. Intelligis quoque haud inepte congruere illam ſimilitudinem, qua paulo ante Auguſtinus Deum atque eius gratiam, ſeſſori: nos, aut voluntatem noſtram iumento: opera bona quibus ad vitam & ſalutem tendimus, curſui comparauit, Qui, etſi ſit iumenti proprius: nihilominus etiam ad ſeſſorem, rectoremque recte refertur: ſine quo inſtigante & gubernante non cucurriſſet illud: certe non perueniſſet ad hunc terminum. Et ſimul intelligis falſiſſimum, nullam prorſus voluntati noſtræ, quanuis præuentæ, quanuis adiutæ diuina gratia, quanuis inſertæ Chriſto, vt viti palmes, virtutem facultatemque ad bonum opus competere: nullas eius eſſe in eo partes: ſed vnius ſoliuſque Dei in nobis hoc opus eſſe: perinde ac ſi eques quiſpiam, equum ligneum aut lapideum acciperet, atque illi inſidens currere eundem faceret: hic merito totum eſſet ſeſſoris aut equitis: nec quicquam ad curſum conferretur ab equo ligneo. Sed vbi equus ſua vi propria currit, eques calcaribus ad curſum ſtimulat, & habenis in viam rectam dirigit, quiſque intelligit, quæ cuiusque, & equi, & equitis, in curſu partes ſunt. Nũc verba Chriſti expende, num quid aliud ſignificare tibi videantur. Sicut palmes, inquit, non poteſt fructũ ferre a ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Attende quid dicat, Si palmes non poteſt ferre fructũ ex ſemetipſo, niſi in vite manſerit: ergo poteſt ferre fructũ ex ſemetipſo, ſi in vite perman-

Aptatio ſimilitudinis

Expende diligenter Chriſti verba.

permanſerit, Quẽadmodum & fructificare illũ ex ſeipſo, hoc eſt, propria ſua vi, virtute, forma aut eſſentia, q̃diu in vite permanet, iã demonſtrauimus. Sicut ergo palmes non põt fructificare ex ſeipſo niſi in vite permanſerit, ſic nec vos niſi in me manſeritis, Ergo, ſi in me manſeritis, poteritis vtiq; palmitũ inſtar, ex vobiſipſis, hoc eſt, propria natura vr̃a, quã a Deo tñ accepiſtis, fructificare, Quia ſine me, inqt, nihil poteſtis facere, Ergo mecũ poteſtis facere. Aperi oculos Caluine: potuit ne vllis verbis clarius noſtrã & catholicã probare, veſtram dãnare ſententiã? Vide proinde ne ex corꝫ ſis numero, quorꝫ mẽtes iuſto iudicio ſuo excæcauit Deus, vt non fulgeat in eis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti. Quam vero inepte, quã ridicule, velut cæcus in tenebris palpans, ex dictis Chriſti verbis, veſtrã impietatẽ ſtatuere, & noſtrã conaris oppugnare ſententiam, tibi parcens, & breuitati conſulens hic diſſimulo.

Caluinus.

Sed & Apoſtolus totam illi ſummam tranſcribit, cum dicit, Deus eſt, qui in vobis operatur & velle & perficere.

Pighius. Deum ſic operari in nobis velle et perficere vt nihilominus idẽ operetur libera voluntas noſtra.

Ad ineptiſſimas, quas inde collectiones moliris, iterum diſſimulo, vt aliquando inueniat exitum oratio. Cum Apoſtolo aũt pulchre nobis conuenit, Qui Deum operari in nobis & velle & perficere confitemur, ſed non ita vt nihil in nobis operetur voluntas noſtra, Nam ſi velle, vtiq; actus voluntatis eſt, agit igitur operaturq; voluntas. Quod ſi eiuſdem operis, eiuſdemque effectus plures eſſe non poſſe cauſas efficientes exiſtimas, ſtupidior profecto es, quam cum quo diſputari debeat. Non ergo ſuas partes ſurripimus domino, ſi & ſuas voluntati aſſeramus: niſi equiti ſuas illum partes negare dixeris, qui equum ingredi & currere affirmat: Deum negare cauſam omnium, qui ignem affirmat calefacere.

Caluinus.

Nec aliter, inquis, conſtare poſſet vnicum eſſe Deum, qui efficit omnia in omnibus.

Pighius. Vnicum Deũ facere omnia in omnibus, vt nihilominus creaturæ eius, quæq; in ſuo ordine faciant, q̃d ipſis conſtitutum eſt.

Imo æque conſtat vnicum Deum efficere oĩa in omnibus, qñ præter illum non eſt, qui efficiat omnia in omnibus: ſic tamen, vt creaturæ eius in ſuo ordine faciant, quæ facere ipſis dedit & conſtituit.

Caluinus.

Voluntatem proinde mouet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſtea electionis ſit, motioni eius aut obtemperare aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties a Chryſoſtomo repetitum, repudiari neceſſe eſt, Quem trahit, volentem trahit.

Pighius. Trahere nos Deum, ſed non niſi volentem, eius tractũ ſequi.

Omnibus ab initio ſæculis hocip̃m veriſſime traditũ eſſe, & creditum, iã euidenter a nobis demonſtratum eſt, Aduerſus quod nihil nos mouet, nec Lutheri, nec Caluini cõtraria aſſertio, Nec repudiari, ſed firmiter teneri illud toties repetitum a Chryſoſtomo, & ab orthodoxis omnibus ſemper creditum, oportuit. Voluntarium enĩ militem ſibi eligit Chriſtus: quemadmodũ voluntarium militẽ ſibi auctionatur dia-

bolus. Trahit ipſe, ſed trahit voluntatẽ: quæ ſi ſequitur trahentem, non poteſt niſi voluntate, aut volens ſequi. Ipſe ſtat ad oſtium cordis noſtri & pulſat, vt ianuam ſibi aperiamus, quo ingrediatur ad nos: ſed non vult ingredi niſi ipſi ianuam ſibi aperuerimus.

Caluinus.

Neque ſecus, inquis, accipi ſentẽtia Chriſti poteſt, Omnis q̃ audiuit a patre meo, venit ad me, quam vt efficacem a ſeipſa Dei gratiã doceat.

Pighius. Quomodo illud Chriſti accipiendum eſt, Omnis qui audiuit a patre meo, venit ad me. Non omnis qui trahitur a patre, ſed qui audiuit a patre, venit ad Chriſtũ.

Tibi non credimus Caluine ſecus accipi non poſſe hãc Chriſti ſententiam, Verbis illis præmittens cõtinuo Chriſtus, neminem poſſe venire ad ſe niſi trahatur a patre, præuenientem nos gratiã ad noſtri conuerſionem nobis neceſſariam ſignificat, Non tñ tractus illius abſolutã & neceſſariam efficaciam affirmat, nec dicit oẽm qui trahitur a patre, venire ad ipm, ſed ſine tractu patris neminem poſſe venire: neceſſe enim eſt, vt & tu trahentem vltro ſequaris, quo ad Chriſtum venias. Trahit quidem ille oẽm eum, cuius oſtium cordis quo ſibi aperiatur pulſat: nõ tamen trahentem ſequuntur omnes, nec pulſanti aperiunt. Illi autem ad Chriſtum veniunt, qui trahenti Deo auſcultant, et pulſanti aperiũt. Subiunxit propterea in hæc verba, Omnis qui audiuit a patre, & didicit, venit ad me, Non omnis qui trahitur a patre, ſed qui audiuit a patre, & didicit, hoc eſt, qui perſuaſus doctori acquieſcit (neq; eñ audire ſufficit, vt diſcas ſed vt perſuadearis, & recte docẽtis acquieſcas ſententiæ neceſſe eſt) hic venit ad me. Et quanq̃ audire, pro auſcultare & obſequi fere in ſcripturis accipiatur, etiã cũ ſimpliciter ponitur. Hoc tñ loco nolens nos vlla dubitatione, quid ſignificare vellet, teneri, addidit, Et qui didicit: hoc eſt, cui perſuaſum eſt. Qui ſe illi docibilẽ exhibuit Deo, Sicut, inquit, ſcriptum eſt in Prophetis, Et erunt oẽs docibiles dei, Non

Cyrillus. Qualis tractus ille.

eñ (inquit ille Cyrillus) cum dicit neminem poſſe venire ad ſe, niſi pater traxerit eum, vi quadam cogi trahiq; credentes putandum eſt: ſed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta, vt ille ſolus nouit, qui dignos cognouit. Non enim poſſumus, ſecundum eccleſiæ veritatiſque dogmata liberam poteſtatem hominis (quod liberum arbitriũ appellamus) vllo modo negare. Ita iuſti quidem præmijs propter iuſtitiam afficiuntur: qui vero male vixerint non iniuria puniuntur. Audis Caluine quo pacto illa Chriſti verba poſſint aliter, quam tu imaginaris, intelligi: imo vt debeant ad orthodoxæ veritatis doctrinam aliter intelligi. Audis & huius ſanctiſſimi doctiſſimiq; patris, prioribus omnibus quos audiſti conſonam de libera hominis poteſtate & ad bonum & malum ſententiam.

Caluinus. Quod nam dicat Oticanicum.

Oticanicum dicis id quod vulgo iactatur, Diuinam gratiã nemini denegari facienti quod in ſe eſt. Docendos quidem homines diuinam benignitatem expoſitam ſine exceptione omnibus, qui eam quærunt: ſed cum ij eam quærere incipiant, quibus diuina gratia aſpirauit, nec hanc quidem portiunculam de eius laude decerpendam fuiſſe.

Oticanicum quid dicas, non intelligo,Hoc ſcio,pioꝝ ab initio oĩm hanc fuiſſe de Dei benignitate certiſſimam ſententiã,eius gratiã & miſericordiã nemini denegari,facienti quod in ſe eſt, Quod ip̃m etiã iureiurando interpoſito nobis idemipſe Deus ꝑ Ezechielē affirmat, Viuo ego dicit dñs deus, Nolo mortē impij,ſed vt conuertatur impius a via ſua mala & viuat. Conuertimini a vijs veſtris peſſimis. Et quare moriemini domus Iſrael? Nolle ſe affirmat mortē impij,ſed cõtra velle vt cõuertatur & viuat:proinde ſi non cõuertitur,per ipſum nõ ſtat,quo minus:ſed ſtat per impium,ꝗ conuerti non vult,q̃uis Deus ip̃m conuerti velit ac deſyderet:Hortatur itaque illum vt conuertatur: ſignificans in eius poteſtate eſſe,vt ſaluetur a morte,Quare,inquit,moriemini domus Iſrael? cũ ego te viuere velim & cupiam? Imo dicta ſententia, velut ex ſe euidentia habens,naturali quodam naturæ ſenſu quem a Deo habemus,velut axioma quoddã in diuina philoſophia & pietatis doctrina ab omnibus recepta eſt. Sed his obſcuratum eſt cor inſipiens.

Pighius. Diuinã gratiam nemini denegari facienti q̃d in ſe eſt.

Quod docendos doces homines,expoſitam eſſe Dei benignitatem ſine exceptione omnibus qui eam quærunt,ſed eos tantum poſſe eam quærere,quibus iam domini gratia aſpirauit, quod in nullius poteſtate,ſed in vnius illius beneplacito ſitum eſt:ita agis cũ hominibus, perinde ac ſi ſtipites ſint. Hoc doces,omnibus expoſitam Dei gratiam, qui eam quærunt,ſed nullos poſſe eam quærere,priusq̃ ille ſuo beneplacito eandem,nec deſyderantibus, imo, auerſantibus intruſerit. Quid ergo hic aliud doces,quam nemini eandem eſſe expoſitam,nec quærendam cuiq̃? vt quæ quæri non poſſit antequam habeatur, & habita poſſeſſaqꝫ fruſtra quæritur:nec in cuiuſquam, quam in vnius Dei poteſtate ſit,habeatur an non habeatur. Hoc eſt Caluine docere homines? O doctores ſalutares & vere Euangelicos.

Nota lector,qualis horum doctrina ſit.

De Gratia Perſeuerantiæ.

De perſeuerantia,inquis, nihilomagis dubium futurum erat, quin habenda eſſet pro Dei dono gratuito, niſi inualuiſſet error peſſimus, hanc diſpenſari pro merito hominum, & prout quiſque non ingratum ſe præbuit primæ gratiæ. Quanquam hic biſariam erretur, Nam præterquam quod noſtram erga primam gratiam gratitudinem legittimumque vſum, poſterioribus donis remunerari docent, addunt etiam iam non ſolam gratiam in nobis operari, ſed eſſe tantum cooperatricem.

Caluinus. Quæ illi calũnientur in doctrina catholica.

Perſeuerantiam & nos gratuitum Dei donum confitemur,& nihilominus eam diſpenſari pro merito hoĩm credimus,et prout quiſqꝫ ſe non ingratum præbuit primæ gratiæ,atqꝫ ea gnauiter diligenterqꝫ vſus eſt, Aeque vt beatitudinem illam donari nobis a Deo,gratuito ſuo dono & gr̃a:& nihilominus dari pro merito hoĩm. Sed de meriti rõne ac natura,& cuiuſmodi id ſit quod nõ excludit gratiam,ſed vni innititur liberalitati & gratiæ,alibi egimus copioſius & commodius.

Pighius. Perſeuerantiam eſſe gratuitum donũ Dei, nihilominus diſpenſari eã pro merito hominum.

Remunerari a Deo, noſtram erga beneficia & dona ſua gratitudinem, ſuis donis poſterioribus & copioſioribus.

Parabola Euāgelica, hominis nobilis, q inter ſeruos ſuos, pecuniam ſuam diſtribuit.

Quod hic bifariam errari dicis, erras ipſe plus quam trifariam. Remunerari à Deo noſtram erga beneficia ſua gratitudinem, & legittimum vſum donorum ſuorum, donis poſterioribus & copioſioribus, tam euidenter Chriſtus affirmat, & nos docet in Euangelio, vt ſtupendum ſit hominem Chriſtianum, qui velit videri, de eo dubitare poſſe. Siquidem apud Lucam, propoſita parabola hominis nobilis proficiſcentis in regionem longinquam accipere ſibi regnum, qui pecuniam ſuam inter ſeruos ſuos, qua interim negotiarentur, diſtribuerat, Et factum eſt, inquit, vt rediret accepto regno, iuſſit vocari ſeruos ſuos, vt ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet. Venit autem primus dicens, Domine, mna tuum, decem mnas acquiſiuit, Et ait illi, Euge ſerue bone, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates. Alter quoque qui ſua mna, quinque lucratus fuerat, ad rationem lucri quod ex ſibi credita pecunia acquiſierat, accepit & ipſe præfecturam ſuper quinque ciuitates. Certum eſt autem, quod ſe, illum nobilem patremfamilias ſignificet: qui inter ſeruos ſuos ſua dona, ſuas gratias, diſtribuit: quibus quiſque negotiari iubetur. Certum inſuper, dum ſeruo qui mna ſua diligentiſſime ac vigilantiſſime vſus fuerat, pro ratione lucri in re modica, præfecturam addit ſuper ciuitates decem: æque & alteri qui eadem aut æquali gratia & ipſe quoque diligenter vſus fuerat, quanuis priorem non aſſequeretur, ad rationem lucri quod fecerat, præfecturam ſuper ciuitates quinque, hoc illum ſignificaſſe, legittimum vſum prioris gratiæ, remunerari poſterioribus donis vberioribus, ad rationem vſus gratiæ prioris quam acceperat. Certum poſtremo, non ſolam, per ſe in nobis operari & fructificare gratiam: ſed noſtrum ſtudium, noſtram diligentiam vna cum gratia. Vnde eadem mna, ſecundum ſtudium, induſtriam diligentiamque accipientium, in vno fructificauerat decem, in altero tantum quinque, ſed & in altero nihil. Qui, quod vti neglexit accepta gratia, eandem perdidit, & condemnationem ſerui inutilis accepit. Itaque & Apoſtolus gloriatur ſe plus omnibus laboraſſe, Non ego, inquit, ſed gratia Dei mecum. Laboraſſe affirmat, ſed non ſolum ſe, aut vnius ſua humana virtute: ſed cum adiutrice & cooperatrice diuina gratia. Quem locum hic ſibi Caluinus obijciens, Ad hanc, inquit, feſtucam, mirum eſt tot non malos alioqui homines impegiſſe, Non enim gratiā domini ſecum laboraſſe ſcribit Apoſtolus, vt ſe conſortem laboris faciat. Quid hic audio? An non ſcribit, non ſolum laboraſſe ſe, imo, quam cæteri omnes laboraſſe copioſius? Ergo cum ſubdit, Non ego tamen, ſed gratia Dei mecum, aut (vt tibi magis placet) quæ mihi aderat: non negat quod continuo affirmauit, laboraſſe ſe, nec ſimpliciter affirmauit, ſed laboraſſe ſe præ cæteris abundantius: ſed hoc eſt quod dicit, Non ego mea vnius, aut humana virtute, ſed gratia

Et quid ea ſignificet?

Vt eadem gratia, in diuerſis nō ſimiliter fructificet.

Apoſtolus, vt laboraſſe ſe plus omnibus, cū Dei gratia affirmet.

Dei quæ mihi aderat. Sibi tribuit laborē, gratiæ vero virtutē qua tantum laboris deſudare potuit. An qui currit, Caluine, qui certat & pugnat, qui caſtigat corpus ſuum et in ſeruitutē redigit, tibi laborare non videtur? Mihi ſane videtur. Ego autem ſic curro, inquit ille, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum et in ſeruitutē redigo. Et rurſus, Iam pene defunctus laboribus, & coronæ appropinquans, Bonum, inquit, certamen certaui, fidē ſeruaui, curſum cōſummaui. De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitię. Et tu hunc laboraſſe, ſe, & collaboraſſe diuinæ gratię negare affirmas? Imo ſi ſermonis proprietatē attendas, quod merito debebas homo grāmaticus, & rhetoricus, inuenies, hoc Deo aut diuinæ gratiæ non conuenire, vt laboret. Nam laborare, eſt cum difficultate & nonnulla pœna aut fatigatione operari: quod diuinæ gratiæ non conuenit. Proinde vniuerſus labor, noſter eſt: & merito nobis aſcribitur: gratia vt ſatisfaciamus labori virtutem ſubminiſtrat. Itaq; non Paulus ſolus in labore fuit, quanuis laborauerit ſolus: ſed adiutricem ſecum habuit diuinam gratiam, cui tranſcribit, nō laborem, qui humanæ infirmitatis eſt: ſed virtutē, qua labori ſuffecit, nec ſuccubuit. Tu nullas partes nos habere vis in bono opere, nihil nos operari, ſed operari vnam ſolamq; in nobis diuinam gratiā: Quis eſt ergo ille operarius quem Chriſtus dignū mercede pronunciauit? Qui & illi, quos ille cœleſtis paterfamilias conduxit in vineā ſuā, & cuiq; pro opere & labore mercedē reddidit? Nunquid diuina gratia? O diligentes et oculatos ſcripturarū excuſſores: quas tñ ſibi ſolis arrogant. Debuiſſes ſaltem ab Auguſtino tuo diſcere germanā dicti Paulini intelligentiam, per quē cap. V. libri de gratia & libero arbitrio, vtriuſq; neceſſariā cōiugationem in opere bono cōprobans, Gratiam, inquit, confitetur Paulus dicens, Gratia Dei ſum, id quod ſum, liberum tamen arbitrium coniungēs addidit continuo, Et gratia eius in me vacua non fuit, Sed plus illis omnibus laboraui. Hocipſum liberum arbitrium exhortatur & in alijs, quibus dicit, Rogamus ne in vacuū gratiā Dei ſuſcipiatis. Vt quid eñ eos rogat, ſi ſic gratiam acceperunt, vt propriam voluntatem perderēt? Tamē ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur aliquid boni poſſe, continuo cum dixiſſet, Gratia eius in me vacua nō fuit, ſed plus omnibus illis laboraui, ſubiunxit, Nō ego autem, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc, nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Hactenus Auguſtinus.

Vt vni ſibi laborē tribuerit, gratiæ autem Dei, virtutē, qua tantum laboris deſudare potuit.

Deo, aut eius gratiæ, non conuenire vt laboret.

In labore, nō eſſe nos ſolos, quāuis laboremus ſoli.

Auguſtinus, vt exponat dictam Apoſtoli ſententiam & ex ea neceſſariam cōiugationem gratiæ & liberi arbitrij aſtruat.

Audiamus, inqt, nunc Auguſt. ſuis verbis loquentē, ne ętatis noſtrę Pelagiani, hoc eſt, Sorbonici Sophiſtæ totā vetuſtatē nobis aduerſam pro ſuo more criminentur, In quo ſcilicet patrem ſuū Pelagium imitantur, a quo in eandem olim arenam ipſe Auguſtinus protractus eſt. Caluinus.

Audiſti opinor iam Auguſtinū haud obſcure loquentē Caluine: ad cuius qñ ſententiam prouocas, abſq; vlla te controuerſia vicimus. Audiſti Pighius.

diſti demonſtratam a nobis certiſſimam, clariſſimam, & ſibi vndique conſonantem eius ſentẽtiam: non ex vno quopiam operum eius loco, ſed pene vniuerſis: non obiter, nec decerptis quę noſtro commodo ſeruiunt, truncis verbis (qui tibi tuiſque mos eſt) ſed plenis, quod aiunt, velis, & vbique ab origine altius repetita, & per vniuerſa membra ad extremum vſque perducta explicataque eadem eius ſententia: vt de ea nuſquam dubitare quis poſſit: præſertim quæ ex tam multis, tam varijs eius libris, vbique ſibi demonſtratur conſona. Quam in dubium vocare merito non deberet, etiamſi vno aliquo loco (quod non tam aſſerendi, quam inquirendi, tentandi, atq; omnia excutiendi ſtudio in alijs multis, quanuis certiſſimis, ſæpe facit) diuerſæ videretur fauere ſententiæ. Tamen quia illam ipſam quã hactenus aſtruximus ſententiam, velut natura docente euidentem, & mortalium omnium conſenſu probatam, & eccleſiaſtica definitione certam, idem ipſe vbiq; affirmat, confidimus in vniuerſo Auguſtino, nec verbum te inuenturũ quod aduerſetur eidem ſententiæ: nec poſthac te inſultaturum Theologis (quos Sorbonicos Sophiſtas tuo more & modeſtia compellas) vniuerſam tibi vetuſtatem aduerſari clamantibus. Quod pro illis ita euidens fecimus, vt ab hac tua tam iniurioſa compellatione liberos deinceps futuros non dubitem.

Caluinus. Perſtringit ſummam ſentẽtię Auguſtini, libro de correptione & gratia.

Libro, inquis, de correptione & gratia ad Valentinũ fuſius exequitur (quod breuiter eius tamen verbis referam) gratiam perſiſtendi in bono, Adę fuiſſe datam ſi vellet, nobis dari vt velimus, ac voluntate cõcupiſcentiam ſuperemus. Habuiſſe ergo illum, poſſe ſi vellet, ſed non velle vt poſſet, Nobis & velle dari, & poſſe. Primam fuiſſe libertatem, poſſe non peccare: noſtram eſſe multo maiorem, nõ poſſe peccare. Ac ne de futura, inquis, poſt immortalitatem perfectione loqui putetur, ſcrupulũ hunc paulo poſt eximit. Tantum quippe, inquit, ſpiritu ſancto accenditur voluntas ſanctorũ, vt ideo poſſint, q̃a ſic volunt, ideo velint, q̃a Deus operatur vt ſic velint. Nã ſi in tanta infirmitate, in qua tñ ad reprimendã elationem, perfici virtutem decet, ipſis relinquatur voluntas ſua, vt adiutorio Dei poſſint ſi velint, nec Deus operetur in eis vt velint, inter tot tẽtationes infirmitate voluntas ipſa ſuccũberet, ideoque perſeuerare nõ poſſent. Subuentũ eſt ergo volũtati infirmitatis humanę, vt gratia Dei indeclinabiliter et inſuperabiliter ageretur: ideoq; quãtumuis infirma, nõ deficeret. Tractat, inquis, deinde copioſius, quõ corda noſtra Dei afficientis neceſſario ſequantur motum, ac dicit quidẽ dñm homines ſuis voluntatibus trahere, ſed quas ipſe operatus eſt.

Pighius.

Quanq̃ libro dicto Auguſtinus, in quæſtione quã pertractat ſingulari difficultate perplexus teneatur, ob ſuam (quæ nobis nõ probatur, et diuinę bonitati congruere non videtur) de electione & prædeſtinatione certorum quorundam, quos ab initio abſolute deſtinari ſuę gloriæ et

riæ et

riæ & beatitudinis conſortio, et in quos miſericordiam ſuam explica re modis omnibus voluerit, & auerſione a cæteris, in pari, imo ea dem cauſa, quos deſtinauerit ad interitum, & ſua illa miſericordi gra tia impartiri noluerit; eoque ſuæ voluntatis & liberæ electionis pro poſito ac beneplacito vaſa miſericordiæ ſuæ a maſſa damnationis diſ creuerit: ad quam diſcretionem refert, vt illis in bonum prouidean tur, procurentur, proficiant, cooperenturque omnia: his nihil in bo num proficiat, nihil adhibeatur vtiliter. Quod dicenti, non eſt facile, ne dicam impoſſibile, vtilitatem magnam correptionis tueri. Quan doquidem, illos, cap. IX. eiuſdem libri affirmat omnino perire nõ poſ ſe. Proinde etiamſi non corripiantur a nobis, Deum ſuæ diſpoſitioni ſuoq; beneplacito in illis, ſibi quoq; placitum medium ad conuerſionẽ eorum inuenturum. His vero ſecundum eandem ſententiam, niſi ad maiorem damnationis cumulum proficere nõ poterit: quippe nõ po tentibus correptioni acquieſcere & venire ad Chriſtũ, vt qui nõ trahã tur a patre. Itaq;, cum ex correptiõe certũ proponatur damnũ, ſi corre pti ex illo electorꝫ numero non ſint: nempe grauioris damnationis eo rundẽ: ex eius omiſſione nihil dãni metui poſſit, ex illo numero ſi ſint: cũ iis, æque ſuæ conuerſionis & ſalutis media deeſſe non poſſint, ſiue corripiantur, ſiue non corripiantur a nobis: quæ erit correptionis ne ceſſitas? imo quæ vtilitas? Quam tamen difficultatem ſibi propriam diſſimulans, alio, vt mox videbitur, refert omnia. Quod vero ad præ ſentem, quæ nunc agitatur inter nos, controuerſiam pertinet, Auguſti nus eandem quam ſupra audiſti ſentẽtiam perpetuo tuetur & aſſerit.

In queſtiõe de correptionis vtilitate, Auguſtinus ex opiniõe ſua de certorũ electione, & reprobatione aliorum, vt perplexus hæreat.

Vt ſecundum illam Auguſtini ſententiam exigua, aut potius nulla foret correptionis vtilitas.

Inprimis hortatur Valentinum cum fratribus ſuis, vt librum ſuũ, quem de gratia & libero arbitrio illis ſcripſit, diligenter perlegant, nec ſemel legiſſe contenti ſint, ſed legant iterum atque iterum quo eius aſſequantur ſententiam: ad eius intelligentiam promittens affore diui næ gratiæ adiutorium. Proinde quæ in illo aſtruxit, hic non deſtruit ſed confirmat potius. Aſtruxit autem (quod ſupra audiſti) per ſcri pturas ſuas reuelaſſe nobis Deum, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium: primum, quia præcepta illi dedit, quæ prodeſſe eidẽ non poſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promiſſa præmia perueniret. Deinde, quod præter rationẽ tam mul tis locis omnia mandata ſua cuſtodiri a nobis et fieri ille iuberet. Quõ eñ iubet, inquit, ſi non eſt liberum voluntatis arbitriũ? Ad hæc, Quor ſum tam multa mandata, quæ ipſam quodãmodo voluntatẽ nomina tim conueniunt, paſſim in ſcripturis occurrunt? Noli hoc, Noli illud. Vbi aũt ad aliqd faciendum aut nõ faciendũ in diuinis monitis opus volũtatis exigitur, ſatis liberꝫ demonſtratur arbitriũ. Nemo ergo, inqt, Deũ cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſq; cũ peccat: neq; cũ a liqd ſecundum Deũ operatur, alienet hoc a propria voluntate. Quan

Euidenter cõuincitur falſiſſima aduerſariorum ſentẽtia, ex eiuſdem Auguſtini eodẽ libro, ſententia.

do enim

do enim volens facit, tunc dicendum eſt opus bonum: tunc ſperanda eſt boni operis merces, ab eo, qui reddit vnicuique ſecundum opera ſua. Iubet nihilominus meminiſſe quenque, ſic eſſe ſe liberi arbitrij, vt ad vitam piam, & conuerſationem bonam cui merces debetur æterna, diuinæ gratiæ adiutorio ſe opus habere intelligat; Id quod multis diuinarum ſcripturarum teſtimonijs aſtruit. Hæc ergo libro hoc de correptione & gratia, velut principia præſupponit nō deſtruit. Ex quibus mox ſequitur Auguſtini ſententia, falſiſſimam eſſe veſtram ſententiam & a ſua alieniſſimā. Affirmat ille totius diuinæ ſcripturæ authoritate demonſtrari, nobis eſſe liberum ad Dei præcepta implenda arbitrium: tu contra negas. Affirmat ille nobis opus eſſe adiutorio diuinæ gratiæ, tu eam affirmas nos non adiuuare, vt aliquid faciamus ipſi, ſed totum facere, nos vero nihil niſi quod malum eſt facere. Audiamus nihilominus eandem hanc eius, etiam ex hoc quem citas libro, ſententiam.

Anthiteſis ſententiæ Auguſtini lib. de gratia & libero arbitrio quæ dicto libro, de correp. præſupponitur, & aduerſariorū.

Libri de correp. & gra. ſententia ſummatim pſtringitur.

Poſt exhortationem ad diligentem iteratamq́ lectionem præfati libri de gratia & libero arbitrio, & promiſſionem adiutorij diuinæ gratiæ ad aſſequendam eius intelligentiam, ſubiungit dominum non ſolum nobis oſtendere a quo malo declinemus, & quod bonum faciamus, quod vnum poſſit legis litera: verum etiam adiuuare nos, vt declinemus a malo, & faciamus bonum: quod nemo poſſit ſine ſpiritu gratiæ. Quæ ſi deſit, ad hoc legem adeſſe, vt reos faciat & occidat. Qua tamen qui legittime vtitur diſcat in ea malum & bonum, & non confidens in virtute ſua, ad auxilium gratiæ confugiat, qua præſtante declinet a malo & faciat bonum. Nō confugere tamen ad gratiā, niſi cuius greſſus diriguntur a dño. Proinde initiū eſſe gratię, deſyderare auxiliū gratiæ, Hoc illū intellexiſſe qui ait, Et dixi, nunc cœpi, hæc eſt mutatio dextræ excelſi. Et ſubiungit in hæc verba, Liberū itaq; arbitrium et ad bonum & malum confitēdum eſt nos habere. In bono tamen nos indigere liberatoris noſtri auxilio, vt ab illo audientes, Sine me nihil poteſtis facere, viciſſim dicamus et ipſi, Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. Hanc fidem ſine dubio veram, & propheticam, atq; apoſtolicam affirmat. Quod ſi eſt, veſtra, ſit falſa, ſit perfida, ſit propheticæ atq; apoſtolicæ fidei contraria, neceſſe eſt: vt quæ cum hac pugnat e diametro.

Notēt hæc aduerſarij.

Veniens deinde ad huius libri argumentum, atque eius occaſionē, ex eo quod præmiſſum eſt, repetens: a domino eſſe, vt declinemus a malo, & faciamus bonum, & hocipſum ex Apoſtolo cōprobans, qui Deum orarit pro Corinthijs ne quid male facererit, ſed vt quod bonū eſt facerent: & non ſolū vt illa cauerent, hæc facerent, docuerit, admonuerit, atq; exhortatus illos ſit: ſubiungit impiam quorundam ſententiam, qui ſtulte imaginabantur gratiam ſic aſſeri vt eſſet ſuperuacanea correptio. Quorſum ē̄m, inquiūt, a nobis exigitur vt declinemus a malo

Aduerſus eos dicto libro pugnare Auguſtinū, q imaginabātur ſic aſſeri gratiam vt eſſet ſuperuacanea correptio.

malo

malo & faciamus bonū:ſi hoc nos nō agimus, ſed id nos velle & operari Deus operatur in nobis? Doceant nos tantū qui nobis præſunt, quid debeamus facere: & vt faciamus orent pro nobis: non autem nos corripiant & arguant ſi non fecerimus. Nam quo meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, a quo niſi detur haberi non poteſt ab alio? Præcipe mihi, quid faciam: & ſi fecero, age gratias Deo, qui mihi dedit vt facerem: ſi autem non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus eſt, vt det quod non dedit: id eſt, ipſam, qua præcepta eius fiant, fidelem Dei & proximi charitatem. Ora ergo pro me, vt hanc accipiam, & per hanc, ex animo quæ præcepit faciam. Recte autem corriperer, ſi eam mea culpa non haberem: hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare aut ſumere ipſe, nec facerem: ſi dante illo accipere noluiſſem. Eiuſmodi ſane impias blaſphemaſque cogitationes etiam veſtra doctrina peccatoribus ſuggerit, cum audiunt hanc gratiam qua vitantur mala, & fiunt bona, adeo ex vno Dei beneplacito pendere, vt nec aſpirare ad eam, nec deſyderare eam poſſimus, priuſquam ille ſuo, quos eadem dignatur, beneplacito, eandem dederit. Quorum errori ſane quam peſtilentiſſimo Auguſtinus hoc libro ſtudens occurrere, & prophetarum, & Chriſti, & Apoſtolorum eius exemplo comprobat, non oratione tantum, ſed etiam exhortatione, admonitione, correptioneque agendum cum peccatoribus, vt reſipiſcant, pœniteant, reuertanturque ad dominum, In quo ſimul oſtendit, illud ipſum in eorum ſitum poteſtate. Quod niſi eſſet, fruſtra (quod idem ipſe tam multis locis velut per ſe notorium affirmat) inſu merentur eiuſmodi: perinde ac ſi quem hortari pergerem, vt recta in cœlum ſcanderet, & corriperem quod non faceret. Qua in re nihil facerem aliud, quam quod meam ſtultitiam proderem. Proinde inutilem correptionem affirmantes, idem admonet, vt intelligant, filios Dei diuino ſpiritu agi, vt agant quod agendum eſt: vt cum egerint, illi a quo aguntur gratias agant, Aguntur enim, inquit, vt agant, non vt ipſi nihil agant: & hoc monentur, quid agere debeant, vt quando id agunt ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione, ſuauitatem iuſtitiæ quam dedit dominus, vt terra eius daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant. Quando autem non ita agunt, conari eos oportere vt agant, & orare, vt quod nondum habent, accipiant. Eo correptionem peccatoris ſpectare, vt vitia ſibi ſua monſtrentur, vt feriantur, vtiliterque indoleſcat, quo medicū requirat, quo ſibi diſplicēs reformatorem deſyderet, eique ſupplicet, ne in fœditate illa remaneat.

Quod ipſum etiā ad Aduerſariorū ſententiam neceſſario ſequitur.

Quo pacto Auguſtinus illā eorum ſentētiam coarguat.

Hæc ſumma eſt eorum quæ profert Auguſtinus aduerſus eos qui correptionem affirma bant inutilem. Quæ vides omnia vt e diametro ſtent cum tua ſententia, ad quam euidenter conſequitur, nullam neque admonitionis neque correptionis vtilitatem eſſe poſſe, etiam quicquid

commi

comminiſcaris tu. Nam ſi malum cauere, & bonum facere poſſit nemo abſque dono diuinæ gratiæ, ſi inſuper ea ſola, ſine nobis, hoc in nobis operetur & præſtet, nec in noſtra poteſtate ſit non ſolum vt adſit, ſed nec optare quidem vt adſit priuſquam adſit, magis foret ridiculum adhortari quenquam declinare a malo & bonum facere, & corripere quod non faceret, quam ſi hortaremur cæcum vt videret, claudum vt recte expediteque incederet: & corriperemus quod non ita facerent. Cum hi, ſaltem optare poſſint, quibus carent, ille viſum, hic curſum, quo admonerentur: quod peccatori ad declinandum a malo, & faciendum bonum non relinquit veſtra ſententia. Quanquam etiam Auguſtinum, quod ſupra diximus, in hac quæſtione difficultas immenſa perplexum tenebat. Cuius tametſi cauſam diſſimulet, difficultatem tamen quæ ſibi verſabatur ob oculos diſſimulare non potuit. Quæ illum neceſſario detinet, quiſquis vniuerſa quæ aguntur, in electis et reprobis, ad Dei beneplacitum electionemque refert, qua ex illa damnationis maſſa ſelectos ſegregauit quoſdam, in quos benignitatis & miſericordiæ ſuæ dona vbertim effunderet: auerſus a reliquis, tametſi in pari atque adeo eadem cauſa exiſtentibus, quos permiſſos in putredine ſua contabeſcere, deſtinarit ad perditionem & interitum. Ex qua ſegregatione, electione, ac diuino beneplacito dependeat, vt et illis ad ſalutem prouideantur curenturque omnia, cooperenturque vniuerſa in bonum: & contra his, nihil cedat bene: nullum quantumuis ſalutare pharmacum adhibeatur vtiliter, aut proficiat. Hinc illi re vera pendebat merito magna difficultas & perplexitas, Non inde (quo tamen ſolum reſpexiſſe videtur) quod & conuerſio impij, & profectus in bono, & vſque in finem perſeuerantia ex Dei dono & gratia dependeant: ſed inde, quod hanc gratiam intelligebat non omnibus expoſitam: nec noſtro aut ſtudio, aut conatu poſſe nos conſequi, ſed ex vno illo pendere Dei beneplacito, quo, electos ſuos dignaretur eadem, non dignaretur alios. Hinc multæ illi quæſtiones inſolubiles, & in quibus nihil habet quod reſpondeat aliud, quam illud Apoſtoli, O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Et, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, q̄ incōprehēſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quæ vt in pleriſq; & recte & neceſſario reſpōdentur: ita in his in qbus ipſe ob dictā ſuā hypoteſim ad ea confugere cogitur, nobis nihil neceſſe eſt, nec vlla in hac quæſtione difficultas occurrit. Vt qui infinitam Dei bonitatē conſtituiſſe ab initio, vniuerſum ad hoc genus humanū condere, quo ſuæ beatitudinis foret particeps abſq; vlla diſtinctione credimus, ſi tamen aliquo obediētiæ merito probatū, ſuo conditori libera voluntate adhæreret: non vero hos condere voluiſſe vt ſaluarentur, illos vero, vt interirent. Eundem ſemper animum, quod ex ipſo equidem eſt, ſeruaſſe

[Margin: Auguſtinū, quæ difficultas in hac quæſtione perplexum tenuerit.]

[Margin: Vt illa difficultas, nō ex re ipſa, ſed ex hypoteſi falſa oriatur.]

uaſſe & ſeruare erga omnes: vt ſicut eſt communis creator omnium, ita & omnibus pater ſit: non his pater, illis vitricus: erga omnes benignus, & miſericors. Nolle eum mortem impij, ſed magis velle vt conuertatur a via ſua mala & viuat: Velle ipſum omnes fieri ſaluos, & ad agnitionem veritatis venire. Itaque & omnibus, quod ex ipſo eſt, ſemper expoſitam eius gratiam: nec vlli deeſſe, facienti quod in ſe eſt. Vtiliter proinde omnes corripi, vt quod poſſint faciant: ſuam deplorent miſeriam, doleant quod a ſummo bono receſſerunt: quod pijſſimum dominum, qui nihil a nobis niſi noſtræ vtilitatis cauſa exigit, offenderunt: eius quærant miſericordiam: petant veniam: ſupplici oratione eius implorent auxilium, quod fideliter petentibus non deerit. Sed exemplo aliquo quod dicimus, vtrinque illuſtrandum eſt, vt clarius intelligas, verum quod dicimus. Electos, ille, Dei, quos dignatur perſeuerantiæ munere, diſtinguens ab alijs hic quidem pro tēpore ſancte pieque viuentibus, tamen lapſuris finaliter, vt qui a maſſa illa perditionis, Dei præſcientia ac prædeſtinatione, diſcreti non ſint, & proinde nec electi, nec vocati ſecundum propoſitum, quanuis cū credunt & baptizantur, & ſecundum Deum viuunt, electi dicantur a neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo qui nouit eos non habere perſeuerantiam, quæ ad vitam beatam perducit electos. Hic, inquit, ſi a me quæratur, cur filijs illis ſuis Deus, quos regenerauit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, & dilectionem, qua Chriſtiane viuerent, dedit, perſeuerantiam non dederit: cum filijs alienis ſcelera tanta dimittat, atqꝫ impartita gratia filios ſuos faciat? me ignorare reſpondeo. Agnoſcēs enim modulū meū, audio dicentem Apoſtolum, O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Et, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Tu autem, quiſquis inimicus eius gratiæ ſic interrogas, ipſe quid dicis? Si confiteris Dei donum eſſe, perſeuerare in bono vſque in finem: cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat? puto quod mecum pariter neſcis: & ambo, hic inſcrutabilia iudicia Dei penetrare non poſſumus. Aut ſi ad liberum hominis arbitrium, quod non ſecundum Dei gratiam, ſed contra eam defendis, pertinere dicis, vt perſeueret in bono quiſque, vel non perſeueret: & non Deo dante ſi perſeueret, ſed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis, Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Et hactenus Auguſtinus, de quæſtione propoſita.

Auguſtinus vt hāc quæſtionē explicet. Cur Deus multis pie viuētibus nō det gratiam perſeuerantię in finē, quam ſceleratiſſimis quibuſdam, in extremo vitę hiatu conuerſis impartitur.

Nunc vide quam nos non hoſtes, ſed aſſertores diuinæ gratiæ, hęc quæſtio nihil perplexos implicitoſque teneat: quam facili negotio eā, non contra, ſed ſecundum diuinam gratiam & ſcripturarum irrefragabilem authoritatem abſoluerimus. Confitebor inprimis eſſe donū Dei, perſeuerare in bono vſque in finem: æque, vt conuerſionem im-

Vt eadem quæſtio aliter abſoluatur a Pighio, et abſque vlla difficultate.

Ex Deo nõ deeſſe, vt quiſquam perſeuerantiæ donum accipiat. Vnde ergo?

pij. Interroganti cur ille hoc donum accipiat, ille non accipiat. Reſpõdebo, ex Deo non deeſſe quo minus vterque accipiat. Cur vero alter accipiat, alter non accipiat, hanc dicam eſſe cauſam, quod alter omni vigilantia, ſolicitudine, ſtudio, inſtat ſibi, ne in vacuum gratiam Dei ſuſceperit: & ne deſit acceptæ iuſtificationis gratiæ: alter ſecuritate & negligentia ſua diſſolutus ſibi excidit: proinde, illam perſeuerantiæ gratiam adeo hic non eſt dignus accipere, vt etiam acceptam ſit dignus amittere. Ille in modico fidelis, remuneratur maiori gratia: quẽadmodum ſeruus ille, qui mna vna decem ſuperlucratus fuerat, præfectura decem ciuitatum remuneratus eſt: alter vero, qui ſimili mna negligenter vſus, inde lucrum proferre non potuit, etiam ea ipſa ſpoliatus eſt: atque inſuper condemnationem ſerui nequam accepit.

Quõ Chriſtus, ad donũ perſeuerantię ſuos hortetur?

Nec tamen propterea deſinit eſſe gratia. Ad perſeuerantiæ donum diſcipulos ſuos cœleſtis ille magiſter exhortatus eſt dicens, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, ne ſuccumbatis tentationi, ne cadatis qui ſtatis. Si tantum dixiſſet, Vigilate, admonuiſſe videretur hominis voluntatem, vt vnis ſuis viribus in procinctu ſtaret: & ſignificaſſe, vniuerſum in eius poteſtate poſitum. Sed cum addidit, & orate: oſtendit nos ſolos nobis ad perſeuerandum non ſufficere: ſed diuinæ gratiæ nos adiutorio opus habere: atque illud ipſum fideli oratione petendum, ſed ab eo qui prope eſt omnibus inuocantibus eum, ſed inuocantibus in veritate, & non improperat. Qui non patietur, modo quod prædictum eſt fecerimus, nos tentari ſupra id quod ferre poſſumus, ſed facturus eſt cum tentatione prouentum, & perſeuerantiæ dono nos corroboraturus eſt.

Similis de conuerſiõe impij, quæſtio.

Conuerſionem impij ad Dei dona pertinere, nemo it inficias. Quærenti tamen, cum æqualiter vocentur duo, circa quos ante vocationem ſunt cætera paria omnia, cur conuertatur alter, alter ex ipſa vocatione indureſcat magis: nõ dicam ad inperſcrutabilia Dei iudicia hoc pertinere, nec illi occludam os illo verbo Apoſtoli, O homo tu quis es? ſed libero eorum hoc deputabo arbitrio: nec tamen metuam, ne diuinæ in hoc gratiæ iniuriam faciam, Libero, inquam, eorum hoc deputabo arbitrio, quo diuinæ vocationi auſcultat & acquieſcit alter, alter illi aures obturat, & cor ſuum indurat. Hoc enim fieri poſſe a nobis, imo, & quotidie fieri, teſtatur ille, qui id ipſum ne faciamus ad nos clamare non ceſſat, Hodie, inquit, ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Voluntati ergo noſtræ imputanda eſt cordis noſtri obduratio, qua vocanti non acquieſcimus. Stat ille ad cordis noſtri oſtium, & vt ſibi aperiamus pulſat, paratus ad nos ingredi & manere nobiſcum. Ingreſſum illum ad nos, quis negat vel ad præcipua Dei dona pertinere, & gratiæ nomine vel inprimis cenſeri? Eſt enim ipſa iuſtificationis gratia: quam cur ille conſequitur, ille non

conſequitur, is tibi reſpondet, qui affirmat ſe quidem pulſare ad oſtium vtriuſque vt ſibi aperiant, ſe paratum ad vtrunque ingredi modo aperiant. Quod ergo ad hunc ingreditur, ad illum non ingreditur, cauſa eſt, quia hic ſibi aperit, ille non aperit. Hic auſcultat vocanti, ille aures auertit, & obturat, ne exaudiat. Ita quoque & in perſeuerantiæ dono ſe res habet, Siquidem, vt adſit, & ex nobis & ex Deo eſt: Ex nobis requiritur vigilantia, ſolicitudo, & aſſiduum proficiendi ſtudium: ne videlicet in vacuum gratiam Dei ſuſceperimus. Hoc enim ex nobis requiri teſtatur Chriſtus, qui nos admonet vigilare ne tentationi ſuccumbamus. Teſtatur Petrus, qui hocipſum a nobis exigit, nempe vt ſobrij ſimus & vigilemus, quandoquidem aduerſarius non dormiat, ſed tanquam leo rugiens circumeat nos, quærens quem deuoret. Teſtatur Paulus, qui nos rogat ne in vacuum Dei gratiam ſuſceperimus. Quod fruſtra, imo, ridicule faceret, niſi hocipſum a nobis requireret. Proinde vt donum perſeuerantiæ nobis adſit, a nobis requiritur vigilantia, ſolicitudo, & proficiendi ſtudium. Ex Deo vero, gratiæ eius adiutorium. Sed hoc deeſt nulli, niſi qui deeſt ſibi. Illud in noſtra manu eſt: hoc fideli ac humili oratione petendum eſt, ſed ab eo, qui promiſit nos accepturos quicquid fideliter petierimus. Proinde vtrunque quodammodo in noſtra poteſtate eſt. Nihilo tamen minus Dei eſt donum & gratia. Et quid hic contra faciunt verba dicentis? Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Ita ſane, quia Auguſtinus in pertractandis difficultatibus, quæ ſibi in hac quæſtione occurrebant, non ad illam hypoteſim vnde re vera pendebant, ſed alio reſpexit, ſic fere eas abſoluit, vt poſt abſolutionem pene ſemper in eaſdem relabatur ac recidat: nec in ijs ſeruat, quam fere in alijs, methodum, nec propoſitum ſibi ſcopum, quo perpetuo collimet, atque vniuerſa recta referat, ſed inuoluta, perplexaque cuncta inuenies, & ab ijſdem ad eadem.

Vt adſit perſeuerantiæ donum, & ex nobis, et ex deo eſſe.

Quod vero ad rem præſentem, quæ nunc inter nos controuertitur, attinet, audiſti illum eandem ſemper & ſuam & noſtram affirmare & tueri ſententiam. Orthodoxam fidem, & propheticam & apoſtolicam hoc tenere, vt ſit in nobis liberum & ad bonum & malum arbitrium. In bono tamen, nos adiutorio diuinæ gratiæ indigere. Porro non adiuuatur, qui ipſe nihil agit aut conatur. Non adiuuatur equus ligneus ad curſum, quando inſidens illi ipſum portat & ſecum trahit: ſed adiuuatur laborans, & ab eo, qui illi, quo labori ſufficiat, vires ſubminiſtrat: & ab eo, qui cum illo vna etiam ſuos humeros ſupponit oneri, & ſimul cum ipſo ſubleuat, damnata eſt proinde ab Auguſtino, etiam hoc libro, vt & in cæteris quos audiſti omnibus, tua ſententia. Nunc videamus quid pro ſe Caluinus ex eodem afferat, quo Sorbonicis Sophiſtis, quanuis loquacibus os obturet, di-

centibus vniuerſam illis vetuſtatem aduerſari.

Dicit, inquit, gratiam perſiſtendi in bono, Adæ fuiſſe datam, ſi vellet: nobis dari vt velimus, ac voluntate concupiſcentiam ſuperemus. Habuiſſe ergo illum poſſe ſi vellet, ſed non velle vt poſſet, nobis vtrunque dari & velle & poſſe.

Hactenus non pugnabimus admodum, Ita enim fere habent Auguſtini & verba & ſententia, ſed quæ prædictis in nullo aduerſantur, vt mox clarius videbitur, quando plenius explicata erit Auguſtini hoc ipſo loco ſententia.

Quod his ſubiungit, velut ex eiuſdem ſententia, Primam fuiſſe libertatem, poſſe non peccare: noſtram vero multo maiorem, non poſſe peccare. Quod ne quis de futura poſt im mortalitatem perfectione, dictum exiſtimet, ſcrupulum, inquit, hunc eximit, & cætera quæ ſequuntur mox repetenda.

Hæc, inquam, Caluine a te fermentata ſunt, citanturque plane contra clariſſimam Auguſtini ſententiam: qui ijs, quæ citas, verbis libertatem primam, eam nempe quam acceperat Adam, cum libertate nouiſſima, beatorum videlicet, contulit. Quod vt euidentius faciam, & tuam aut malitiam, aut ignorantiam orbi conteſtatiorem reddam, paulo altius repetenda eſt eiuſdem Auguſtini præcedēs ſententia, quā citatis a te verbis fere concludit. Quærens num Adam acceperat Dei gratiam, Imo vero, inquit, habuit magnam, ſed a noſtra diſparem. Quandoquidem in bonis erat, quæ bonitate conditoris ſui acceperat, in eis prorſus nullum patiebatur malum. Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet redemptoris gratia, in malis ſunt: ex quibus clamant ad Deum, Libera nos a malo. Ille, in illis bonis CHRISTI morte non egebat. Iſtos a reatu & proprio & hæreditario, illius agni ſanguis abſoluit. Ille opus non habebat coadiutorio, quod implorant iſti videntes ſe captiuari a lege quæ in membris eorum eſt, in legem peccati & mortis: hoc eſt, carnem concupiſcere aduerſus ſpiritum: atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendique virtutem, per CHRISTI gratiam poſcunt. Ille vero, nulla tali rixa a ſeipſo, aduerſus ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur. Proinde etſi non lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigere nos: qua etiam voluntas noſtra, in difficultate ac pugna qua diſtinemur eiuſmodi, præparetur a domino: & nobis detur vt efficaciter velimus. Quod illi, quem nulla iſtiuſmodi pugna difficultaſque remorabatur, dari non oportuit. Habuiſſe nihilominus illum gratiam: in qua, ſi permanere voluiſſet, nunquam malus fuiſſet: & ſine qua, etiam cum libero arbitrio, bonus eſſe non poterat. Quam tamen eodem libero arbitrio deſerere poſſet & malus fieri: ſicut & deſeruit, & deſertus

Hic vide lector, qua fide Aduerſarij proſerant Auguſtini ſentētiam.

Comparatio gratiæ Adā in ſtatu illo innocentiæ, ad noſtrā poſt lapſum.

Potentiore nos, quam illum, gratia indigere.

ſertus eſt, maluſque effectus. Potentiorem proinde gratiam eſſe,quæ nobis datur in CHRISTO, vtpote imbecillioribus: vt qua, etiam voluntas noſtra, aduerſus difficultatem, qua remoratur, & laborat, maximam, præparatur, vt velit: & carnis concupiſcentiam, cui naturaliter inclinatur ob contubernium, vincat: præ illa primi hominis, qui tanto adiutorio, vtpote nulla difficultate remoratus ac laborans, non egebat: nec opus habebat obſequentem per omnia rationi concupiſcentiam vincere. Accepiſſe quidem illum voluntatis rectitudinem: accepiſſe & adiutorium, quo poterat in eo permanere ſi vellet, Et ſi permanſiſſet, accepturum iam eum fuiſſe maiorem libertatem, qua deinceps non potuiſſet amplius deſerere bonum. Quid enim, inquit, liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire? quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt,& angelis ſanctis, merces meriti. Quapropter, inquit, hæc quid inter ſe differunt diligenter & vigilanter intuendum eſt. Poſſe non peccare: & non poſſe peccare: poſſe non mori: & non poſſe mori: bonum poſſe non deſerere: & bonum non poſſe deſerere. Deinde ſubdit quæ citantur a Caluino, ſed falſata, atque etiam alio detorta, quam ab illo dicta ſunt. Prima, ergo, inquit, libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: nouiſſima erit multo maior, non poſſe peccare. Prima immortalitas erat, poſſe non mori, nouiſſima erit, non poſſe mori. Prima erat perſeuerantiæ poteſtas, bonum poſſe non deſerere, nouiſſima erit felicitas perſeuerantiæ, bonum non poſſe deſerere. Hactenus Auguſtinus capite vndecimo, libri memorati. Qui his verbis tam aperte & clare confert primum ſtatum hominis, quem accepimus in origine, ad nouiſſimum quem per Chriſti gratiam accepturi ſumus in beatitudine, vt nulla de hoc poſſit cuiquam eſſe dubitandi occaſio. Ibi quippe accepturi ſumus libertatem eam, qua omnino amplius peccare non poterimus: ibi ea induendi immortalitate, qua mori deinceps non valeamus: ibi ea donandi perſeuerantiæ felicitate, qua bono inſeparabiliter adhæreamus: quæ nobis huius incolatus tempore non conueniunt.

Comparatio conditionis humanæ, quã accepit in origine, et quã accepturus eſt in beatitudine.

Notãda autem eſt hoc loco, Caluini fides in citandis authoribus. Verba Auguſtini habent, vt diximus, Prima libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: nouiſſima erit, nõ poſſe peccare. Quæ ille citat hoc pacto, Noſtra multo maior, non poſſe peccare. Hoc eſt Caluine citare et non potius falſificare authorum ſententias? Ille confert primam libertatem quam accepimus in Adam, & nouiſſimam quam accepturi ſumus in beatitudine: quod eiſdem pene verbis, facit etiam capite nouiſſimo libri poſtremi de Ciuitate Dei. Nam primum, inquit, liberum arbitriũ quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt rectus, potuit non peccare: ſed potuit & peccare. Hoc autem nouiſſimum, eo potentius erit, quo peccare non poterit. Sicut enim prima immortalitas fuit,

Hic nota lector, & perpende fidẽ aduerſariorum in citãdis authoribus.

quam peccando Adam perdidit, poſſe non mori: & nouiſſima erit non poſſe mori. Ita primum liberum arbitrium, poſſe non peccare: nouiſſimū nō poſſe peccare. Tu pro eo quod ille dicit, nouiſſima erit, ſubijcis, noſtra multo maior, & videri vis, illum loqui de libertate, quā hic aſſequimur per gratiam. Sed eſt ne obſecro quiſquam ſanctorum, quamdiu in huius vitæ agone decertat, qui non poſſit peccare? imo, qui non peccet, & opus non habeat quotidie orare, Dimitte debita noſtra? Certe ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: niſi mentiatur ille veritatis Apoſtolus. Et tu nos facis, non ſolum ſine peccato, ſed & impeccabiles? Eſt ne quiſquam, quamdiu hoc corpus mortis circumfert, qui non neceſſario moriturus eſt? Et tu nos hic etiā immortales facis? Sed vt ita conueniat, te nihil aut dicere aut agere quod conueniat: certe non conueniebat hæc tam abſurda tanto viro tribuere: quæ tamen adhuc conaris illi, ex verbis eius affingere.

Caluinus. Ne, inquis, de futura poſt immortalitatem perfectione loqui putetur, ſcrupulum hunc paulo poſt exemit, Tantum quippe, inquit, ſpiritu ſancto accenditur voluntas ſanctorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt, & ideo velint, quia Deus operatur vt ſic velint. Nam ſi in tāta infirmitate, in qua tamen ad reprimendam elationem perfici virtutem decet, ipſis relinquatur voluntas ſua, vt adiutorio Dei poſſint, ſi velint, inter tot tentationes infirmitate voluntas ipſa ſuccumberet, ideoque perſeuerare non poſſent. Subuentum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt gratia diuina indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: ideoque quantumuis infirma non deficeret.

Pighius. Hæc cauda Caluini ad alium vitulum pertinet, Nā pergens deinceps oſtendere, vt maioribus donis, maior adiuuanda erat infirmitas, Vtq; in hoc miſeriæ loco, in quo tentatio eſt vniuerſa hoīs vita ſuper terrā, virtus in infirmitate perficiēda fuerat, q̄ aduerſus tot tamq; graues tentationes ſufficeret: q̄ in paradiſo non fuerunt: quo cū omnibus ſuis, & blandimentis, & terroribus, & erroribus, vinci hic poſſet mundus: quod fieri poſſe, & quotidie fieri ſanctorū martyrum exempla teſtantur: aduerſus quæ tamen, q̄ periculoſe ſibi dimitteretur infirma nunc voluntatis libertas, quæ adhuc plena & robuſta, quanuis poſſet, in tanta felicitate, tanta non peccandi facilitate non ſteterat, ſubiungit in verba prædicta, Tantū quippe ſpiritu ſancto accendi voluntatē ſanctorum, vt ſic poſſint, qa ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur in eis vt ſic velint. Datum erat primo homini poſſe non peccare, ſi vellet: ſed non erat ei datum velle vt poſſet, quia voluntas eius, velut nulla in hac infirmitate aut difficultate laborans, ſibi derelicta fuerat. Quæ ſi voluiſſet quod poterat, etiā de eo vere diceretur quod Auguſt. de ſanctis dicit, illū potuiſſe nō peccare, quia voluit ſummo bono adhærere.

Vt maiori adiutorio, maior adiuuanda erat infirmitas, præſertim, in multo difficiliori certamine.

Sed

Sed in hoc, inter illum tunc adhuc robuſtis & integris viribus in feliciſſimo illo ſtatu quo nullo premebatur hoſte et aduerſario: Et ſectos ſub mortalis huius corporis ſarcina laborantes, et viribus ſaucijs ac debilitatis aduerſus tam multos tamque graues hoſtes neceſſario decertantes, & in procinctu aſſiduo ſtantes, eſt differentia. Quod hi, vt velint (nam voluntate efficaci aduerſus hæc monſtra omnia, & certandum, & vincendum eſt) habeant ſpeciale adiutorium, præuenientis ipſos, & voluntatis eorum præparantis diuinæ gratiæ, quod ille non habuit. Proinde ſic iſtam ſententiam concludit, Subuentum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia, indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur. Et ideo quanuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, vt voluntas hominis inualida & imbecillis, in bono adhuc paruo perſeueraret per virtutem Dei: cum voluntas primi hominis fortis & ſana, in bono ampliore non perſeuerauerit habens virtutem liberi arbitrij: quanuis non defuturo ſibi adiutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeuerare ſi vellet: non tamen tali, quo in illo operaretur Deus vt vellet, fortiſſimo quippe dimiſit ac permiſit facere quod vellet, Infirmis ſeruauit, vt inuictiſſime quod bonum eſt vellent, nec hoc deſerere inuictiſſime nollent. Vides in his omnibus, nihil aliud Auguſtinum agere, quam infirmitati voluntatis noſtræ ac liberi arbitrij, quam contraximus in peccante origine, ſuccurri virtute diuinæ gratiæ, quæ nobis hoc valeat, imo plus valeat, quam illi valebat voluntatis robur & ſanitas. Per quam nobis præſtetur, quanuis in tanta infirmitate, vt nec portæ inferorum valeant aduerſus nos præualere: modo tamen illud ipſum noſtrum, quanuis exiguum & infirmum contulerimus. Et hoc eſt quod dicit inſuperabiliter, & indeclinabiliter nos agi diuina gratia, vt nulla vis aduerſaria inclinare nos poſſit, & vincere, ſi modo & nos aduigilauerimus, & diuinæ gratiæ non defuerimus. Nulla itaque nos poteſt vincere aduerſaria poteſtas, adiutos ope diuinæ gratiæ, nos tamen ipſi eam poſſumus & negligere & deſerere, & hoſti cedere, ac locum in nos dare. Quæ non aduerſarij eſt virtus, aduerſus nos ac diuinam gratiam: ſed noſtra culpa, noſtrum vitium. Itaque Paulus Timotheum exhortatur, ne negligat gratiam quam accepit, Rogat alios, ne in vacuum eandem ſuſceperint, Chriſtus ſuos admonet, vt vigilent, & orent, & ſemper in procinctu ſtent, ne tentationi ſuccumbant. Sed nunquid propterea hic ſumus impeccabiles? nunquid ita accepimus gratiam diuinam, vt voluntatem noſtram amiſerimus? Quorſum igitur vigilare ipſi admonemur? in procinctu ſtare? diuinum auxilium implorare, ſi vna iam vniuerſa atque indeclinabiliter & inſuperabiliter operetur diuina gratia? Quorſum ille nos admonet ne negligamus acceptam gratiam? Quorſum rogat ne in vacuum eam acceperimus? De Auguſtino itaque vt hic aliquando concludamus,

Nos, vt velimus, habere ſpeciale adiutorium, diuinæ præuenientis nos gratiæ, quod in ſtatu naturæ adhuc integræ, non habuerunt illi primi parentes noſtri.

Nobis quis infirmis, plus valere adiutorium gratiæ diuinæ, quam primis illis, valebat voluntatis robur & ſanitas.

Non poſſe aduerſariam poteſtatem nos vincere, adiutos ope diuinæ gratiæ.

Poſſe tamen nos, eam negligere, & deſerere, hoſti cedere, et locum in nos dare.

Concluſio, De Auguſtini & omniũ orthodoxorum cõſona ſententia, Quæ affirmat & ad bonũ,& ad malũ facultatem liberi arbitrij, quæ perficiatur, nõ tollatur diuina gratia.

audiſti lector Chriſtiane, & ſatis ſuperq; audiſti ſuis illum verbis loquentem,atque ipſum:& vniuerſam vno conſenſu vetuſtatem, damnantem atque execrantem Lutheri, atq; vniuerſæ eius ſectæ impietatem & blaſphemiam,quod ad liberum hominis ſeu in bonum ſeu in malum arbitrium pertinet, Et quod Dei gratia, non tollat nobis voluntatem noſtram,ſed perficiat,adiuuet,& eidem cooperetur ad bonũ: & non ſola operetur totum. Breuiter, Quod nec gratia ſine libero arbitrio faciat hominem habere vitam beatam:nec liberum arbitrium ſine gratia:ſed ſimul vtraq;,clariſſime affirmantem,& ſpero fore,vt æquior poſthac ſit Caluinus ſophiſtis Sorbonicis,nec tam audacter & proterue ipſis inſultaturus,velut D. Auguſtini a ſe ſtantis fiducia. De fideli autem anima, a regeneratione in duas partes diuiſa, quarum inter ſe ſit perpetuum diſſidium,quæ ſubijcit, in Controuerſia de peccato originis,ſatis mihi diligenter excuſſa videntur, In quibus ille, ſi ſeipſum intelligat, meam ego tarditatem ingenue confitebor.

Et hactenus, ſatis ni fallor, ſuperq; demonſtrauimus abſurditatem, impietatem & pugnantiam ſententiæ aduerſariorum de gratia diuina, & libero arbitrio, cuius nullam homini ad bonum poſt lapſum in origine, facultatem relinquunt, Quæ etiam noſtrorum plerique ex male intellectis nonnullis Auguſtini ſententijs, probari videtur ſententia: & contra catholicam e regione fidem & ſententiam aſſeruimus, aduerſus aduerſantium calumnias, Quorum & argumenta rationeſque excuſſimus, quæ proprie ad hoc argumentum pertinent.

Nam quæ eorum pendent ac ducuntur, ex ratione quam imaginantur, peccati originis ſub eiuſdem argumenti controuerſia ſatis excuſſimus. Quæ autem ex diuina prædeſtinatione & præſcientia, conſequenter, ſuo quæq; loco non prætermibimus.

FINIS SEXTI LIBRI.

DE

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber VII.

De diuina præſcientia, prædeſtinatione & prouidentia, ſectæ ſententiam diligenter explicare.

Caput I.

QVANDOQVIDEM EI QVAM IAM abſoluimus quæſtioni de libertate noſtri arbitrij ita cōiuncta eſt, de diuina præſcientia, prædeſtinatione & prouidentia, quæſtio, vt niſi et hac rite abſoluta, illa plene abſoluta eſſe non poſſit. Cum hæc fere aduerſari libertati arbitrij noſtri imaginentur homines, vtque ea ſimul ſtare poſſint non facile intelligant, nō ſolum vulgus hominum, ſed etiam ingenioſiſſimi, Quorum vnus Cicero de fato diſputans cum ad eas anguſtias, diſputationis vi perductus eſſet, vt ex certitudine diuinæ de futuris præſcientiæ tolli liberum exiſtimaret arbitrium, & proinde ſibi neceſſario negandum putaret alterutrum, illam, quam hoc, negare maluit: tametſi neutrum negare neceſſe ſit, ſed pulchre (quod poſt apparebit) inter ſe conueniant. De quibus tamen priuſquam noſtram explicemus ſententiam, ſectæ quæ nunc eccleſiam turbat Lutheranæ de eiſdem ex Caluini inſtitutione pernitioſa, impia atque in Deum blaſphema, etiam in ſuperioribus ſubinde quanuis obiter a nobis perſtricta, diligenter & explicanda & confutanda eſt opinio. Qua in re duplici difficultate laboramus: Primum quoniam ille multis verbis & prolixiſſime ſuam impietatem aſtruit & exequitur: cum noſtri inſtituti ratio neceſſario requirat compendium. Deinde quoniā perplexus, ambiguus, & obſcurus eſt: velut nec ſibiipſi ſatisfaciens, nec ſe ſatis intelligens. At nos, niſi certam eius ſententiam protulerimus, ipſi arguemur inſcitiæ, Verba eius (quod facilius nobis fuiſſet) vniuerſa ſubijcere, noſtri inſtituti, vt dixi, non admittebat ratio. Dabo tamen operam, ne vel ipſi Cauillino, quanuis cauillandi & calumniandi artifici non contemnendo hac in re magnus aduerſum nos calumniæ locus futurus ſit: imo, vt agnoſcere cogatur, a nobis: quam a ſeipſo explicatam etiā clarius, q̄uis multo cōpendioſius, ſuā ſententiā. Is itaq; cap. VIII. inſtitutionis ſuæ, non religionis (quā inſcribit) Chriſtianæ, ſed impietatis peſtilentiſſimæ, cum eadem illa pugnāte his per omnia, ad harum quæſtionum explicationem, exordium faciens a diuerſitate, quam

Explicatio ſententiæ aduerſariorum, de diuina præſcientia, electione, prædeſtinatione.

quam fere quotidie eſt inter homines cernere, cum multis ex æquo fœdus vitæ prædicatur, his acceptantibus illud, his minime, mirabilem quidem hic ſe proferre altitudinem diuini iudicij, dubium tamen non eſſe affirmat, quin æternæ Dei voluntatis arbitro hæc varietas ſeruiat. Vnde nihilominus, quod videlicet Dei nutu fieri dicatur, vt alijs vltro offeratur ſalus, alij arceantur ab eius aditu, magnæ protinus atque arduæ quæſtiones emergant: quibus explicandis: vt de electione & reprobatione quid teneri conueniat, ante conſtitui oportere. De quibus tractaturus deinceps, a notione vocabulorum quibus de in quæſtione agitur, (ea in re methodi ſatis peritus) auſpicatur haud abſurde.

Præſciētia.

Præſcientiam, inquit, cum tribuimus Deo, ſignificamus omnia ſemper fuiſſe, ac perpetuo manere ſub eius oculis: vt eius notitiæ nihil ſit futurum aut præteritum, ſed præſentia ſint omnia, quæ intueatur velut ante ſe poſita.

Prædeſtinatio.

Prædeſtinationem definit æternum Dei decretum quo apud ſe cōſtitutum habuit, quid de vnoquoque homine vellet fieri. Neque eñ pari conditione creari omnes, ſed alijs vitam æternam, alijs æternam dānationem præordinari. Itaque, inquit, prout quiſque in alterutrum eſt conditus, ita vel ad vitam vel ad mortem prædeſtinatum dicimus.

Prouidētia

Prouidentiam intelligit dici a nobis, quam in mundi rerumque omnium gubernatione œconomiam Deus tenet.

Prædeſtinationē qualem imaginentur.

A prædeſtinatione deinceps, neglecta præſcientia, initium faciens, Dicit dominum æterno atque immutabili conſilio, ſemel conſtituiſſe, quos olim in ſalutem aſſumeret, quos rurſus exitio deuoueret, Quos ſalutis participatione dignatur, eos gratuita eius miſericordia, nullo propriæ dignitatis reſpectu cooptari. Quos contra in damnationem tradit, & exitio deuouet, ijs iuſto quidem at incomprehenſibili ipſius iudicio vitæ aditum præcludi.

Vt Dei voluntate ac prædeſtinatione decidiſſe genus humanū, in hāc conditionis miſeriam affirment.

Fatetur proinde, in hanc, qua nunc illigati ſumus, conditionis miſeriam, dei voluntate ac prædeſtinatione decidiſſe vniuerſos filios Adæ: Dei prouidentia in hāc conditionem creari oēm hominem, vt poſtea faceret quæcūque facit. Haud recte proinde a ſcholaſticis intelligi, ex Dei prouidentia non inferri nobis neceſſitatem, quod futura noſtra oīa p̄uiderit, at non fecerit. Equidem præſcientiam ſolam, nullam inferre neceſſitatem creaturis, libenter, inquit, conceſſero. Verum (quod & Vallam acutius rectiuſque intellexiſſe prædicat) qm̄ non tantum præuideri, ſed etiam fieri vniuerſa a Deo affirmat, & mortem & vitam, diuinæ voluntatis magis quam præſcientiæ eſſe actiones, nec alia ratione quæ futura ſunt, præuidere Deum, niſi quia ita vt fierēt decreuerit, fruſtra hæc ad vnam præſcientiam referri.

Laurēñ. Valleñ. De abſoluta omniū neceſſitate, ex Dei voluntate pendēte, vt probent ſententiam.

Non alia ratione præuidiſſe Deū, quæcunque futura ſunt, niſi quia ita vt fierent, decreuerit.

Præſciuiſſe equidem Deū, quem exitū habiturus eſſet homo anteq̄ ip̄m conderet: ſed ideo præſciuiſſe, qa decreto ſuo ſic ordinauerat. Nec

vult

vult abſurdum videri, quod dicit, Deum, non modo primi hominis caſum, & in eo poſterorum ruinam præuidiſſe, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe. Vt enim, inquit, ad eius ſapientiam pertinet, omnium quæ futura ſunt, eſſe præſcium, ſic ad potentiam, omnia manu ſua moderari ac regere. Nec ad diſtinctionem voluntatis & permiſſionis hic recurri permittit, vt dicamus permittente, non autem volente Deo, perire impios. Cur enim, inquit, permittere dicemus, niſi quia ita vult? Quanquam nec ipſum quidem per ſe probabile eſt, ſola Dei permiſſione, nulla ordinatione, hominem ſibi accerſiſſe interitum. Quaſi vero non conſtituerit qua conditione præcipuam ex creaturis ſuis eſſe vellet? Non dubitare igitur ſe dicit cum Auguſtino ſimpliciter fateri, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, atque id neceſſario futurum eſſe, quicquid ille voluerit, Quemadmodum ea vere futura ſunt, quæcunque ille præuiderit.

Volente, et non ſolum permittente Deo, perire impios.

Voluntatē diuinā, eſſe rerum neceſſitatem omnium, & id neceſſario futurum, quicquid ille voluerit.

Iam & vocationem in electis, electionis teſtificationem eſſe vult: quemadmodum & iuſtificationem alterum eius manifeſtandæ ſymbolum, donec ad gloriam, in qua complementum extat, perueniatur. Imo, non teſtificationem tantum, ſed velut participationem quandam & cōmunionem ſortis, in quam electos adoptarit Deus, Qui cum ſuos eligendo in filiorum locum adoptauerit, eos tamen in tanti boni poſſeſſionem non venire, niſi dum vocant, Vocatos vero, iam frui electionis ſuæ cōmunione, atq; eius velut ſecuritatē quandā accepiſſe, Qua ratione, ſpm̄ quem accipiunt, & adoptionis ſpm̄, & ſigillum atq; arrabonem hæreditatis futuræ vocari vult ab Apoſtolo. Eligendo proinde, filios ſibi deſignare, & patrē ſe deſtinare ijs quos elegit, Vocando vero, in familiā eos ſuā adſciſcere, ac ſeipm̄ ijs cōmunicare, Eos vocare quos elegerat, Electionē aūt gratuitæ eſſe miſericordiæ: vt hic vere locū habeat, Nō eſſe volentis neq; currentis, ſed miſerentis Dei, imo ſolius miſerētis Dei. Et qa nō ignorat, nec diſſimulare pōt, quā graui ac periculoſa tentatione miſeras cōſcientias de incertitudine ſtatus ſui pcellat dicta eius (ſi recepta fuerit) opinio, (Cuius em̄ animus nō perpetuo huiuſcemodi cogitationibus cruciabitur? Vnde tibi ſalus, niſi ex domini abſoluta voluntate, & incommutabilis electionis decreto, cuius tibi in nullam partem vlla facultas eſt? Illius vero, vt ſit, quæ tibi certitudo? quæ reuelatio?) aduerſus incidētes cogitationes eiuſmodi vt confirmet miſeros, prohibet electionis ſuæ certitudinē, in illo æterno Dei conſilio fideles q̄rere: ſed eandem in dei vocatione inueſtigari docet. In qua, velut in teſſera, nobis confirmare voluerit dn̄s, quantum de ſuo cōſilio ſciri fas ſit. Inde nos ſatis perſpicuum firmūq; habere teſtimonium, quod in libro vitæ ſcripti ſimus, ſi cum Chriſto cōmunicamus. Qui vnus eſt, in quo patris aīa acqeſcit: Vnus & vitæ fons & ſalutis anchora, et regni cœlorum hæres: vnicus, certe vltimus hac in re ſcopus, vltra quē non ſit tendere.

Vocatio electorum.

Quid ab electione diſferat.

Vbi nos velint electionis noſtræ certitudinem quarere.

dere. Proinde quos Deus ſibi aſſumpſit filios, non in ipſis eos dici elegiſſe, ſed in Chriſto ſuo, Quia non niſi in eo amare poterat, nec regni ſui hæreditate honorare, niſi eius conſortes ante factos. Quod ſi in eo ſumus electi, non in nobiſipſis reperire nos poſſe noſtræ electionis certitudinem: ac ne in Deo quidem patre, ſi nudum illum abſque filio imaginemur: ſed ipſum Chriſtum, eſſe ſpeculum noſtrum, in quo electionem noſtram contemplari conueniat, & ſine fraude liceat. Cum enim is ſit, cuius corpori inſerere deſtinarit pater, quos ab æterno ſuos eſſe voluit, vtq; pro filijs habeat, quotquot inter eius membra recognoſcit, ſatis clarum & certum teſtimonium nos habere in libro vitæ nos deſcriptos eſſe, ſi cum Chriſto communicamus. Porro illum certa ſui communicatione nos donaſſe, cum per Euangelij prædicationem teſtatus eſt, ſe nobis a patre datum, vt cum omnibus ſuis bonis noſter eſſet. Illum, inquam, nobis teſtem eſſe, filiorum loco habitum iri a patre cœleſti omnes, a quibus fide receptus fuerit. Si quid, inquit, plus appetimus, quam vt inter Dei filios cenſeamur & hæredes, ſupra Chriſtum conſcendamus licet. Si hæc ſuprema nobis eſt meta: quantopere inſanimus extra ipſum quærendo quod & in ipſo iam conſecuti ſumus, & in ſolo ipſo inueniri poteſt? Præterea cum ipſe ſit æterna patris ſapientia, immutabilis veritas, fixum conſilium, non eſſe metuendum, ne quod ſuo ſermone nobis enarrat, ab illa, quam quærimus, patris voluntate, vel minimum variet. Quin potius eam nobis fideliter aperire, qualis ab initio fuit, ac ſemper futura ſit.

Accedere vult ad ſtabiliendam fiduciam noſtram, quæ cum vocatione noſtra coniuncta eſt, electionis firmitudinem. Quos enim ſui nominis cognitione illuminatos in eccleſiæ ſuæ cōſortium Chriſtus aſciſcit, eos in fidem tutelamque ſuam recipere, Quoſcunq; autem recipit, eos a patre illi commiſſos & concreditos, vt in vitam æternam cuſtodiantur. Quid igitur nobis, inquit, volumus? Clamat Chriſtus alta voce, quotquot pater ſaluos eſſe velit, eos ſibi in protectionem tradidiſſe. Ergo ſi reſcire libet an Deo curæ noſtra ſalus ſit, quæramus an nos Chriſto commendauerit: quem conſtituit vnicum ſuorum omnium ſaluatorem. Iam ſi dubitamus an ſimus a Chriſto in fidem cuſtodiamq; recepti, illum dubitationi occurrere, dum ſe paſtorē ſponte offert, ac in ouium ſuarum numero nos fore pronunciat, ſi vocem ſuam audiamus. Chriſtum ergo, inquit, benigne nobis expoſitum & obuiam prodeuntem amplectamur, Ille autem nos in grege ſuo recenſebit, & inter ſua ſepta concluſos tenebit.

Quæ ſibi ipſi, contra certitudinē electiōis fideliū obijcit.

Sed ſubit, inquit, dictis obijciens, futuri ſtatus anxietas, Nam vt Paulus vocari docet, qui electi ante fuerint, ita Chriſtus multos oſtendit eſſe vocatos, paucos vero electos. Quin etiam ipſe quoque Paulus alibi, a ſecuritate dehortatur, Qui bene ſtat, inquit, videat ne cadat.

Item

Item inſertus es in populum Dei,noli ſuperbire, ſed time. Poteſt enim Deus te rurſum ſuccidere,vt alios inſerat. Deniq; ipſa experientia ſatis docemur, parui eſſe vocationem & fidem, niſi accedat perſeuerantia, quæ non omnibus contingit, Quibus reſpondens,

Ex Apoſtolo, ſtanti metuendũ ne cadat.

Ab ſolicitudine liberaſſe nos Chriſtum affirmat. Siquidem in poſterum reſpicere promiſſiões iſtas, Omne quod dat mihi pater,ad me veniet, & eum qui venerit ad me,non eijciam foras. Item, Hæc eſt voluntas eius qui miſit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi,ſed reſuſcitem ea in nouiſſimo die. Item, Oues meæ, vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Ego cognoſco eas, & vitam æternã do eis,nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater qui dedit mihi,maior omnibus eſt, Et nemo poteſt rapere de manu patris mei. Quid hinc, inquit, voluit nos diſcere Chriſtus, niſi vt confidamus perpetuo nos fore ſaluos, quia illius ſemel facti ſumus?

Vt hoc tentet diluere.

Sed hic rurſus occurrens ſibi, accidere quotidie, vt qui videbantur eſſe Chriſti, rurſum deficiant ab eo, & corruant, Imo eoipſo loco vbi affirmat neminem perijſſe ex ijs qui ſibi a patre dati fuerant, excepiſſe filium perditionis.

Verum id quidem eſſe concedit, ſed æque certum affirmat, nunq̃ ea cordis fiducia tales Chriſto adhęſiſſe,qua nobis electionis certitudinem ſtabiliri dicit,eo inducens illud Iohãnis,Exierunt a nobis,ſed e nobis non erant:ſi enim fuiſſent e nobis, permanſiſſent vtiq; nobiſcum, Nec inficior,inquit, quo minus habeant vocationis ſimilia cum electis ſigna: ſed illud certum electionis ſtabilimentum, quod fideles a verbo Euangelij petere iubeo, illis minime concedo. Quamobrem, eiuſmodi argumenta nos non permoueant, quo minus in domini promiſſione tranquilli recumbamus, vbi pronunciat a patre ſibi datos omnes,a quibus vera fides recipitur,Quorum nemo ſe cuſtode ac paſtore periturus ſit,Paulum nõ ſimplicẽ ſecuritatẽ Chriſtianis diſſuadere,ſed ſupinam,ac reſolutã carnis ſecuritatem,quæ faſtum, arrogantiã, alioſq; contemptum ſecum trahat,humilitatem extinguat,ac reuerentiam domini,acceptæq; gratiæ obliuionẽ inducat. Timorem quoq; requirere, non quo conſternati vacillent: ſed qui ad ſuſcipiendam humiliter Dei gratiam nos inſtituẽs,nihil ex eius fiducia diminuat. Pro germano aũt ſenſu illius verbi domini,de multis vocatis & paucis electis, notãdum dicit duplicem eſſe vocatiõis ſpeciem, Eſſe vocationem vniuerſalem, qua per externam verbi prædicationem omnes pariter inuitat ad ſe Deus: etiam, quibus eam in mortis odorem & grauioris damnationis materiam proponit, Eſſe & alteram ſpecialem,qua vt plurimum ſolos fideles dignatur,dum interiori ſui ſpiritus illuminatiõe efficit, vt verbum prædicatum, eorum cordibus inſideat. Interdum tamen,

Quid Paulo ſalutis ſecuritatem nobis detrahenti reſpõdeat.

De vocatione duplici Generali, & Speciali.

Hic vide vt ſecum conſtare nō poſſit.

& iis quoq; impartiri eandem, quos ad tempus duntaxat illuminat, deinde ſuæ ingratitudinis merito deſerit, & maiori cæcitate percutit, Vniuerſalis illius vocationis modum, explicari nobis parabola Euangelica ſub regis perſona qui ſolenne conuiuium inſtituit, miſſis vocatoribus ad inuitandos multos, ſed a pauciſſimis impetrantibus, adeo, vt cogatur e triuijs obuium quemlibet accerſere.

Paucos ergo electos eſſe ex magno vocatorum numero, non tamen ea vocatione vnde fidelibus dicit æſtimandam ſuam electionem, Illam enim, etiam impiorum communem eſſe, hanc ſecum afferre ſpiritum regenerationis, qui eſt arrabo & ſigillum futuræ hæreditatis: quo in diem domini obſignantur corda noſtra. Eandem eſſe rationem exceptionis nuper adductæ, vbi ait Chriſtus, neminem periſſe ex ſibi creditis, niſi filium perditionis, Illum enim non fuiſſe reputatum inter oues Chriſti, quia vere eſſet, ſed quia locum tenebat.

Quod porro ipſum alibi electum cum Apoſtolis a ſe fuiſſe dominus aſſerit, id duntaxat ad miniſterium referri, Duodecim, inquit, elegi, & vnus ex eis diabolus eſt, Electum quidem illum in munus apoſtolatus: ſed cum de electione ad ſalutem loquitur, eum procul ab electorum numero arceri, Non de omnibus, inquit, loquor, Ego ſcio quos elegerim.

Vt diuerſimode electos ſuos vocet.

Porro electos illos ſuos non ſtatim ab vtero, nec eodem omnes tempore, ſed prout viſum eſt domino ſuam illis gratiam diſpenſare, in ouile Chriſti per vocationem aggregare. Antequã vero ad ſummum illum paſtorem conuertantur, in communi mundi deſerto diſſipatos aberrare: nec ab alijs quicquam differre, niſi quod ſingulari Dei miſericordia protegantur, ne in vltimum mortis præcipitium ruant: adeo, vt ſi in ipſos reſpicias, nihil videas quam Adæ progeniem, & quæ communem maſſæ corruptionem redoleat. Et hinc qualemcunque guſtum fideles habere exiſtimat, prædeſtinationem, ſi rite cogitetur, non fidei conuulſionem, ſed optimam potius confirmationem eſſe.

De excæcatione reproborū, quō diuinæ prædeſtinationis opus eſſe velint.

Iam & de excæcatione reproborum, quomodo diuinæ ordinationis & prædeſtinationis opus ſit, ſuam ſententiam clarius explicat.

Quemadmodum ſuæ erga electos, vocationis efficacia, ſalutem, ad quam eos æterno conſilio deſtinarat, perficit dominus: ita ſua aduerſus reprobos iudicia habere, quibus conſilium de illis ſuum exequatur. Quos ergo in vitæ contumeliam & mortis exitium creauit, vt iræ ſuæ organa forent, & ſeueritatis exempla, eos, vt in finem ſuum perueniant, nunc audiendi verbi facultate priuare, nunc eius prædicatione magis excæcare, & obſtupefacere.

Vt reprobos, Alios audiendi verbi facultate priuet.

Prioris generis, vnum illud præ alijs illuſtre ac notabile ex innumeris profert exemplum, Quod quatuor circiter annorum militibus

buſante Chriſti aduentum, ſalutiferæ doctrinæ ſuæ lucem, cunctis gentibus occultauerit, Quod ſi quis indignitatem cauſetur hominum illius ſæculi, nihilo digniores ſub Chriſti aduentum inueniri, Prædeſtinationis igitur ſuæ viam facere dominum, vbi quos ſemel reprobauit, lucis ſuæ communicatione orbatos in cæcitate deſerit. Alterius membri & quotidiana extare documenta, & multa in ſcripturis contineri. Apud multos eandem concionem habitam non idem proficere certum eſt: ſed hi, prompta fidei obedientia ſuſcipiunt verbum: alij, nullius penſi habent: vel rident, vel explodunt, vel abominantur etiam. Eius diuerſitatis, cauſam reddidiſſe Lucam, quia illi ad vitam præordinati ſunt: velut innuens, & hos vaſa ire in contumeliam. Alios, ex prædicatione magis excæcet ac ſtupefaciat

In quæſtionem trahi poſſe non vult, multis verbum ſuum, dominum mittere, quorum cæcitatem magis aggrauari velit. Inprimis Pharaonis exemplo, Ad quem cum tot mandata deferri iuſſit, ſubiunxiſſe nihilominus, Ego autem indurabo cor eius, ne obtemperet. Ita quoque Ezechielem mittens ad populum rebellem & contumacem, tamen præmonuiſſe illum ſurdis cantaturum. Sic Hieremiæ prædixiſſe futuram, eius doctrinam in ignem, vt populum inſtar ſtipulæ perdat ac diſſipet. Clarius vero hoc comprobari exiſtimat, prophetia Eſaiæ, qui ſic a domino dimittitur, Vade, inquit, & dic filijs Iſrael, audiendo audite, & ne intelligatis, videndo videte, & ne ſciatis. Obſtina cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius obline, vt ne forte videat oculis ſuis, & audiat auribus ſuis, & corde intelligat, quo conuerſus ſanetur. Ecce, inquit, vocem ad eos dirigit, ſed vt magis obdureſcant: lucem accendit, ſed vt reddantur cæciores: profert doctrinam, ſed qua magis obſtupeſcant: remedium adhibet, ſed ne ſanentur, Atque hanc prophetiã adducens Iohannes, Iudæos Chriſti doctrinæ credere non potuiſſe aſſerit, quia in eos incumberet hæc Dei maledictio. Pharaonis exemplo.

Aeque & hoc controuerti non poſſe affirmat, Quos Deus illuminatos non vult, illis doctrinam ſuam ænigmatibus inuolutam tradere, ne quid inde proficiant, niſi vt in maiorem hæbetudinem trudantur. Teſtari hoc Chriſtum, qui ideo ſolis Apoſtolis, ediſſerit parabolas, in quibus apud multitudinem loquutus fuerat, quia ijs datum ſit myſteria regni Dei noſſe: vulgo, non item.

Quid vero ſibi velit dominus eos docendo, a quibus ne intelligatur, curat, interrogans, Si reſpondeatur, inquit, ſic fieri, quia ſic impietate, nequitia, ingratitudine meriti ſunt homines, bene id quidem & vere dicetur. Sed quia nondum iſtius varietatis patet ratio, cur alijs in obedientiam flexis iſti obdurati perſiſtant, in ea excutienda, neceſſario ad illud, quod ex Moyſe annotauit Paulus, tranſeundum erit. Quid ſibi velit dominus eos docendo, a quibus ne intelligatur, curat.

T ij Nempe

Nempe quod initio eos excitarit dominus, vt oſtenderet nomen ſuum in vniuerſa terra. Quod igitur ſibi patefacto Dei verbo non obtemperant reprobi, probe id in malitiam prauitatemque cordis eorum reijcitur: modo ſimul adijciatur, ideo in hanc prauitatem addictos, quia iuſto & inſcrutabili Dei iudicio ſuſcitati ſunt, ad gloriam eius ſua damnatione illuſtrandam.

Proinde, Cum de Heli filijs narratur, quod non auſcultarunt ſalutaribus monitis, quia dominus voluerit occidere eos: non negatur, contumaciam a propria ipſorum nequitia profectam eſſe: verum ſimul notatur, cur in contumacia deſerti fuerint, Quia ſcilicet ſemel exitio eos deſtinaſſet immutabile Dei decretum.

Et hactenus quidem Caluini, & vniuerſæ illius ſectæ Euangelicæ de prædeſtinatione, reprobatione, electorum vocatione, electiõis, qualis poſſit haberi, certitudine, reproborum obduratione atq; excæcatione opinionem ſane quam peſtilentem, impiam & blaſphemam, ſatis luculente explicauimus.

Quibus rationibus & argumẽtis ſuam illam opinionem aſſerant.

Innituntur autem præcipue verbis quibuſdam Apoſtoli, in epiſt. ad Roma. obſcurioribus & intellectu difficilioribus. Quibus, vniuerſam noſtram ſalutem ad diuinam electionem refert, & electorum reproborumq; conditionem ſub exemplo Iacob & Eſau explicare videtur. Itaq; agnoſcens Caluinus nunc explicatam ſuam ſententiam controuerſia non carere: vulgo ſiquidem exiſtimari, dominum, prout, cuiusq; merita fore præuidet, ita inter homines diſcernere. Quos enim ſua gratia non indignos fore prænoſcit, eoſdem in filiorum locum & numerum cooptari. Quorum ingenia ad malitiam & impietatem propenſura diſpicit, eos mortis damnationi deuouere: Nec ſolius vulgi hanc eſſe vulgo receptam opinionem, ſed magnos omnibus ſæculis authores habuiſſe & habere. Quorum tamen nomina contra ſe ſi opponantur, non magnopere cauſæ ſuæ obfuturum confidit: vt pro qua ſtet certior Dei veritas, quam vt concuti poſſit: clarior, quam vt obrui valeat authoritate hominum.

Ex electiõe qua elegit nos, ſecundum propoſitum volũtatis ſuæ, vt eſſemus ſancti & immaculati.

Inprimis Paulum omnem dignitatis noſtræ reſpectum vult tollere, cum docet nos ante mundi creationem in Chriſto electos fuiſſe. Hoc enim perinde eſſe, ac ſi diceret, quoniam in vniuerſo Adam ſemine, nihil electione ſua dignum reperiebat cœleſtis pater, in Chriſtum oculos ſuos conuertiſſe, vt tanquam ex eius corpore membra eligeret, quos in vitæ conſortium aſſumpturus erat. Valeat igitur, inquit, apud fideles hæc ratio, ideo nos in Chriſto fuiſſe in cœleſtem hæreditatem adoptatos, quia in nobiſipſis non eramus tantæ excellentiæ capaces, Quod & alibi quoque notari vult ab Apoſtolo, cum hortatur ad gratiarum actionem Coloſſen. ex eo quod a domino redditi fuerint idonei, ad participandam ſortem ſanctorum. Si gratiam iſtam domini,

mini, vt idonei ad gloriam futuræ vitæ obtinendã reddamur, præcedit electio, quid iam reperiet in nobis Deus, quo ad nos eligendos moueatur? Elegit nos, inquit ille, antequã iacerentur mundi fundamenta, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, vt eſſemus ſancti, & immaculati, & irreprehenſibiles in conſpectu ipſius. Dei hic beneplacitum, quibuslibet meritis noſtris vult opponi. Vbicunq; enim hoc regnat Dei beneplacitum, nulla in conſiderationem venire opera, & quis antitheſim illam hic non proſequatur, ſubaudiendum tamen eſſe, qualis alibi explicatur ab ipſomet, Vocauit nos, inquit, vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis ante tempora ſæcularia.

¶ Quod autem ſequitur, Vt eſſemus ſancti et immaculati, ſcrupulum omnem vult adimere, Dic ẽm, inquit, quoniam futuros præuidit ſanctos, ideo elegit, & ordinem Pauli inuertes. Sic ergo tuto colligere nos poſſe. Si elegit nos vt eſſemus ſancti, non elegit quia futuros tales præuidebat, Pugnare enim inter ſe hæc duo. Habere pios ab electione vt ſancti ſint: & ad eam ratione operum perueniſſe.

Nec valere hic vult cauillum quo ſubinde confugiunt, Nullis præcedentibus meritis dominum rependere electionis gratiam, futuris tamen concedere. Cum enim dicitur, Electos fuiſſe fideles, vt ſancti eſſent, ſimul innui, quæ futura erat in ipſis ſanctitas, ab electione habuiſſe exordium. Et quomodo, inquit, quæ ab electione deriuantur, electioni cauſam dediſſe dicentur? Quin & magis idipſum confirmari vult ex eo quod ait. Secundum propoſitum voluntatis ſuæ, quod propoſuerat in ſemetipſo. Siquidem Deum in ſemetipſo propoſuiſſe, perinde valere exiſtimat, ac ſi diceretur. Nihil extra ſe conſideraſſe, cuius rationem in decernendo haberet. Proinde & ſubijci continuo ab eodẽ Apoſtolo, huc pertinere totam electionis noſtræ ſummam, vt ſimus in laudem diuinæ gratiæ, Quæ, inquit, laudem non meretur in noſtra electione, niſi gratuita ſit, Porro gratuitam eam non fore, ſi in ſuis eligendis dominus qualia ſint futura cuiusq; opera reputat.

Nullius, nec futuri reſpectum in electiõis ſuę decreto vt haberi volunt a Deo.

Itaq; quod diſcipulis ſuis dicebat Chriſtus in vniuerſum valere inter omnes fideles. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, Vbi nõ præterita tantum merita excludit, imo, nihil habuiſſe in ſeipſis ſignificat cur eligerentur, niſi anteuertiſſet ſua miſericordia, Quomodo & illud Pauli intelligendum vult, Quis prior dedit illi & retributionem accipiet? Siquidem ijs oſtendere voluiſſe Apoſtolum, ſic Dei bonitatem homines præuenire, vt nihil apud ipſos nec præteritum nec futurum inueniat, quo ipſis concilietur.

Iam & ſub exemplo Iacob & Eſau vniuerſum hoc argumentum altius repeti & fuſius explicari electorum reproborumque conditionem in hunc modum.

Sub exemplo Iacob & Eſau, vt electorum, reproborũq; conditionem explicari intelligãt ab Apoſtolo.

Cum nondum nati eſſent,nec quippiam boni aut mali feciſſent, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret,non ex operibus, ſed ex vocãte dictum eſt,quia maior ſeruiet minori,ſicut ſcriptũ eſt, Iacob dilexi,Eſau aũt odio habui,Quid nã,inquit,ad hæc obſcuranda præte xerit,qui operibus,aut præteritis,aut futuris locũ aliquẽ in electione aſ ſignauit? Hoc enĩ eſt prorſus elidere id quod cõtendit Apoſtolus: non ex aliqua operum ratione,ſed ex mera Dei vocatione pendere fratrum diſcrimen, quod inter nondum natos conſtitutum fuerat.

Habere ergo nos ex verbis Apoſtoli, ſolius diuinæ electionis arbitrio,fundatam etiam ſalutem fidelium: neque illum fauorem conciliari operibus, ſed ex gratuita electione prouenire. Habere & eius rei propoſitam quaſi hypotheſim, fratres fuiſſe Eſau & Iacob, iiſdem parentibus genitos. De quibus tamen nondum in lucem editis: & paria ſimiliaque habentibus omnia, diſſimile,imo, plane diuerſum fuerit Dei iudicium, quo alterum aſſumpſerit, & reiecerit alterum. Quin & primogenituræ ius, quo maior minorem iure præcederet,etiam ab eoipſo ad minorem fuiſſe translatum: vt eo velut terreno ſymbolo, electionem Iacob declararet dominus, quæ apud inacceſſum eius tribunal alioqui latebat, Eligitur ergo, inquit, Iacob, repudiato Eſau: & Dei prædeſtinatione ab eo diſcernitur, a quo nullis meritis differebat. Cauſam ſi quæris, hanc reddere Apoſtolum, Quia Moyſi dictum ſit, Miſerebor cuius miſerebor: & miſeratione dignabor, quemcunque miſeratione dignabor, Hoc clariſſime pronunciãte ſpiritu ſancto, nullam hominibus benefaciendi rationem in ipſis ſe habere,ſed a ſola ſua miſericordia ſumere.

Vt agnoſcat cõmunem orthodoxorũ patrum cõtra ſe ſtare ſententiã, Quę & Auguſtini aliquãdo fuerit, Sed hunc retractaſſe poſt eandem. Auguſt. ad Sixtum vt dictum Apoſtoli locum de Eſau & Iacob explicet.

At Ambroſius, inquit, Origenes, Hieronymus, cenſuerunt Deum ſuam gratiam inter homines diſpenſare, prout ea quemque bene vſurũ præuiderit, Adde, & Auguſtinum in eadem fuiſſe ſententia. Sed cum melius hic in cognitione ſcripturæ profeciſſet,non retractauit modo, ſed vt euidenter falſam fortiter cõfutauit. Siquidem epiſt. ad Sixtum Pelagianos perſtringens,quod in eodem errore perſiſterent, Quis, inquit, iſtum acutiſſimum ſenſum Apoſtolo defuiſſe nõ miretur? Nam cum rem ſtupendam propoſuiſſet de illis nondũ natis, & deinde ſibi quæſtionem obiiceret, Quæ in eoipſo eſſet diuini iudicii æquitas, quo tam inæqualiter iudicaret de æqualibus,et in omnibus paribus? Vtique locum fuiſſe,vt reſponderet Deum præuidiſſe vtriuſque merita. Ita enĩ vno verbo expedire potuiſſe quæſtionem illam vniuerſam, ſi modo res ita haberet, Quod cũ nõ fecerit, ſed ad iudicia, & miſericordiã confugiens, ſermonẽ continuauerit, qui in eadẽ difficultate verſeẽ, hinc con ſtare, operũ noſtrorũ in Dei electione nullũ reſpectum haberi: ſed ideo electis ſuis fauere Deũ, qa velit: ideo miſereri, qa velit, Vt veriſſime dictum ſit ab Auguſtino, gratiã Dei non inuenire eligendos, ſed facere.

Ean-

Eandem eſſe & de reprobis ſententiam,quos ſimul illic cōiunxerit Apoſtolus,Vt enim,inquit, Iacob nihil dum bonis operibus promeritus, aſſumitur in gratiam : ſic Eſau nullo adhuc ſcelere inquinatus,odio habetur. Si ad opera conuertimus oculos, iniuriam nos irrogare vult Apoſtolo, quaſi idipſum quod nobis perſpicuum eſt, non viderit. Porro, non vidiſſe, inde clare comprobari, quod hoc nominatim vrgeat, Cum nihil dum boni aut mali deſignaſſent, alterum electum, reiectum alterum, vt probet diuinæ prædeſtinationis fundamentum in operibus non eſſe. Qua in re, de æquitate diuini iudicij cum ſibi quæſtionem moueret,non reſpondiſſe(quod fuiſſet aptiſſimum) Deum rependiſſe Eſau, ſecundum ſuam malitiam,ſed diuerſa ſolutione contentum fuiſſe.Quod videlicet, in hunc finē excitentur reprobi,vt Dei gloria per illos illuſtretur:& ſubiunxiſſe demum hanc clauſulam(Deum,cuius vult miſereri,& quem vult indurare)vt clare appareat in ſolum Dei arbitrium vtrunq; conferri, Ergo,inquit, ſi nō poſſumus rationē aſſignare,cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quando illi ita placet: neq; etiam in alijs reprobandis aliud habebimus quā eius volūtatem. Cū enī dicitur Deum vel indurare vel miſereri quem voluerit,eo admoneri homines extra eius voluntatē, nihil cauſæ q̄rere.

Et hactenus quidem, Caluini & vniuerſæ illius euangelicæ ſectæ de prædeſtinatione, reprobatione, electorum vocatione, electionis, qualis haberi poſſit, certitudine, excæcatione & obduratione reproborum, opinionem ſane quam peſtilentiſſimam, impiam, & in Deū blaſphemam, rationeſque & argumenta quibus nititur, ſatis luculente, vt exiſtimo, explicauimus. Quæ vero dicit, reſpondendo noſtrorum(quos ſtultos & impios facit, & diuinæ prædeſtinationis hoſtes & impugnatores) argumentis aliquot, quæ aduerſus ſuam opinionē inducit, poſt ſuo loco (cum eiſdem pene argumentis ſuæ opinionis euidentem falſitatem impietatemque demonſtrabimus,)adducentur & excutientur commodius.

Iam & de prouidentia Dei in vniuerſa mundi adminiſtratione, a pauciſſimis,vt dicit,rite intellecta,ſuā ſententiam explicat,quam probe intellectam fulciendæ fidei,mirum in modum affirmat conducere. *De prouidētia Dei in vniuerſa mundi adminiſtratione, aduerſariorum ſententia.*

Maiorem hominum partem,vult nudam præſcientiā Dei hic imaginari:nutu autem & moderatione eius cuncta geri, nequaquam putare. Alios gubernationem quidem illi tribuere, ſed confuſaneam, & promiſcuam:vtpote,quæ orbis machinā cum ſingulis partibus,generali motione voluat atq; impellat,cuiuſq; vero actionem creaturæ peculiariter non dirigat,Quam vniuerſalē prouidentiam ab ipſis appellari affirmat:& qua nihil impediri tradāt,vel creaturas oēs,quo minus contingenter moueantur, vel hominem,quo minus libero voluntatis arbitrio, huc atque illuc ſe conuertat, Sic enim inter Deum & ho-

minem illos partiri, vt ille motionem huic ſua virtute inſpiret, quo agere poſſit, pro naturæ ei inditæ ratione, hic autem actiones ſuas voluntario conſilio moderetur, Breuiter Dei quidem virtute, non tamen deſtinatione, mundum, res hominum, ipſoſque homines gubernari hos velle. Hanc vero (vt prætercam ethnicorum quaſdam opiniones impias, quarum etiam commeminit) vulgi fere obtinuiſſe vult de prouidentia diuina ſententiam, Quã impugnans, dicit Deo adimere, quod eſt præcipuum, vt ſapientia ſua dirigat, ac diſponat vnumquodque in ſuum finem, atque ita verbo tantum, non re, mundi rectorem Deum facere, Quid enim, inquit, eſt moderari, niſi ita præeſſe, vt deſtinato ordine ea regas, quibus præes?

Adducit deinde aliquot ſcripturarum locos quibus peculiaris Dei prouidentia demonſtretur, vt illud Apoſtoli, In ipſo nos eſſe, moueri & viuere. Item, Quod Chriſtus ſe teſtatur cum patre perpetuo operari. Et quod Hieremias exclamat, Scio domine, quia nõ eſt hominis, via eius, neque viri, vt dirigat greſſus ſuos. Et illud Salomonis, A domino diriguntur egreſſus viri, & quomodo diſponet viam ſuam? Dicant nunc, inquit, hominem a Deo moueri ſecundum naturæ ſuæ inclinationem, ipſum autem cõuertere motum, quo viſum fuerit, Quod ſi vere diceretur, penes hominem foret viarum ſuarum arbitrium, quę Dei electione ac deſtinatiõe moderari certum ſit, dictis ſcripturarum teſtimonijs: & adhuc clarius, in eo quod ab eodem Salomone dicitur. Hominis eſt diſpoſitio cordis & domini eſt pręparatio linguæ. Quod ſi nec profari quidem poſſint homines, niſi quod ille voluerit, Quid in cæteris eorum eſt relictum arbitrio? Porro quo magis exprimeret ſcriptura, nihil penitus in mundo geri, niſi ex eius deſtinatione, quæ maxime fortuita videntur, illi, inquit, ſubiacere oſtendit. Quid enim magis ad caſum referas, quam dum prætereuntem viatorem defractus ex arbore ramus interficit? At longe aliter dominus, qui ſe fatetur eum tradidiſſe in manum occiſoris, Sortes ſimiliter, quis non fortunæ cæcitati permittat? Verum dominus non patitur, qui ſibi vindicat earum iudicium. Eſſe proinde arbitrum & moderatorem omnium Deum, qui pro ſua ſapientia, ab vltima æternitate, decreuerit quod facturus eſſet: & nunc ſua potẽtia, quod decreuit, exequatur, Vnde eius, inquit, prouidentia, non modo cœlum & terram & creaturas inanimatas, ſed hominum etiam conſilia & voluntates gubernari ſic aſſerimus, vt ad deſtinatum ab ea ſcopum deducantur. In rebus humanis nec fortunæ locum eſſe, nec caſui. Vt ſucceſſio omnis, Dei benedictio eſt, ita calamitatem & aduerſitatem, maledictionem eius: Dei deſpenſatione ordinari omnia. Quanquam nobis, quorum ad diuinę prouidentiæ conſilia non attingit infirmitas, quædã ſint fortuita: hoc eſt, quæ appareant fortuita. Quorum videlicet ordo, ratio, finis, neceſſi-

Nihil caſu, ſed vniuerſa deſtinato diuinæ voluntatis beneplacito euenire.

Hominum conſilia & voluntates ſic gubernari a deo, vt ad deſtinatũ ab eo ſcopũ perueniant.

Apparere quidẽ n[illegible] nulla ſed nõ eſſe vlla nobis fortuita. Quum omniũ ordo, ratio, finis. & neceſſitas in diuino conſilio lateat.

neceſſitas, in diuino conſilio lateat, Quæ tametſi humana opinione apprehendantur quaſi fortuita ſint, certum tamen ſit ex Dei voluntate prouenire. Vt in exemplo. Si mercator quiſpiam ſyluam ingreſſus, cum comitatu fidorum hominum, aberret imprudenter a ſocijs, ipſo errore feratur in ſpoliarium, incidat in latrones, iuguletur: mortem eius, non tantum Dei oculo præuiſam, ſed immutabili decreto ſtabilitam fuiſſe affirmat. Non enim vere dici, illum tantum præuidiſſe, quantum cuiuſque vita protenderetur, ſed terminos conſtituiſſe, qui præteriri non poterunt. Dei proinde prouidentia, vniuerſa illa quæ nobis videntur fortuita, in ſuum illum finem directa eſſe. Eandem eſſe rationem contingentię futurorum omnium, Vt enim nobis incerta ſunt, ita in ſuſpēſo nos ea habere, ac ſi in vtramuis partem propenſa forent: hoc interim apud nos certum eſſe, nihil euenturū, quod non dominus iam conſtituerit ac præuiderit.

Immutabili diuino decreto præfixum cuiq; ſuum terminum.

Hanc ergo in rite reputanda meditandaque prouidentia teneri vult pietatis, vt dicit, regulam, vt certo certius nobis perſuaſum ſit, omnia Dei diſpenſatione deſtinato conſilio decretoque euenire: nihil contingere. Ad illum proinde velut præcipuam omniū cauſam, Chriſtianum pectus ſemper, inquit, oculos referet: nihilominus, inferiores cauſas, etiam ſuo loco intuebitur, Deinde ſingularem Dei prouidentiam ad ſe conſeruandam, excubare non dubitabit, quæ nihil euenire paſſura ſit, quam quod bono ac ſaluti ſibi vertat, Habere ipſum in manu ſua omnes homines: ſiue eorum conciliandi ſunt animi, ſiue cohibenda malitia, aut frangenda improbitas, ne quid noceat, Quod varijs modis nouit facere. Siue proinde proſpere quid ex animi ſententia eueniat, totum Deo acceptum relaturum, per cuiuſcunq; demum operam id acceſſerit: ſiue aduerſi quid vndecunq; contigerit, & hic quoq; mentem, inquit, extollet ad dominum, cuius manus, ad patientiam placidamq; animi moderationem nobis imprimendam, valeat plurimū. Sic Ioſephum in fratrū erga ſe perfidia, mentem ad dominum reflectētem, iniuriæ oblitum, ad manſuetudinem ac clemētiam inclinatū fuiſſe: vt fratres etiam vltro ſolaretur ac diceret, Non vos eſtis, qui me vendidiſtis in Aegyptum, ſed Dei voluntate præmiſſus ſum ante vos, vt vitam vobis conſeruarem. Vos quidem cogitaſtis de me malum, ſed dominus conuertit illud in bonum. Sic Iob in ſua aduerſitate opus domini recognoſcentem, quanuis in opere impiorum hominum: ſemet pulcherrima illa ſolatum fuiſſe ſentētia, Dominus dedit, dominus abſtulit, ſit nomen dn̄i benedictū. Sic Dauidem, conuicijs ac lapidibus a Semei impetitum, ſuos a prohibenda retaliādaq; iniuria prohibuiſſe. Sinite eum, inquit, Quia dominus ei præcepit, vt maledicat Dauid.

Omnia, deſtinato dei conſilio decretoq; euenire.

Ioſeph, vt æſtimarit fratrum erga ſe iniuriam.

Iob, in opere impiorū hominum, vt dei opus recognouerit.

Dauid, in Semei cōuicijs & iniuria.

Nullum proinde eſſe efficacius iræ atq; impatientiæ remediū, quā ſi in omni eo quod vndecunq; acciderit, cogitemus dn̄m eſſe, q itaid fieri vo-

eri voluerit. Et proinde ferendum eſſe: non ſolum,quia reluctari non liceat: ſed quia nihil velit, niſi quod & iuſtum ſit, & expediat. Certe vniuerſa hæc a domino fieri, ſcripturam diligenter comprobare,vt cum denunciat Amos, non fore malum in ciuitate, quod Deus non fecerit: vt cum acerbe redarguit Hieremias eos, qui euenire aliquid calamitatis putabant non iubente domino. Vnde Pilatum et Herodem, cum ad Chriſtum extinguendum coirent, conueniſſe ad peragenda quæcunque manus & conſilium domini decreuerant: Iudæos, Chriſtum definito eius conſilio & ſcientia traditum intereniſſe, atque ita conſummaſſe quæ de Chriſto ſcripta erant: Quemadmodũ & de militibus toties repetitur,quod fecerint,quæ pertinent ad ſcripturæ complementum. Hæc eo pertinere vniuerſa, vt quoties vel ab extrema hominum improbitate mali aliquid nobis irrogatur, non dubitemus, quod in nos illi ſcelerate admiſerunt, iuſta Dei diſpenſatione fuiſſe & permiſſum & immiſſum: ſiue nulla hominum opera euenit, premitque nos aduerſitas, meminerimus docente ſcriptura Dei eas eſſe maledictiones: aut certe caſtigationes. In omnibus aduerſis & periculis, quæ vndecunque impendere videntur, vnum nos, non ſolum omni anxietate ac formidine, ſed etiam omni cura releuare ac ſoluere,vt cogitemus dominum ſic omnia ſua potentia continere: ſic imperio nutuque ſuo regere, ſic ſapientia moderari, vt nihil, niſi ex eius deſtinatione, cadat, Illi, ſuos ſic eſſe curæ, vt nulla ipſos noxa attingi permittat. Illum & operari omnia in omnibus, & ſuorum ſalutem curare & prouidere. Diabolum, vniuerſamque illam impiorum cohortem, ſic omnibus partibus Dei manu, tanquam freno cohiberi, vt nec concipere vllum aduerſus nos maleficium, nec conceptum moliri,nec ad perpetrandum, ſi maxime moliantur, digitum mouere queant, niſi quantum ille permiſerit: imo, niſi quantum ille mandarit, vt domini eſt eorum furorem armare et conuertere,deſtinareque quo libuerit, ita & modum finemque ſtatuere. Breuiter, Extremum miſeriarum omnium, in prouidentiæ ignoratione: & ſummam beatitudinem, in eiuſdem cognitione affirmat. Vt autem laboret in diſſoluendis rationibus quas ſentit dictæ ſuæ ſententiæ poſſe ex aduerſo obijci, commodius, & abſque repetitionis tædio tunc aperiemus vbi eiſdem ipſis rationibus eandem oppugnabimus ſententiam. Quæ hactenus & de prædeſtinatione, & de prouidentia diuina ſatis dilucide a nobis explicata eſt.

Vniuerſa, æque mala, vt bona a Deo fieri.

Dictæ opinionis falſitatem, abſurditatem & in Dei bonitatem blaſphemiæ plenam impietatem demonſtrare.

Cap. II.

HOC eſt lector Chriſtiane, quod ſupra alicubi admonuimus, non videri mihi Euangelicæ huius ſectæ antiſtites, ſyncere & ingenue ſuam fidem expoſuiſſe Auguſtæ, ſua illa confeſſione, quam exhibuerunt Imperatori & principibus Imperij: ſed pleraque callido verborum inuolucro, diſſimulaſſe. In quibuſdam etiam, palam videri dixiſſe quædam contra ſuamipſorum ſententiam, Quod in articulo de libertate noſtri arbitrij vſu illis veniſſe, mihi videre videbar. In quo cum recantare viderentur impijſſimam, quam eatenus cum ſuo Luthero, magno ſtudio aſſeruerant, de ineuitabili omnium neceſſitate ſententiam: & humanæ voluntati libertatem nonnullam tribuerent, in his quæ ad ciuilem iuſtitiam pertinent, & rerum exteriorum faciem concernunt, atque idem videretur Caluinus, capite ſecundo ſuæ inſtitutionis, vbi proprie tractauit de libero arbitrio: iam nunc plane & clariſſime intellexiſti, vt manibus pedibuſque concedat in illam abſurdiſſimam, Lutheri, Laurētij Vallen. Vuiclefi, Abailardique ſententiam: nempe, vt omnia nobis æterno atque immutabili Dei decreto conſtituta, deſtinataque ineuitabili neceſſitate eueniant, Dei prouidentia non modo cœlum & terram, & creaturas inanimatas, ſed hominum etiam conſilia & voluntates gubernari ſic aſſerit, vt ad deſtinatum ab ea ſcopum deducantur. In rebus humanis nec fortunæ locum eſſe, nec caſui.

Epilogus ſentētiæ aduerſariorū, de diuina prædeſtinatione a prouidentia. Aduerſarios ineuitabilem rerū omniū neceſſitatē nobis inducere.

Quanq̄ nobis non attingentibus diuinæ prouidentiæ conſilia, fortuita quædam appareant, quorum videlicet ordo, ratio, finis, neceſſitas, in diuino conſilio lateant: quæ tametſi humana opinione apprehēdantur quaſi fortuita ſint: certum tamē eſſe ex deſtinata Dei volūtate prouenire: nec tantum infallibiliter præuiſa eſſe a Dei oculo, ſed immutabili voluntatis eius decreto ab æterno ſtabilita fuiſſe affirmat, & in ſuū quæq; finem deſtinato dirigi, quocunq; perueniunt. Sic quoq; videri nobis futura quædam contingentia, quæ ita in ſuſpenſo nos habeant, perinde ac ſi vtrāuis in partem propenſa forent: cū hoc interim certū affirmet, nihil euenturꝫ, quod nō dn̄s iam ab æterno cōſtituerit. Immutabili ſempiternoq; conſilio ſemel conſtituiſſe illū, quos olim in ſalutē aſſumeret: quos rurſus exitio deuoueret, Illis gratuita ſua miſericordia adeſſe in oībus: his, vitę aditū p̄cludere. In hāc, qua nūc alligati ſumus, cōditionis miſeriā, Dei volūtate ac prædeſtinatiōe decidiſſe vniuerſos filios Adam, Dei prouidentia in hāc conditionē creari oēm hominem, vt poſtea faceret, quod facit. Solam quidem præſcientiam, non inferre creaturis neceſſitatē fatetur, verꝫ, quoniam non prouideri tantū, ſed etiam fieri vniuerſa a Deo affirmat, Et mortē & vitam diuinę magis voluntatis, quam præſcientiæ, eſſe actiones: nec alia ratione quæ futura ſunt præuidiſſe Deum, niſi quia ita vt fierent decreuerit: non poteſt non

Electio. Reprobatio. Caſum humani generis, diuinæ prædeſtinationis effectum. Dei prędeſtinatiōe in eam conditionem creari omnem hominem, vt poſtea faceret quod facit. Vt præſciri, ita & fieri vniuerſa a Deo.

non affirmare, omnia nobis prouenire neceſſario. Præſciuiſſe Dominum quem exitum habiturus eſſet homo, priuſquam eum conderet: ſed ideo præſciuiſſe, quia decreto ſuo ſic ordinauerat. Primi hominis caſum, & in eo poſteriorum ruinam, non præuidiſſe tantum, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe. Vt enim ad eius ſapientiam pertinet, omnium futurorum eſſe præſcium: ſic ad potentiam, omnia manu ſua moderari & regere. Conſtituiſſe Deum, qua conditione vnumquenque hominum eſſe vellet: cuius nobis ineuitabile decretum ſit. Voluntatem proinde Dei, eſſe rerum omnium neceſſitatem: atque id neceſſario futurum eſſe, quicquid præuiderit. Quemadmodum autem ſuæ erga electos vocationis efficacia ſalutem, ad quam eos æterno conſilio deſtinarat, perficit dominus: ita quos in vitę contumeliam, & mortis exitium creauit, vt iræ ſuæ organa forent, & ſeueritatis exempla, eos, vt in finem illum ſuum perueniant, nunc audiendi verbi facultate priuare: nunc eius prędicatione magis excæcare & obſtupefacere. Quod ſibi patefacto Dei verbo non obtemperant reprobi, probe id quidem in malitiam prauitatemq́ue cordis eorũ reijci: modo ſimul adijciatur, ideo in hanc prauitatem addictos, quia iuſto, ſed inſcrutabili Dei iudicio ſuſcitati ſunt, ad gloriam eius ſua damnatione illuſtrandam.

Cõſtituiſſe deum, qua conditione vnumquẽque hominẽ eſſe vellet. Cuius vnicuilibet ineuitabile decretum ſit. Hos ad ſalutem. Hos in vitæ cõtumeliã, & mortis exitiũ, ad gloriam eius ſua damnatione illuſtrandam.

Vides lector Chriſtiane, vt dicta Caluini, de diuina prædeſtinatiõe & prouidentia, ſententia, (Quæ & ipſa communis eſt vniuerſæ illius ſectæ Euangelicæ) non ſolum vniuerſam nobis tollat libertatem arbitrij, ſed diuinam voluntatem aſſerat, in nobis, & per nos operari omnia, ſeu bona, ſeu mala illa ſint: Vt vitam, ita & mortem, illã, inquam, ſecundam, diuinæ magis voluntatis quam præſcientiæ eſſe actiones. Vnumquenque hominem in eam conditionem creatum, vt poſtea faceret quæcunq́ue facit. Primi hominis caſum, et omnium noſtrorum in eo ruinam, arbitrio ſuo ſic diſpenſaſſe Deum. Breuiter, diuinam voluntatem eſſe rerum omnium neceſſitatem. Eſſe authorem Deũ, æque malorum, vt bonorum omnium, Quandoquidem, inquit, non alia ratione futura præuidet Deus, niſi quia ita vt fierent, decreuit. Cum aũt æque mala & peccata, vt bona, præuiderit, æque vtraq́ue a decreto volũtatis eius, vt dependeant, oportet. Quod ipſum & in peccato primi hominis, & noſtrorum in eo ruina, & in vita, & in morte ac damnatione hominum, velut in exemplis (ſi quis forte dubitaret de vniuerſali eius ſermone & ſententia) clariſſimis etiam verbis ſpeciatim affirmat. Itaq́ue cum ſupra prolixe, atq́ue euidentiſſime demonſtrauerimus, hoc ipſum dogma eſſe peſtilentiſſimum: vniuerſæ Chriſtianæ legi ac religionis diſciplinæ exitioſum: totique diuinæ ſcripturæ contrarium, vniuerſoſque aſſertores eius, ſanctorum omnium, vniuerſæ eccleſiæ catholicæ, atque ipſius quoque ſpiritus ſancti, iudicio, iamdudum ante annos mille trecentos, & eo amplius, pronunciatos hæreticos: publicos hoſtes

Ex demonſtratis ſuperius de libero humanę voluntatis arbitrio, euidenter cõſtare, peſtilentiſſimũ,

hoſtes Dei,& religionis eius:pernitioſos communi vitæ mortaliũ: dignoſque qui exterminentur e cœtu hominum. Satis quoque & huius ipſorũ dogmatis de diuina prędeſtinatione ac prouidentia falſitas,abſurditas,& blaſphema impietas demõſtrata eſt.Ita,vt poſſimus, quod ad hanc rem pertinet,in vtramq; aurem dormire ſecuri,dum noſtris illis pro libertate noſtri arbitrij,& aduerſus neceſſitatem omnium,rationibus(quod fore expecto ad Calendas græcas) ſatisfecerint.

& vniuerſæ Chriſtianæ religioni exitioſam, & toti ſcripturę contrariã, ſententiam aduerſariorum, de diuina prædeſtinatiõe et prouidẽtia

Libet nihilominus etiã hic pauliſper immorari,& explicare, vt impediti ſint miſeri hæretici, in diſſoluendis vel hiſipſis, quæ ſuuſipſorũ ſenſus, ſua ratio, quantumuis cæca & obſcurata ſibi obijcit, aduerſus prædictam ſuã opinionem & ſententiam. Primum enim, occurrit eis aduerſus bonitatem atque æquitatem Dei querimonia, Quem ex optimo & pijſſimo in omnes, & æquiſſimo, iniquum,iniuſtum,atque crudelem faciunt. Deinde, Quod rationem culpæ & meriti tollat,impoſita nobis ex Dei decreto agendi vniuerſa quæ agimus, neceſſitas. Tertio, Quod vniuerſa ſcriptura negat acceptionem perſonarum eſſe apud Deum,quod ſua illi opinio videatur tribuere. Quarto,Quod omnem ſolicitudinem tolleret: omnem humanam prouidentiam:vniuerſum bene agendi ſtudium.

Vt impediti ſint aduerſarij, in diſſoluendis illiſipſis, q̃ ſuaipſorum conſcientia ſibi, aduerſus nunc dictã ſententiam ſuam obijcit, rationibus.

Quatuor argumẽtorum ſcopi, quæ dictæ aduerſantur ſententiæ.

Poſt explicatam itaque ſuam illam de prædeſtinatione ſententiam, primam eam aduerſus eandem obiectionem Caluinus ille inducit in hæc verba.

Ex dei bonitate & ęquitate.

Hæc vero,inquit,dum audit humanum ingenium, cõtineri nequit eius proteruia, quin velut ad cãtum claſſici varie et ſupra modum tumultuetur. Multis modis cum Deo litigant ſtulti homines:quaſi eum teneant ſuis criminationibus obnoxium. Primum ergo interrogant, quo iure ſuis creaturis iraſcatur dominus, a quibus nulla ante offenſa prouocatus fuerit? Nam exitio deuouere, quos placuerit, tyranni magis libidini, quam legittimæ iudicis ſententiæ, conuenire. Eſſe igitur cur cum Deo expoſtulent homines,ſi nudo eius arbitrio, citra proprium demeritum,in æternam mortem prædeſtinantur.

Ex ratione culpæ & meriti.

Quod acceptionẽ perſonarum deo tribuere videatur.

Quod oẽm humanam prouidentiam & ſolicitudinem tolleret.

Caluinus.

Non recte agis Caluine,quod hic accuſas humani ingenij proteruiam,ad veſtram illam abſurdiſſimam,impijſſimam, & quæ cum communi, eoque euidenti mortalium omnium ſenſu & conſenſu pugnat tumultuantis ſententiam. Qui enim poſſet non tumultuari, cum audit,quaſi vi quadam ſibi obtrudi atque ingeri, a quibus non poteſt nõ diſſentire, velut pugnantibus, cum ijs quæ habet certa & euidentia? Tollis omnem quiduis aut agendi aut cogitandi liberam facultatem ex hominibus: facis Dei voluntatem in nobis operari omnia,perinde ac ſi ſerræ quædam traherentur ab opifice: & omnium nobis neceſſitatem abſolutam inducis: facis optimum,pijſſimum,& miſericordiſſimum Deum, iniuſtum atque adeo crudelem; vt qui ob nullam noſtram

Primi Scopi argumẽta vt proponant.

Pighius.

Quæ pugnãtia, cũ his quæ certa & euidẽtia habet humana ratio, dicta ſentẽtia aduerſariorũ in ſe contineat.

ſtram culpam, ſed pro vno ſuo beneplacito, hos morti æternæ damnationique deuoueat, ſicut illos, nullo meritorum aut operum ſuorũ reſpectu, vitæ ac ſaluti deſtinat. Punire Deũ in hominibus, quod ipſe æterno atq; immutabili voluntatis ſuæ decreto operatur in eiſdem, & æque nihil facultatis eorum eſt, quam ſerræ vt ſcite aut imperite trahatur ab opifice. Quod eſſet & iniuſti & crudelis domini, tyrannica magis libidine, quam legittima ratione agentis cum ſuis creaturis. Quæ cum horreat mens pia Deo tribuere, nõ immerito tumultuatur & inſurgit: nõ aduerſus Deum, a quo nihil dubitat hæc alieniſſima: ſed aduerſus te, tuorumq; impietatem, Quorum eſt hæc in Deum execrãda blaſphemia. Sed audi, vt hanc mentis humanæ aduerſus ſuam illam in Deum blaſphemam ſententiam, obiectionem diluat.

Vt dictas mentis humanæ aduerſus ſuã ſententiam obiectiões diluant.

Caluinus.

Eiuſmodi, inquit, cogitationes, ſi quando pijs hominibus in mentẽ veniant, ad frangendos eorum impulſus, vel hoc vno ſatis armabuntur, ſi reputent, quantæ improbitatis ſit, cauſas diuinæ voluntatis perſcrutari. Cum omnium quæ ſunt, ipſa ſit cauſa, & merito eſſe debeat. Nam ſi vllam cauſam habet, aliquid eã antecedat oportet, cui veluti alligetur: quod nefas eſt imaginari. Vbi ergo q̃ritur, cur ita fecerit dñs, reſpondendum eſt, Quia voluit. Quod ſi vltra pergas rogãdo, cur voluerit, maius aliq̃d quæris & ſublimius Dei volũtate: quod inueniri non poteſt, Cõpeſcat igitur ſe humana temeritas: et quod nõ eſt, ne quærat: vt ne forte id quod eſt non inueniat. Hoc, inquam, freno bene continebitur quiſquis de arcanis Dei ſui cum reuerentia philoſophari volet.

Pijs ſufficere hoc vnũ volũt, Q͛ diuinæ voluntatis nõ quærenda cauſa.

Pighius.

Vt inefficax illud eorum ſubterfugium.

Toto cœlo aberras Caluine, qui eiuſmodi, aduerſus impijſſima blaſphemiarum veſtrarũ portenta, pijs incidentium cogitationum impetus, his tuis nugaciſſimis & omni robore deſtitutis cauillis frangendos exiſtimas. Neq; enim nos in quæſtionem vocamus diuinæ volũtatis æquitatem & iuſtitiam: ſed negamus & pernegamus hoc velle Deum, quod illi affingitis impie: hoc de illo certiſſimo perſuaſi, optimum & miſericordiſſimum Deum, ex ſuę bonitatis immenſitate condidiſſe rationabilem creaturam, vt beatæ ſuæ bonitatis eſſet particeps. Nihil odiſſe eorum quæ fecit: nec creando deuouiſſe quenquam damnationi ac internetioni: nihil eius creaſſe niſi ad vitam, non ad vitę contumeliam. Nec nobis perſuadent, veſtræ illi blaſphemæ & horrendæ impietati aſſentiri, ſcripturarum loci quos ad eandem perſuadendam inducitis. Hoc ante omnia perſuaſi, ad pietatis regulã diuinas ſcripturas intelligere. In quibus ſi quid occurreret, quod illi aduerſari nobis videretur, hoc certum haberemus germanam earundem intelligentiam, quam ſpiritus ſanctus intendit, nequaquam nos aſſequi: captiuantes interim rationem noſtram in obſequium fidei. Quanquam, vt nihil veſtrę faueant impietati: nec catholicæ orthodoxæque, quam nos aſſerimus, aduerſentur ſentẽtiæ, inducti per te ſcripturarum loci, poſt ipſa

luce

luce reddemus illuſtrius.

Itaque vt ſit diuina voluntas omnium cauſa quæ facit,eorum certe cauſa eſſe non poteſt, quæ nec vult nec facit: cuiuſmodi eſt mors impij, Nam quod eam non velit, ipſi vel iurato credite. Viuo ego dicit dominus. Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur a via ſua mala & viuat. Quod inſuper nec facit, nec fecerit eandem, diuinum ſpiritum audi ita nobis per ſcripturas ſuas loquentem, Deus, inquit, mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, Creauit enim vt eſſent omnia:& ſanabiles fecit nationes orbis terrarum,Non eſt in illis medicamentum aut venenũ exterminij.Iuſtitiaẽ perpetua eſt & immortalis,Iniuſtitia autem, mortis eſt acquiſitio. Impij autem manibus & verbis accerſierunt illam,Quoniam morte digni ſunt qui ſunt ex parte illius.Audis a Deo neminẽ creari ad mortem : audis, nec Deum velle,nec facere mortem impij,ſed eam ipſius impij eſſe,quanta quanta eſt,vniuerſam.Non lętari Deum in perditione aliquorũ: imo, ſanabiles feciſſe illum natiões orbis terrarum:ſanabiles,hoc eſt,qui poſſent ſanitatem & ſalutem aſſequi, non eſſe in illis ex creatione venenum aliquod exitiale, & exterminij. Ipſam eſſe iuſtitiam, qua ſeruari poſſent a morte, & vitam perpetuam aſſequi, Ipſam iniuſtitiam, eſſe acquiſitionem mortis. Iuſtiſſimi autem atque optimi Dei, natura, & neceſſario odientis iniuſtitiam, voluntate, ordinatione, & decreto, eandem, nulli adeſſe poſſe: ſed impios,manibus & verbis velut amicam accerſijſſe ſibi eandem.

Diuinã voluntatẽ nõ eſſe cauſam eorũ, quæ nec vult, nec facit. Mortẽ impij, nec velle Deũ, nec facere.

Non lætari deũ, in perditione aliquorum. Imo ſanabiles feciſſe omnes.

Deinde, vt verum ſit, non eſſe percunctandas diuinæ voluntatis cauſas,quod ea prima ſit, nec vllam cauſam priorem habeat: diuinæ tamen voluntatis ſi conſilia nulla, rationes nullas percunctari nos volueris, quod nullæ priores ſint, toto aberras ſpatio,Hoc enim certum eſt, infinitam illam ſapientiam ſine ſumma maximaque ratione nihil agere. Quod ſi voluntatis eius nulla ſit prior aut alia ratio, ſed hæc ſit prima omnium, eum hoc aut facere, aut velle, quia ita vult, falſum dixit Apoſtolus, Incomprehenſibilia iudicia eius, & inueſtigabiles vias eius. Si enim fiant vniuerſa, quia illi ita placet, nec eius beneplaciti aut voluntatis vlla prior eſt ratio: facile eſt ſcire, cur quodque Deus ita faciat,hoc ſic,illud aliter:nempe, quia illi ita placet, nec ſunt iudicia eius abyſſus multa.

Diuinæ volũtatis, etſi non ſit cauſa, eſſe tamen rationem et conſilium.

Sed poſt, hac ipſa de re, tractandi incidet locus oportunior, Interim ipſa teſtatur veritas, Deum in his quæ vult, rationem ſemper habere, ad quam reſpiciens ſic velit & faciat. Apud Iohannem de cæco a natiuitate, interrogarunt diſcipuli Ieſum, qua cauſa ille cæcus natus fuiſſet: peccatine, aut ſui aut parentum demerito? Videbant cæcum a natiuitate hominem: nec dubitabant diuinæ diſpenſationis ac voluntatis ordinatione ita factum vt cæcus naſceretur: & rationem diſpenſa-

Deũ in his quæ vult, rationem ſemper habere, ad quam reſpiciẽs ſic velit & faciat.

tionis & voluntatis quærunt, & accipiunt, Vt, inquit, manifeſtentur opera Dei in illo, Eſt ergo diuinæ diſpenſationis & voluntatis, ſi non cauſa, tamen ratio, ad quam reſpicit.

Hic vide, q ſit diuinæ erga electos beneficæ quãuis ab æterno conſtitutæ voluntatis ratio.

Et vt hoc ipſum in altero adhuc demonſtremus exemplo, quod vicinius ſeruit propoſito, Dicit Chriſtus dicturum ſe his qui in iudicio a dextris eius erunt, Venite benedicti patris mei: poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi: Audis paratum, Dei voluntate ac prædeſtinatione electis regnum patris a conſtitutione mundi, Non tamen prohibet, tam beneficæ erga illos diuinæ voluntatis rationem quærere: imo, ipſe rationem ſubiungit: non eam, in qua vna, tu acquieſcendum doces: nempe, quia ipſe ſic voluit: imo ad operum eorundem reſpectum nos docuit oculos conuertere. Eſuriui, inquit, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me. Paratum ergo eſt his regnum ab ipſa mundi conſtitutione, benigna miſericordiſſimi Dei voluntate: Quare? Quia pie victuri erant in hoc ſæculo, in charitate Dei & proximi: cuius velut ſigna & fructus, opera commemorat, quorum ergo, illis regnum patris ab æterno deſtinatum affirmat. Quæ, quanuis regni illam prædeſtinationem infinito interuallo ſucceſſerunt in tempore: tamen ab æterno, diuinæ illius immenſitatis oculo fuere præſentia.

Quæ itẽ deſtinationis reproborũ, ad interitũ.

Ita quoque etiam ad reprobos, qui a ſiniſtris eius erunt, ſe dicturum affirmat, Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Vides & his præparatum Dei voluntate ignẽ æternum: Proinde in mente eius hos, vt maledictos, ab electis illis & benedictis ab æterno fuiſſe diſcretos. Rationem autem huius diſcretionis quærenti, non ingerit vocem illam tyrannicam, Quia ita mihi placuit, hos deuouere damnationi & exitio: ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas: imo operum eorundem reſpectum pro ratione cur damnationi ab æterno deſtinati fuerint, profert. Eſuriui enim, inquit, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum. Vt in his omnibus cõprobetur apoſtolicæ illius ſententiæ veritas, quæ affirmat, prædeſtinationem & electionem piorum ad regnum, & deuotionem impiorum ad ſupplicium, pendere velut ex priori Dei præſcientia. Nam quos præſciuit, hos, inquit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit & iuſtificauit, & glorificauit, Loquitur autem de futuris vt præteritis. Quia eadem eorum omnium in diuina mente eſt ratio: vt cui ęque ſunt præſentia omnia, Et vos non pudet Deo affingere tyrannicam illam crudelitatem & ſæuitiam, vt pro ludo iocoque, pro vno ſuo beneplacito deuoueat exitio quos placuerit, nulla ante prouocatus offenſa: imo, nullius offenſæ reſpectu, ſed quia ita collibitum fuerit? Vt enim, inquis,

Rationem ab æterno diſcretiõis electorũ a reprobis, qualẽ reddiderit Chriſtus?

Quam tyrannicam crudelitatẽ ac ſæuitiam Deo affingant aduerſarij.

quis,Iacob nihil dum bonis operibus promeritus,aſſumitur ingratiã, ſic Eſau nullo adhuc ſcelere inquinatus, in odio habetur. Si ad opera conuertimus oculos,iniuriam irrogamus Apoſtolo. O vocem ter impiam,execrandam,& blaſphemam.

Sed non pro ludo iocoque,inquis, ſed pro illuſtranda nominis ſui gloria. *Cauilli remotio.*

Tibi non conſtas Caluine. Negas beneplaciti ac voluntatis eius vllam rationem quærendam : attamen hic eius rationem reddis, ad quam reſpiciens ſic velit, & ſic faciat. Deinde. Non habet opus ſic illuſtrari nominis eius gloria, vt ad hoc creet homines, vt ipſos excarnificet ſupplicijs,& oſtendat in illis quantum poſſit, Non enim in hoc celebraretur, ſed magis obſcuraretur bonitatis eius & ſancti nominis gloria,Nõ enim,inquit ille,neceſſarij ſunt ei homines impij:imo, æque odit impium & impietatem eius, Non ergo vult vt quiſquam ſit impius:nec ad hoc creat quenquam vt agat impie & damnetur. *Vt obſcuraretur potius, et non illuſtraretur, diuina bonitatis, et ſancti eius nominis gloria, ſi ad dãnationem crearet homines.*

Quanquam ea ſit bonitatis eius immenſitas, vt eorũ impietate vtatur ad ſuam gloriam & electorum vtilitatem.Quam longe autem veſtra illa ſententia abeſt ab ea diuini ſpiritus ſententia? Miſereris omnium,quia omnia potes:& diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.Diligis enim omnia quæ ſunt,& nihil odiſti eorum quæ feciſti:nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti,Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt domine? Ille vobis adhoc creauit impios,vt eſſent impij:vt eſſent vaſa in cõtumeliam:& creando,in mortem eos deſtinat,Quæ & ipſa mors, non tam præſcientiæ quam voluntatis eius, vobis opus eſt. At negat ipſe, velle ſe mortem aut perditionem impij, ſed magis velle vt conuertatur & viuat, Affirmat Apoſtolus benignitatem & longanimitatem Dei eo ſpectare, vt ad pœnitẽtiam peccatores adducat, Tu deſtinato ſuæ voluntatis decreto,vis his præcludi vitæ aditum,nec eo ſpectare benignitatem eius,vt ipſos adducat ad pœnitẽtiam:ſed magis quo ad deſtinatum ipſis finem, hoc eſt,damnationem & interitũ,per illi congrua media perueniant:nunc audiendi verbi facultate eos priuare,nunc eius prędicatione magis excæcare & obſtupefacere. Poſſunt ne vlla magis diſſentire ac pugnare e diametro? *Quantum pugnet aduerſariorũ cum diuini ſpiritus ſententia.*

Miſeretur ille omnium,quia poteſt omnia:& diligit, quæ creauit, vniuerſa:nec aliquid odiens conſtituit aut fecit, imo, vt viuerent & ſuæ beatitudinis participes forent, omnes fecit,etiã impios:nec ex Dei voluntate eſt,quod ſint impij,ſed cõtra eam potius:nec ex ipſo deeſt,quo minus cuiquam adſit nos ſaluans diuina illa ſapientia,per quam ſanati ſunt,inquit ille, quicunq; placuerunt tibi domine a principio: imo de ea ita nobis ſcriptura adhortatur atq; admonet,Non dixeris,per Deũ abeſt:hoc eſt,ex voluntate Dei abeſt,hoc,inquam,ne dixeris:quoniam & falſum eſt,& impiũ hoc dicere:ſed per te abeſt,ſi abeſt:proinde ſubdit, *Deũ feciſſe etiam impios, vt viuerent, & ſuę beatitudinis forent participes. Per deũ nulli noſtræ abeſſe ſaluantem nos diuinam gratiam.*

V iij

dit,Quæ eñ odit,ne feceris.Quaſi diceret,Si hoc feceris,ſi illi placita fe-
ceris,non iã aberit,ſed præſto erit.Subiungit adhuc,Non dicas,ille me
implanauit,(quod merito dicerent oẽs impij ſi veſtra ſtaret ſententia)
non eñ neceſſarij ſunt ei hoĩes impij:imo omne execramẽtum erroris
odit dñs.Nemini enim mandauit impie agere:hoc eſt, neminem vult
impie agere,nec cuiq̃ dedit vitæ ſpatium ad peccãdum, ſed eo reſpicit
eius benignitas & longanimitas, vt adducatur ad pœnitentiam, Non
enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.

Ex doctrina aduerſariorum cõſequi,non deberẽ reprobos deum diligere.

Iam & hoc mihi Caluine reſpõde,Miſeretur ille oĩm, affirmãte ſcri-
ptura:nec quicq̃ odiens fecit aut conſtituit,ſed diligit q̃ creauit vniuer-
ſa:ita vt viciſſim illi ſe debere amoris et honoris obſequiũ,omnis ratio
nalis creatura,ex inſcripto ſibi primo illo oĩm iuris naturæ mãdato in-
telligat. Sed quo pacto verũ hoc eſt,ſi verũ eſt,quod impiũ ipſe creaue-
rit in vitę,quod tu dicis,contumeliã?ſi creauit in damnationẽ et interi-
tum?ſi creauit ad hoc vt impie ageret,& quẽ voluerit impie agere? In
eam nẽpe conditionẽ creatum vnumquẽq; affirmas, vt poſtea faceret
quod facit,Nec alia ratione futura prẹuidiſſe Deũ,(qui æque impiorũ
ſcelera præuidit,vt iuſtorũ pia opera) niſi quia ita vt fierent, decreuit,
Quæ, inquam, erit, diuinæ erga hunc miſericordiæ,q̃ amoris demon
ſtratio,quẽ nihil demeritũ, nec vllius demeriti vel futuri reſpectu, (ni-
ſi mẽtiaris tu)odit anteq̃ fecerit?Id quod Eſau exemplo aſtruis,Quod
ſi verũ eſt,q̃ huic erit ratio,vt odientẽ diligere debeat? Vt ſummo amo-
re illum proſequi,a quo immerito eſt deſtinatus ſupplicio?Si bonũ na
turæ cauſeris ipſum accepiſſe a Deo,& pro eo ſaltem debere Deo gra-
tias,& amoris affectum,quanuis internetioni deſtinatus ſit: contra di-
cit tibi Chriſtus:melius illi fore affirmans , ſi natus non fuiſſet homo il
le,Nihil ergo illi debet,a quo ad hocipſum eſt creatus et cõditus,quod
ipſi peius eſſe,quam nihil eſſe,aut creatum non eſſe Chriſtus affirmat.

Imo,Vt omnes homines,a Dei amore auocent?

Iam vide quo ſpectet veſtrũ illud dogma:et quo pacto ad Dei amo-
rẽ prouocet hoĩes. Nullã merito cauſam habituros illos demõſtraui-
mus,cur Deũ abſq; ſuo demerito ipſos odientẽ , atq; internetõi pro v-
no ſuo beneplacito deuouentẽ,creantemq; in vitæ contumeliã,amore
proſeq̃ deberẽt ac tenerentur.Cũ aũt incertum ſit cuiq;,in quam partẽ
a Deo deſtinatus ſit,& magis metuendũ ne in partem peiorẽ,q̃ ſperan
dum vt in meliorẽ:cum tam ſit exiguus deſtinatorũ vitæ numerus, ad
eos q pereunt,& internetioni deuoti ſunt,In hoc,inquã, incerto & am-
biguo,imo magis veriſimili timore deuotionis ſuæ ad damnationẽ &
interitum,qui poſſet homo alacriter in Dei amorẽ conſurgere? vt cui
plus foret cauſæ odij q̃ amoris,ſi ſecundũ veſtram illam ſententiã,crea-
tus eſſet ad interitũ & ſuppliciũ.Audis itaq; Caluine,quis ſit,et q̃ vehe
mens, aduerſus impijſſima blaſphemiarum veſtrarum portenta, pijs
incidens cogitationũ impetus,q ad tuos illos cauillos nihil remorãtur.

Aduer-

Caluinus. Vt dictas ex Dei bonitate & æquitate obiectiões aduerſus nos diluere conentur, q̃s impios faciunt.

Aduerſus impiorum,inquis, audaciam qui Deo palam maledicere non formidant,dominus ipſe, ſua iuſtitia, ſine noſtro patricinio ſatis ſe defendet: cum eorum conſcientijs omnem tergiuerſationem adimendo cõuictas eas ſtringet, reaſq; peraget, Sed ne illis ſacrum nomen ſuum impune ludibrio habere patiamur, arma quoque aduerſus eos nobis ex verbo ſuo ſuppeditat.

Pighius.

Non male hæc diceretur Caluine, niſi tu dicta bene,intelligeres male:niſi tu malum bonum,& bonum malum faceres. Aduerſus impiorum audaciam,qui Deo palam maledicere nõ verentur,dñm ſua ſe iuſtitia defenſurum,etiam ſine noſtro patrocinio, recte dicitur, Sed hoc non recte,quod nos impios facis, & Deo palam maledicentes, qui veſtram illam execramur blaſphemiam, Qui vos impietatis reos peragimus, Qui vindicamus Dei bonitatem & iuſtitiam ab iniquitate & crudelitate, quam illi impijſſime affingitis, Qua in re, nec eius auxilio nos ſentimus deſtitui, ſed arma potentia atque inuicta aduerſus vos ex verbo eius nobis ſuppeditari.

Caluinus. Qua quæſtione, quæſtionem noſtram eludere conentur.

Proinde, inquis, ſi quis nos huiuſmodi verbis aggrediatur, Cur ab initio Deus ad mortem aliquos deſtinauit, qui cum nondum eſſent, mereri iudicium mortis non potuerant? Nos reſponſionis loco viciſſim eos rogemus. Quid Deum homini debere exiſtiment,ſi eum a natura ſua æſtimare Deum velint?

Pighius.

Nihil hic agis Caluine, qui velut clauum clauo, quæſtionem quæſtione te putas retundere. Quanquam hoc non interrogemus, quaſi Deum credamus ita egiſſe aut agere: ſed vt oſtendamus diuinæ bonitati & æquitati non congruere, vt ita ageret.

Reſponſio orthodoxa, ad quęſtionem aduerſariorum.

Ad tuam autem quæſtionem nobis eſt parata reſponſio,Nihil Deum debere homini: ſed cum non deberet, ex bonitatis ſuæ immenſitate eundem voluiſſe condere, quo eiuſdem bonitatis eſſet particeps. Quod ſi a natura noſtra Deus nos æſtimet, ſuum ipſius opificium, vt æſtimet, oportet: de quo non niſi bene æſtimare poterit: nec in eo vllũ inuenire medicamentum aut venenum exterminij: nihil, quod merito deuoueat damnationi & exitio, Naturam enim noſtram vnius Dei opificium eſſe, ſeu corpus, ſeu animam, ſeu vniuerſum ſpectes, indubitatum eſt, Tuum proinde eſt, vt noſtræ interrogationi viciſſim reſpondeas, Subdis autem.

Caluinus.

Qualiter peccato vitiati ſumus omnes, non poſſumus nõ eſſe Deo odioſi: idq; non tyrannica ſæuitia, ſed æquiſſima iuſtitiæ ratione. Nihil proinde habere omnes filios Adam, quod de eius erga ſe iniquitate conquerantur, ſi ipſos etiam ante ſuam generationem perpetuæ calamitati, damnationi ac morti deuoueat, velut naturali ſua conditione, mortis iudicio obnoxios: deſumptos nempe ex maſſa corrupta.

Pighius. Quã male patrocinentur diuinæ æquitati in electione horum ad vitamq́ deſtinatione aliorum ad ſuppliciũ.

Nec hic tibi conſtas Caluine. Supra aſſeruiſti vnius Dei beneplacito, nullo vero operum, meritorum, aut demeritorum reſpectu, hos eligi ad vitam, illos deuoueri æternæ mortis damnationi & exitio. Et iniuriam nos irrogare Apoſtolo, ſi aut in his, aut in illis, nos ad merita cõuertamus oculos, aut credamus ad ea reſpexiſſe Deum. Deſtinari præterea cuique, eodem diuinæ voluntatis beneplacito ac decreto, media, quibus ad deſtinatum finem perueniant. Cum autem inter hæc media, etiam ipſe ſit lapſus noſtræ originis, Quem, & in eodem, poſteriorum ruinam, non præuidiſſe tantum, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe Deum ipſe affirmas, & ineuitabili decreto ſic conſtituiſſe vt fieret, fruſtra patrocinaris diuinæ æquitati, in electione horum ad vitam, deuotione horum ad ſupplicium, ex eo, quod in mente diuina eſt velut poſterius, & ordine ſequitur: velut deſtinatum medium, ad finem, quem iam ante præfinierat miſeris. Deinde, quando etiam huic veſtro patrocinio, eadem moueri poſſet iniquitatis quæſtio, Qua æquitate, ſuo illo incommutabili ac nobis ineuitabili decreto, præordinauerit & conſtituerit Deus, & noſtram ruinam in Adam, atque etiã, vt faciamus vniuerſa ipſi, quæ facimus impie, quo per hæc ad damnationem perueniamus: contra autem alijs, vt viuant pie, & ad ſalutem perueniant? Proinde tuæ illius reſpõſionis infirmitatẽ ſatis agnoſcens, nec diſſimulans, ad corruptionem quoque illam, quæ pro cauſa damnationis obtenditur, Dei ordinatione prædeſtinatos ante fuiſſe, fateor ſane, inquis, in hanc qua nunc illigati ſunt, conditionis miſeriam, Dei voluntate decidiſſe vniuerſos Adæ filios. Itaq; ſentiẽs omni te iuſta reſponſione deſtitui.

Caluinus. Vt cognoſcens dicti patrocinij ſui infirmitatem, quo confugiat?

Occuremus, inquis, cum Paulo, in hunc modum. O homo, tu quis es, qui diſceptes cum Deo? Nunquid figmentum dicit ei qui ſe finxit, Cur me finxiſti ſic? An non habet poteſtatem figulus, vt ex eadem maſſa faciat, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Negabunt ita vere defendi Dei iuſtitiam, ſed ſubterfugium captari: quale habere ſolent, qui iuſta excuſatione deſtituuntur. Quid enim hic aliud dici videtur, q̃ Deo eſſe potentiam quiduis agendi quæ impediri nequeat, quo minus prout libitum fuerit quiduis agat?

Pighius.

Dei iuſtitia defenſore nõ indiget, Nã cũ ſit optimus & iuſtiſſimus, non põt niſi velle quod bonũ & iuſtũ eſt, Satis nobis conſtat de eius iuſtitia, quod illũ velle cõſtat: cuius volũtas, oĩs iuſtitiæ eſt regula, Recte proinde Apoſtolus, temerariam illorꝫ impudentiã, qui diuinæ voluntati, iuſtitiæ, controuerſiam mouere audebãt, ſæueritatis plena hac obiurgatione retundens. O homo, inquit, tu quis es, q diſceptes cũ Deo? Nunqd figmentũ dicit ei q ſe finxit: & quæ ſequuntur. Hæc, inq̃, recte Apoſt. ſed nõ recte tu. Neq; eñ nos diuinã voluntatẽ in quæſtionem vocamus iniuſtitiæ, imo eandẽ, ab euidẽti, quã vos illi affingitis, iniquitate

tate & crudelitate aſſerimus. Negamus Deum velle mortem impiȷ̃: negamus eum voluiſſe lapſum noſtræ originis,& noſtrorum oĩm:negamus eum velle impiorum impietatem,& iniuſtitiam,& decreto ſuę voluntatis eam ipſis deſtinaſſe, velut medium ad finem damnationis, cui ipſos ſolo ſuo beneplacito deuouerit, Non poteſt infinitæ iuſtitiæ & bonitati placere iniuſtitia aut impietas. Si placere illi non poteſt, nec velle illam poteſt, Nihil enim vult,niſi ſuo beneplacito, Falſiſſima proinde,impiȷ̃ſſima & in Dei bonitatem ac iuſtitiam blaſphema eſt tua illa de prædeſtinatione Dei ſententia. Nota rationem.

Nihil autem ad nos illa verba Apoſtoli, Neq; enim cum Deo, ſed tecum,nobis eſt diſceptatio: qui palam inſana,iniuſta,crudelia, affingis Deo. Tu ergo nobis pro te reſponde (nam cum Deo nobis optime conuenit)& demonſtra,quo pacto,optimo & iuſtiſſimo cõuenire poſſet,vt ſuæ voluntatis decreto committeretur omnis impietas & iniuſtitia, Vt ſimul velit fieri quæ odit, Quo pacto crudele non foret punire in hominibus,quod ipſe,ſuę voluntatis decreto in illis ineuitabiliter operatus eſt, Hæc enim vt diligenter perpendas & conſideres a te exigit noſtra interrogatio: quo a teipſo deprehenſus,tuam nobiſcum exerceris blaſphemiam: & horreas tribuere optimo & iuſtiſſimo, quæ niſi in iniuſtum & malum non poſſunt competere.

Stat proinde inuicta atq; inconcuſſa aduerſus tuos cauillos,quibus eandem eludere conaris,prima noſtrorum,quã ipſe inducis, ex diuina æquitate & iuſtitia deducta ratio, aduerſus impiȷ̃ſſimam veſtram de diuina prædeſtinatione ſententiã. Nunc ad alterã veniendum eſt. Concluſio, de ratione ex diuina bonitate, æquitate, & iuſtitia, aduerſus aduerſario rum de prædeſtinatiõe dei ſententiam.

Alterum quoq;,inquis,obiectũ ab impietate emergit, Quod tamen, nõ tam ad ſuggillationem Dei,q̃ ad peccatoris excuſationem ſpectat. Sic ergo profanæ linguæ ogganniunt. Cur ea vitio Deus imputaret hominibus,quorum neceſſitatem prædeſtinatiõe ſua impoſuit? Quid enim facerent? An cum decretis eius luctarentur? At fruſtra id facturi ſint,quin omnino facere non poſſint, Non ergo iure ob ea puniuntur, quorum præcipua in Dei prædeſtinatione cauſa eſt. Caluinus. De obiectione, Ex ratione Culpæ, Meriti, & diuini iudiciȷ̃.

Vobis Caluine conuerſæ ſunt rerũ ſpecies: bonum,malum: malum, bonũ facitis: lucem,tenebras,& contra tenebras ſtatuitis lucem. Nõ ab impietate emergentẽ hanc obiectionẽ profanæ linguæ oggãniunt, ſed pietatis eſt ea,aduerſus abſurdiſſimã impietatẽ veſtrã, totius ſcripturæ authoritate,catholicæ eccleſiæ clariſſima definitione,ſanctorũ oĩm,imo mortalium ab initio oĩm conſenſu dãnatam ſententiam, (qua libertatem nobis abrogatis arbitriȷ̃,& rerum oĩm ineuitabilẽ neceſſitudinem inducitis) certiſſima atque inuictiſſima ratio,fundata in eo,quod naturaliter omnibus notum eſt,axiomate, in quo,& pueri & ſenes,& docti pariter & indocti conſentiunt, Nihil cuiquam ad culpam imputari poſſe,cuius euitandi nullam poteſtatem habeat: nec pro eo quenquam Pighius.

recte

recte aut vituperari aut puniri. Quẽadmodum ſupra vbi libertatẽ aſſeruimus arbitrij, aduerſus te & vr̃os, luculẽtiſſime demõſtrauimus. Sed videamus vt fruſtra laboret, in diſſoluẽdo hoc nodo plane inſolubili.

Caluinus. Inprimis fatetur non patere ſibi refugium ad nudam Dei præſcientiam, qua impiorum hominum peccata præuideat, ſed non faciat, Quandoquidem ea non præuidiſſe ſolum Deum, ſed deſtinato conſilio in eum finem creaſſe hoĩem affirmat, vt ſe in terra ita gereret. Deiñ ſcripturæ authoritate eamipſam ſuã ſententiã ſtatui & cõfirmari affirmat, Qñquidem ait Salomon, Deum oĩa propter ſemetipſ̃m condidiſſe, impium quoq; ad diem malum, Ecce, inquit, cum rerꝫ oĩm diſpoſitio in manu Dei ſit, cum penes ipſum reſideat ſalutis & mortis arbitrium, conſilio nutuq; ſuo ita ordinat, vt inter homines naſcantur ab vtero certæ morti deuoti, qui ſua perditione Deum glorificent.

Reſponſio ſine reſponſione.

Pighius. Sunt qui ſcripturarum ſenſum ex ſcripturis, atq; earundem certiſſima atq; infallibili amuſſi inquirunt, Sunt & qui ſuum ſenſum ad ſcripturas afferunt, Quibus ſcripturę dicunt, quicquid voluerint, Vnum em̃ hoc quærunt, non verum germanũq; ſcripturæ ſenſum intelligere, ſed ſuæ impietatis venenum quoquo artificio tegere ſub aromate eloquiorꝫ cœleſtium, quo ita facilius ipſum propinent incautis. Quã vero inter hos partem tu Caluine, cũ Luthero tuo, & cæteris veſtri Euangelij præconibus teneas, ſpero me redditurum ipſa luce clarius.

Salomonis illam ſententiam hactenus legerunt omnes. Nemo tamẽ ex ea intellexit, quod tu, præter pauciſſimos, damnatiſſimos, perditiſſimoſq; hæreticos, Lutherum, Vuiclefum, Valleñ. Abailardum, homines mente corruptos, & datos in ſenſum reprobum, quibus clariſſimũ atq; euidentiſſimum veritatis lumen nõ fulſerat, ſed in meridiana luce palpitarunt velut in denſiſſimis tenebris. Omnia propter ſeipſ̃m operatũ eſſe dñm confitemur cum Salomone. Propter ſeipſum, inquã, hoc eſt, propter ſuæ bonitatis immenſitatẽ: quæ ſola ipſum mouit, vt ſuæ beatæ bonitatis capacem & participem creaturã rationalem cõderet, Nõ, vt inde ad ſe aliquid rediret, aut referret ſuæ gloriæ, ſeu cuiuſq̃ rei alterius: vt qui beatus & perfectus in ſe & per ſe, ſibi totum totus eſt: nulli locum relinquens quod ſibi vndecunq; poſſit accedere: ſed, vt ſua bonitas, velut a ſe exiret, & extenderetur in alia. Ita, vt in condenda creatura ſua, non ad ſuam, ſed ad vnam ipſius vtilitatem reſpexerit: vt bene eſſet nobis, non ſibi, per nos. Id quod ipſi diuino ſpiritui clariſſime affirmanti credite, Sed nunc, inquit, Iſrael, quid dominus Deus tuus poſcit a te, niſi vt timeas dominum Deum tuum, & ambules in omnibus vijs eius, & diligas eum, & ſeruias domino Deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & cuſtodias præcepta domini Dei tui, & iuſtificationes eius, quæ ego præcipio tibi, vt bene ſit tibi? Innocentiæ, religionis, & fidei obſequium a nobis poſtulat:

Omnia propter ſeipſ̃m operatum dominum, & quõ'

amari

amari ſe exigit:non vtique noſtri in ſe amoris aliquem fructum percipiens,ſed amore ipſo potius nobis,qui eam amamus,profuturo. Nam eo reſpicit,vt per amoris ſui &obſequiȷ̃ meritum,beatitudinis ac bonitatis ſuæ munere digni iudicemur, Vt bene,inquit,ſit tibi. Infinitæ em̃ bonitatis,ſeu vſus,ſeu in alios diffuſio,(vt ſplendor ſolis,vt lumẽ ignis, vt odor ſucci)non præbenti,ſed accipienti vtentiq; proficit.Operatus eſt ergo,bona omnia, quia bonus eſt:a ſuaipſius bonitate,& non aliunde ad hoc prouocatus. Vt vero mala operetur,quemadmodũ ſtultiſſime atq; impijſſime cum Luthero, & cæteris illis quos enumerauimus præceptoribus tuis opinaris tu,infinitæ bonitatis non admittit ratio,et ſcriptura euidenter redarguit, Vidit,inquit,cuncta quæ fecit, & erant valde bona,Nihil ergo mali ad opus eius pertinet.

Infinitæ bonitatis vſum diffuſionemq; in alios, nõ præbenti, ſed accipienti vtẽtiq; proficere. Infinitã bonitatem, mala operari non poſſe,Proinde nec velle.

Quod ſi mali nihil facit:neq; etiam vult fieri,nec voluntatis eius decreto conſtitutum eſt,vt fiat a quoq̃, Quoniam omnia quæcunq; voluit,fecit & in cœlo & in terra,Nihil voluit quod nõ fecit.Malum non fecit,ſed nec poteſt:Nõ voluit igitur vt fieret. Vides Caluine vt etiam iſipſe quem pro te adducis,& cui præcipue niteris,ſcripturæ locus,noſtram clariſſime aſtruat & tuam condemnet ſententiam.

Cui in nullo ſuffragatur,quod illi coniungitur,Et impium in diem malum,Non enim impietatem creauit Deus, nec quenq̃ fecit vt eſſet impius: ſed a ſe factum talem, & contra eius voluntatem (vt qui odit impium & impietatem eius) factum talem videns,deſtinauit in diem malum:hoc eſt,in ignem æternũ,qui præparatus eſt diabolo & membris eius ab ipſa mundi conſtitutione.

Impium ad diem malum, quomodo deſtinarit Deus.

Sed heus tu Caluine, perge propoſitum nodũ abſoluere, Perge demonſtrare,vt iuſte quis damnaretur a Deo, pro eo, cuius idemipſe,illi neceſſitatem impoſuiſſet:imo,quod idemipſe, ſua illa omnipotenti efficaciq; voluntate in eo operatus eſſet,ita vt verius poſſis dicere, hunc ineuitabiliter pati,quam agere,quæ videtur agere. Inprimis confeſſus es,in nuda præſcientia qua futura noſcat & non faciat, tibi non eſſe refugium.Deinde Salomonis illam ſententiã admittimus, Omnia propter ſe,infinitamq; bonitatem ſuam operatum eſſe dñm: & ob eandẽ, quo ſibi diſplicere oſtenderet omnem impietatem ac malitiam, præparaſſe impio ſupplicium,& deſtinaſſe eum in diem malũ, niſi tñ pœnitentiam ageret:ad quam ſua illum benignitate,longanimitate, patiẽtia, & varijs occaſionibus, & medijs prouocare non ceſſat,non inclamare quotidie,& cordis eius oſtium pulſare.Sed hæc quid ad nodum?

Recollectio, vt hactenus propoſitus nodus indiſſolutus permanſerit.

Si quis,inquis,cauſetur nullã eis inferri neceſſitatẽ ex Dei prouidentia,ſed potius ea conditione creatos a domino, quoniam futuram eorũ prauitatem præuiderit,neq; nihil dicit,neq; totum. Solere quidem interdum hac ſolutione vti veteres,ſed quaſi dubitanter,Scholaſticos vero in ea acquieſcere,ac ſi nihil contra opponi poſſet. Caluinus.

Hic

Pighius. Omnium orthodoxorum certā eā eſſe ſententiā, diuinam prouidentiā, nobis actionū noſtrarum neceſſitatē non imponere.

Hic præuaricaris Caluine,& cauſam noſtram infideliter agis. Affirmo ego illum totum dicere, qui dicit Deum ſic res adminiſtrare quas condidit, vt proprios eos motus ſinat agere: ſinat hominem, cui liberū voluntatis dedit arbitrium, eoipſo vti pro ſuo arbitrio. Cuius nihilominus motum, vniuerſumq; vſum ab æterno videns immenſus ille deitatis oculus, pro infinita ſua bonitate & ſapientia, deſtinauit, aut ad ipſius, aut ad aliorum vtilitatem: aut ad illuſtrandam ſuam in electis gloriam. Nihil enim tam malum eſt, quo ille, pro infinita ſua bonitate non vtatur bene, & vnde non boni aliquid eliciat.

Petrus apud Clementem, aduerſus Simonem.

Hac ſolutione vti veteres noui, non quaſi dubitanter, ſed velut certa. Hac (quod ſupra audiſti) Petrus apud Clementem, aduerſus patrem veſtrum, illum Simonem Magum, a quo vetus ille turpitudinū gurges ad vos occulta ſucceſſione manauit, Valde, inquit, ignoras, o Simon, quomodo in ſingulis quibusq; ſit voluntas Dei, Quædam eñ voluit ita eſſe, vt aliud eſſe non poſſint, quam id quod ab ipſo inſtituta ſunt, Et his neq; præmia, neq; ſupplicia ſtatuit. Ea vero quæ ita eſſe voluit, vt in ſua poteſtate habeant, quod velint agere, his pro actibus ac voluntatibus ſuis ſtatuit, vt aut remunerationes mereantur aut pœnas. Vides vt hic diuinam voluntatem in diſpenſando homine, non impedire, non tollere, ſed ſtatuere potius eius libertatem arbitrij prædicat: ſine qua, nec legibus, ſeu diuinis, ſeu humanis, nec iuſto Dei de impijs iudicio locū fore affirmat.

Tertullianus, aduerſus Marcionem.

Eadem Tertullianus aduerſus Marcionem vſus eſt: demonſtrans liberum a Deo inſtitui debuiſſe hominem, Cui, tametſi non ignoraret libertatem fore exitio, æque ſine ea, ſuæ beatiſſimæ bonitatis, ipſum fore non poſſe capacem & participem, quo ipſum condere conſtituerat, Neq; eñ boni, inquit, neq; mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus, neceſſitate, non liberà voluntate fuiſſet inuentus. Factum aūt hominem ea libertate, nō vt peccaret, & peccando periret, (quem adhuc, ad vitam reſtitutum cupit, malens pœnitentiam quam mortem peccatoris) ſed vt ſub Deo obedienter & recte viueret.

Irenæus, aduerſus Valentinum.

Eadem quoq; Irenæus aduerſus Valentinum, cæteroſq; eius ſæculi, ex veſtra illa Simonis ſchola prodeuntes hæreticos, non vt dubia ſed vt certiſſima vſus eſt. Ita quidem diuina prouidentia adminiſtrari omnia, vt relinquat nihilominus hominibus ſui libertatem arbitrij, ſine qua nec laudabiles forent boni, quod boni ſint, nec vituperabiles mali, multo minus, ſupplicio digni, quod mali ſint. Tolleretur proinde diuinum de nobis iudicium, Sine quo denique, nec legi, nec admonitioni, exhortationive vllus locus foret.

Breuiter, Eadem omnium.

Et ne fruſtra ſim prolixior, Eadem eſt & fuit orthodoxorum ab initio omnium, non dubia, ſed certiſſima ſententia, Quod diuina prouidentia libertati humani arbitrij nihil præiudicet: nec eorum quæ agimus omnium, ineuitabilem neceſſitatem nobis imponat, quemadmodum

ſupra

ſupra luce clarius demonſtrauimus. Nihil proinde mirum,in hac ſententia,velut certa,&cui nihil cōtra opponi poſſet,acquieſcere ſcholaſticos omnes.Sed ad nodum,quid iſta Caluine? Quem pergens non ſoluere,ſed magis perplexum atq; inextricabilem reddere.

Equidem, inquis,præſcientiam ſolam , nullam inferre neceſſitatem creaturis libenter conceſſero, tametſi non aſſentiantur omnes, Verum mihi acutius ac prudentius videtur perſpexiſſe Valla, qui ſuperuacaneam hanc eſſe contentionem oſtendit, Quoniam, & vita & mors, diuinæ magis voluntatis quam præſcientiæ ſint actiones, Si hominum euenta præuideret Deus duntaxat, non etiam ſuo arbitrio diſponeret ac ordinaret,tum non abs re agitaretur quæſtio , ecquid ad eorum neceſſitatem valeat ipſius prouidentia? Sed cum non alia ratione,quæ futura ſunt,præuideat,niſi,quia ita vt fierent,decreuit, fruſtra de præſcientia lis mouetur, vbi conſtat ordinatione potius & nutu omnia euenire.

Caluinus.

Vallę opinionem aſſerit.

Non præſcientiæ ratione, ſed voluntatis decreto, diuinam prouidentiā inferre neceſſitatem creaturis omnibus.

Pighius.

Scilicet? Quanuis ex ſola præſcientia non inferatur nobis omnium ineuitabilis neceſſitas. Ex prouidentia tamen inferri, qua non tantum præuidit futura omnia, ſed etiam ſuo arbitrio diſponit atque ordinat,Neque enim alia ratione quæ futura ſunt, præuidere Deum, niſi, quia ita vt fierent, decreuit, Et hæc acutius ac prudentius perſpexiſſe tibi videri Vallenſem, quam aut ſcholaſticos aut veteres? Hoc eſt Caluine nodum ſoluere, & non potius ſtringere: Quanquam nihil poſſit his dici magis abſurdum, magis impium, magis in Deum blaſphemum, euidentius damnatum omnium ab initio mortalium ſententia. Aduerſus quam,tollens arbitrij libertatem ex hominibus,atque omnium nobis ineuitabilem neceſſitatem inducens,tollis leges, & diuinas & humanas: tollis omnem humanam induſtriam & prouidentiam:tollis omnem diſciplinam,omnem bene agendi conatum , omnem religionem,ex hominibus:tollis iuſtitiam diuini de nobis iudicij:Deum ipſum deniq;:niſi cum præceptoribus illis veſtris, Simone, Marcione,Valentino,etiam alterum Deum malum, malorū omnium authorem ac ſcaturiginem,a quo non eſſet aliena,aut crudelitas,aut etiam ſtultitia,fingere ſuſtineamus . Eiuſmodi enim vos execrāda veſtra blaſphemia nobis Deum producitis,quemadmodum ſupra luculentius demonſtrauimus.Et quæ eſt hæc veſtra prodigioſa ſententia.Non alia ratione quæ futura ſunt præuidere Deum, niſi quia ita vt fierent, decreuit? Nunquid Deus non præuidet impietatem impij? nunquid & odio non habet eandem impietatem impij? nunquid decreuit aut voluit fieri, quod odit fieri? nunquid vult quod odit? Quæ eſt hæc miſera in Deo pugna,diſſenſio,& contrarietas? Sed te reuoco ad nodum,Impia ſuper impia,abſurda ſuper abſurda, congeris: nodum tamen non attingis. Itaq; ſubdis.

Vt propoſitum nodū non ſoluat ſolutione ſua, ſed ſtringat potius, Et q̄ nihilominus dicat, abſurda, impia,& in Deum blaſphema.

Nota abſurditatem & pugnantiā.

Vt tamen nodū nuſquam attingat.

Caluinus. Inficiari ergo non poteris, quin præſciuerit dominus, quem exitum habiturus eſſet homo, antequam ipſum conderet: & ideo præſciuerit, quia decreto ſuo ſic ordinarat, Nec abſurdum, inquis, videri debet, quod dico, Deum non modo primi hominis caſum, & in eo, poſteriorum ruinam præuidiſſe: ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe. Vt enim ad ſapientiam eius pertinet, omniũ quę futura ſunt eſſe præſcium: ſic ad potentiam, omnia manu ſua moderari ac regere.

Pighius. Quin præſciuerit Deus quem exitum eſſet habiturus homo priuſquam eum conderet, nemo it inficias. Quod ideo præſciuerit, quia decreto ſuo ſic ordinarat, nemo tibi pius conceſſerit, Ad infinitam ſapientiam, aut potius infinite ſapientem immenſumque intellectum pertinere, vt nihil in vniuerſa æternitate exiſtens ipſum lateat, ſed vniuerſa ſint illi aperta & præſentia, nihil dubitamus. Ad infinitam quoque potentiam pertinere affirmamus, attingere a fine vſque in finem potenter, & moderari ac diſponere ſuauiter omnia, Quodque, ſecundum modum ſuæ conditionis & naturæ, quam cuique, non fruſtra attribuit: Vt ordo ille quem conſtituit rerum, ſuo curſu procedat: vt quodque faciat & operetur, ſecundum vim illam atque energiam, quam ipſi indidit: Quædam determinate certum aliquod, quod ipſis conſtitutum eſt: quædam libere, Aeque tamen affirmamus infinitæ potentiæ (quæ niſi cum infinita bonitate eſſe non poteſt) minime conuenire, vt quæ aguntur ſcelerate atque impie, ſua manu peragantur, & fiant: vt infinite bono non diſpliceat malitia & impietas: non oderit mala & impia: vt ſumma & commutabilis vnitas a ſe diſſideat, & ſimul velit quod oderit, Sed nodi propoſiti ſolutionem, adhuc fruſtra expecto & circunſpicio.

Needum, ad nodum.

Caluinus. Non dubitabo igitur, inquis, cum Auguſtino ſimpliciter fateri, voluntatem Dei, eſſe rerum neceſſitatem omnium, Atq; id neceſſario futurum eſſe, quod ille voluerit, Quemadmodum ea vere futura ſunt, quæ præuiderit.

Voluntatẽ Dei, omniũ rerum eſſe neceſſitatẽ.

Pighius. Vt nihil tu dubites affirmare quicquid tibi hæretico furore alienato atq; ebrio in buccam venerit, quantumuis abſurdum, quantumuis impium, quantumuis blaſphemum, quantumuis communi catholicæ eccleſiæ definitione, & concordi totius humani generis ab initio ſententia damnatum id ſit, iamdudum ſatis conteſtatum feciſtis, & iam mirari deſijmus. Voluntatem Dei eſſe omnium quæ fiunt neceſſitatẽ, quale ſit, ſupra luce clarius factum eſt, Sed quod hanc tuam abſurdiſſimam & blaſphemam impietatem Auguſtino affingis, omne apud me miraculum ſuperat. Quantum ille abſit ab hac tua ſententia, quem vnum veterũ oĩm vbiq; producis velut ſubſcribentem tuæ ſententiæ, ſupra libro tertio & ſequentibus, ſatis, ni fallor, ſuperque a nobis demonſtratum eſt: ne hic ſim fruſtra repetendo prolixior, Quod ſi hic

Quã mendaciter Auguſtino affingat dictam ſuam ſententiã.

locum

locum aliquem citaſſes, vbi tecum conſentiat, iam iterum te conuiciſſem (quod toties feci) impudentiſſimi mendacij. Iam tamen aliquando ad nodum.

Nunc ergo, inquis, ſi pro ſua & impiorum excuſatione, vel Pelagiani, vel Manichæi, vel Anabaptiſtæ, vel Epicurei, (nam cum iſtis quatuor ſectis nobis in hoc argumento negotium eſt) neceſſitatem qua ex Dei prædeſtinatione conſtringuntur, obijciant, nihil afferunt ad cauſam idoneum.

Caluinus. Quas fingat ſectas, quibus cũ in hoc argumento ſibi putet eſſe negotium.

Cum ijs quas nominas ſectis nihil nobis cõmune eſt, Quanquam quid quæ earum ſingulare & proprium habeat, ſatis didiciſſe mihi non videris, Manichæi & Anabaptiſtæ, in hoc argumento vobiſcum ſentiunt, proinde aduerſus illos non habes negotium, Pelagianis, quod ad hoc argumentum proprie pertinet, nihil ſingulare aut proprium, ab Auguſtino aut cæteris, quibus aduerſus illos certamen fuerat, attributum video. Epicurei, qui a Chriſtianis nominentur indigni ſunt.

Pighius. Vt non intelligat ſectarũ quas cõmeminit ſententias.

Vobis vero, aduerſus nos, orthodoxæ & catholicæ fidei aſſertores, eſt negotium: qui non pro noſtra impiorum excuſatione, neceſſitatem proferimus, qua ex Dei prædeſtinatione conſtringimur: vt qui ſciamus nos nulla neceſſitate conſtrictos libera voluntate peccare quæ peccamus, Sed ad veſtram impietatem conuincendam vos interrogamus, quæ admitteret iuſtitia, vt quis damnaretur a Deo, pro eo, cuius idem ipſe illi neceſſitatem impoſuiſſet? imo, quod idem ipſe, ſua illa omnipotenti efficacique voluntate in eo operatus eſſet: ita vt verius poſſes dicere, hunc ineuitabiliter pati quam agere hoc ipſum, quod videtur agere: præſertim, cum communi mortalium ab initio omnium, naturalique conſenſu, nemo iure vituperetur, pro eo, quod vitare nullo modo potuit, multo minus, iuſte illo omnium grauiſſimo ſupplicio afficitur. Hoc vos interrogamus Caluine: hunc tu nobis, ſi potes, nodum explica, cuius tamen cauſa, tam multa hactenus verba, neque cœlum, quod dicitur, neque terram contingentia fruſtra profudiſti. Audi tamen, vt iam tandem audere incipiat vicinius ad nodum accedere, quem videtur ſubterfugiſſe hactenus.

Vt diſſimulet, quibus cum, vere ipſis eſt negotium.

Si enim, inquit, prædeſtinatio aliud nihil eſt, quam diuinæ iuſtitiæ, occultæ quidem, ſed inculpatæ, diſpenſatio, quia non indignos fuiſſe certum eſt, qui in eam ſortem prædeſtinarentur, iuſtiſſimum eſſe interitum quem ex prædeſtinatione ſubeunt, certum eſt.

Caluinus. Vt tandem audeat nodum attingere.

Si ſeipſum hic intelligit Caluinus, ego meam tarditatem ingenue fatebor. Supra, prædeſtinationem definiuit æternũ Dei decretum, quo apud ſe conſtitutum habuit, quid de vnoquoque homine velit fieri, Neque enim pari conditione creari omnes, ſed alijs vitam æternam, alijs damnationem æternam præordinari, Et prout in alterutrum fi-

Pighius. Vt ſe ipſum non intelligat, ſecum pugnet Caluinus.

nem quiſque conditus eſt,ita & media cuiq;, quo ad eundem perueniat, deſtinari & conſtitui. Ita vt prædeſtinatio, primum ſit, quod diſcernat inter electos & reprobos: nullo operum, nullo meritorum, dignitatis,aut indignitatis reſpectu, Siquidem hanc diſcretionem, ſequi non præcedere, dignitatem aut indignitatem: ſequi, inquam, vt effectum,ſuam cauſam: & velut id quod fit alicuius finis gratia, prædeſtinationem ad illumipſum finem. Et iniuriam nos irrogare Paulo apoſtolo,ſi in hac diſcretione,alio quam in vnius Dei beneplacitum conuertamus oculos: cuius nulla cauſa quærenda ſit: vt quæ nulla ſit alia, quam quod ita velit: ita ſibi placeat, Vide nunc, vt hæc prædictis conſentiant.

Inprimis diuerſiſſima hic affertur, ab illa, prædeſtinationis definitio,Secundum illam,vt audiſti,eſt diuinæ voluntatis decretum, quo apud ſe conſtitutum habeat, quid de vnoquoq; homine fieri velit, Ergo hoc decretum ſequitur,quicquid de vnoquoq; homine,aut fiet aut factum eſt:atq; ita ſequitur vt ſuam cauſam effectus, Huius proinde decreti,& primi hominis, atq; omnium noſtrum, & in ipſo, & in nobiſipſis,lapſus & peccatum, vt ſit effectus oportet, Id quod ille etiam aperte confitetur.Non poteſt autem vlla eſſe,ſed nec imaginari quidem dignitas aut indignitas ad vitam beatam, aut ad interitum, ante pctm̃ & meritum,Non inuenit ergo,ſed fecit,& dignos,& indignos, prędeſtinatio, Secundum hanc autem definitionem quam hic profert,cōtra ſe plane ſe habent omnia.Nam hic prædeſtinationem præcedit dignitas ac indignitas,Quia,inquit,non indignos fuiſſe certum eſt, qui in eã ſortem prædeſtinarentur: Iuſtiſſimum proinde eſſe interitum, quem ex prædeſtinatione ſubeunt,certum eſt, Poſſunt ne vlla magis pugnare e diametro? Si in hunc modum intelligitis prædeſtinationem,vt eã præcedat dignitatis indignitatiſque præſcientia:atq; eius reſpectu, hi prædeſtinentur ad vitam,hi vero ad interitũ,quorſum inducta eſt pluſq̃ gladiatoria hæc inter nos cōcertatio? Et hi nouã,ſi Chriſto placet,inſtitutionem Chriſtianę nos religiōis docebũt,q nec ſeipſos q̃dẽ intelligũt?

Ad hæc,inquit,ſic ex Dei prædeſtinatione pendet eorum perditio, vt cauſa & materia in ipſis reperiatur. Lapſus eſt enim primus homo, quia dominus ita expedire cenſuerat:cur cenſuerit nos latet,Certum tamen eſt,non aliter cenſuiſſe,niſi quia videbat nominis ſui gloriam, inde merito illuſtrari, Vbi mentionem gloriæ Dei audis, illic iuſtitiam cogita.Iuſtum enim eſſe oportet, quod laudem meretur. Cadit igitur homo,Dei prouidentia ſic ordinante:ſed ſuo vitio cadit.

Hic non vno nobis Oedipo opus eſt, qui hæc ænigmata explicet, Quod ſi ipſe præſtare potueris,credam intellexiſſe te,quid hæc dicens intellexeris,Sic,inquis,ex Dei prædeſtinatione pendet eorum perditio, vt cauſa & materia reperiatur in ipſis. Hoc velim mihi inprimis Calaune

Hunc nodum ſoluat Caluinus.

Caluinus.

Pighius.

uine reſpondeas, Cum Deus ſua prædeſtinatione hos deuoueret exi-tio,atq; illos ad vitam eligeret,an iam tum in illis,perditionis cauſam et materiam,ob quam eoſdē damnationi deuouerit, fuiſſe intelligas: aut ſaltem,an reſpiciens ad id quod futurum præuidit, nempe, peccatum, atque in eodem impœnitentiam, ob idipm illos deuouerit damnatiōi & ſupplicio. An vero ante p̄deſtinationē nihil erat eiuſmōi: nec quicq̄, quanuis futurum in tempore, tamen in præſciētia ſibi ab æterno præſens,reſpexerit eiuſmodi,eos internetioni addicendo: ſed pro vno ſuæ voluntatis beneplacito hoc fecerit:ita vt prędeſtinatio eiuſmodi,etiam cauſa ſit mediorum omnium quibus ſuo quiſque conſtituto tempore ad illum finem perducetur: hoc eſt, lapſus, infidelitatis, impœnitentiæ, cæterorumq; vitiorum eiuſmodi, Si primo hæc modo intelligas, iam non admodum diſſentis a nobis, ſed diſſentis a teipſo, & tibi palam contradicis: vt qui affirmas ac doces,nudo ſoloque diuinæ voluntatis beneplacito ac decreto,quod prædeſtinationem appellas,hāc diſcretionem inter hoīes fieri,& media cuiq; ad ſuum finē conſtitui: nec in hoc reſpicere ad futura,aut opera,aut merita,quæ, prædeſtinationis illius effectus non cauſæ ſint, Deinde hoc certum eſt: ſi per gratuitam electionem & prædeſtinationem,prima facta eſt inter homines diſcretio, ante diſcretionem eiuſmodi, nulla, neque in mente diuina,poterat eſſe eorundem diſcretio: nec aliud in eis apprehendere potuit, quam ſolam naturam, in qua ipſos condere conſtituerat, Neceſſe eſt ergo, vt quam tu dicis cauſam & materiam perditionis, quod vitium, in ipſis fecerit prædeſtinatio, non inuenerit: fecerit, inquam, vt omnia, ineuitabiliter: quod ad nos equidem attinet, In qua ſententia ſi acquieſcis, quo tibi conſentias, nihil hæc ad diſſoluendum propoſitum nodum pertinent, Nam inueniatur in deſtinatis exitio cauſa materia & vitium, ſi hæcipſa cauſa, ſi hæcipſa materia, hocipſum vitium, in nobis ex decreto diuinæ voluntatis ſunt, & ita ſunt, vt noſtræ poteſtatis ea vitare prorſus non fuerit, ſtat quæſtio. Quænam admittat æquitatis ac iuſtitiæ ratio, vt pro eo, quem addicat damnationi perpetuæ & ſupplicio,quod in ipſo ſuæ voluntatis omnipotenti illo atq; incōmutabili decreto operatus eſt, Sua enim damnaret,non hominis opera, Quod ſi nec vituperari quidem meretur quis, pro eo quod vitare prorſus nō potuit,hic quæ iuſtitiæ ratio eſſe poterit?

Ec hunc nobis nodum ſoluat Caluinus.

Iam & hoc quale eſt? Lapſum primum hominem, quia dominus ita expedire cenſuerat: cur cenſuerit,nos latere. Certum tamen eſſe,non aliter cenſuiſſe,niſi quia videbat nominis ſui gloriam inde merito illuſtrari, Gloriam aūt Dei,niſi in iuſto,aut iuſtitia,eſſe non poſſe. Cauſam lapſus primi hominis,confiteris diuini beneplaciti decretum, Nec ipſi ergo,nec nobis,eius lapſus ad damnationem imputari merito potuit, niſi dictum nodum ſolueris.

Eū hunc nodū nunq̄ explicabit Caluinus, cū ſuis vniuerſis.

Deinde, Decreti illius diuinæ voluntatis cauſam reddis, Quia ita expedire cenſuerit: Qua in re, non conſtas tibi. Nam ſupra, quando nihil habebas, quod reſpōderes eiuſmodi, ſummæ tibi improbitatis erat, cauſas diuinæ voluntatis perſcrutari, Cum oīm quę ſunt, ipſa ſit prima cauſa, Nam ſi, inquis, vllam ipſa cauſam habeat, aliquid eam antecedat, oportet, cui veluti alligetur: quod nefas ſit imaginari, Vbi ergo quæritur cur ita fecerit dominus? reſpondendum eſſe, quia ita voluit, Quod ſi quis vltra pergat rogando, cur voluerit? ipſum maius aliquid quærere & ſublimius ipſa Dei voluntate: quod inueniri non poſſit, eo quod non ſit, Compeſcat igitur, inquis, ſe humana temeritas, & quod non eſt, ne quærat: ne id quod eſt non inueniat.

Agnoſcis opinor tuaipſius verba Caluine, Vnde ergo tam repente hor obliuio? Quid hic quæris cauſam diuini decreti, cuius extra ipm, niſi mentiaris tu, nulla eſt? Hic tibi decreuit vt laberetur primus homo, ad cauſam aliq̄ ob quam ita decreuerit, nēpe ad vtilitatē reſpiciens, ſed cuius obſecro vtilitatem? Nunquid homini vtile & expediens erat, vt caderet? Nunquid Deo? Cur cenſuerit, inquis, nos latet: Imo dicis tibi patere: quia videlicet ita expedire ipſi viſum eſt, ſed forte intelligis nos latere, cui, aut in quo, idipſum fuerit expediēs. Attamen, perinde quaſi te non lateret, ſed certum tibi eſſet, ſubiungis. Certum tamen eſt, non aliter cenſuiſſe, niſi quia videbat nominis ſui gloriā inde merito illuſtrari. Quis te nunc tam repente eius rei certum reddidit, quam continuo ante nos latere profeſſus es? Deo ergo expediuiſſe hominis lapſum nunc iudicas: & in quo ipſi expedierit: nempe, ob illuſtrandam nominis eius gloriam. At nos ſupra demonſtrauimus, Deum in condenda creatura ſua, non eo reſpicere, vt inde ad ſe aliquid rediret: aut referret, ſeu gloriæ, ſeu cuiuſq̄ rei alterius: vt qui beatus & perfectus in ſe, & per ſe, ſibi totum totus ſit, nulli locum relinquens, quod ſibi vndecunque poſſit accedere: ſed ad hoc vnum, vt ſua bonitas a ſe exiret, & extenderetur in alia: quæ ipſa natura boni eſt, Creaſſe proinde rationalem naturam ſuæ beatæ bonitatis & capacem & participem: non vt ſibi inde, ſed vt ipſi, bene eſſet, Si cui non ſit, non Dei voluntate & decreto, ſed hominis culpa ac malitia id fieri, Quam tamen & ipſam, diuinæ bonitatis immenſitas nouit ordinare ad vtilitatem aliquam. Intelligis itaq; Chriſtiane lector, quam parum penſi Caluinus habeat: quam nihil ponderis, nihil veri ſit ſub verborum eius phaleris: imo, quam ſeipſum quid velit non intelligat.

In condenda rationali creatura ad quid reſpexerit Deus.

Certum eſt, inquit, cenſuiſſe Deum vt primus homo caderet, q̄a videbat nominis ſui gloriam inde merito illuſtrari, Vbi mentionem gloriæ Dei audis, illic iuſtitiam cogita, Iuſtum eñi eſſe oportet quod laudem meretur. Sed quid ex his concludere velit non intelligo, diuini nominis gloria illuſtrata eſt, ſi ipſi credimus, ex lapſu primi hominis, & pro-

& propterea a Deo, vt laberetur, decretū eſt, At Dei gloria, niſi cū iuſtitia cōiuncta non eſt, Iuſtū em̃ oportet eſſe, quod laudē mereatur. Quid inde? Nunquid quod hominis peccatum & iniuſtitia, fuerit iuſta aut iuſtitia, vt inde illuſtraret diuini nominis gloria? An forte illud, quod Deus iuſte fecerit, cenſendo, ac ſuæ voluntatis decreto ordinando, vt homo caderet? (Multis ſane Oedipis, vt certū qd aſſequatur ex dictis Caluini, lectori vbiq; opus eſt.) Si primum inferre voluerit, euidens ipſum pugnantia iuſtitiæ & iniuſtitiæ, palam coarguit, Si ſecundum, (quod ad propoſitum faceret) ante demonſtratū oportuerat, quod velut certū aſſumit, & nos, vt certiſſimo falſum, impiū, & in Deum blaſphemum, negamus, & execramur: nēpe, cenſuiſſe Deū, vt primus homo caderet, qa videbat nominis ſui gloriā inde merito illuſtrari, Nihil dubitamus, quin iuſtū ſit, qcquid Deus facit & vult, Sed qa iuſta eſſe non poteſt iniuſtitia, nec iuſtum peccatum hominis, negamus infinitā iuſtitiam, iniuſtitiam & peccatum hominis, decreto ſuæ voluntatis feciſſe aut facere. Sed pergit ille nihil cohærentia connectere.

Caluinus.

Pronunciauerat, inquit, paulo ante dominus, omnia quæ fecerat eſſe valde bona, Vnde ergo illa homini prauitas, vt a Deo ſuo deficiat? Ne ex creatione eſſe putaretur, elogio ſuo approbauerat Deus quod profectum erat a ſeipſo. Propria ergo malitia, quam acceperat a domino puram naturam corrupit: ſua ruina totam poſteritatem in exitium ſecum attraxit, Quare in corrupta potius humani generis natura, euidentem damnationis cauſam contemplemur, quam abſconditam ac penitus incomprehenſibilem inquiramus in Dei prædeſtinatione, Neque immenſę Dei ſapientiæ ſubmittere hucuſque ingenium pigeat, vt in multis eius arcanis ſuccumbat, Eorum quæ ſcire nec datur, nec fas eſt, docta eſt ignorantia: ſcientiæ appetentia, infamiæ ſpecies.

Pighius. Vbique vt contradicat ſibi, nec ſeipſum intelligat.

Hic vide lector quam ſit cæca horum impietas, vt totiens contradicant ſibi, nec hocipſum intelligant, Pronunciari a domino, omnia quæ fecerat, eſſe valde bona. Ergo quod homo apoſtatauerat a Deo, nō eſſe Dei opus, ſed humanæ malitiæ, eſt veriſſimum orthodoxum & catholicum. Sed ex eo tua Caluine ſtatim redarguitur & condemnatur impietas: & euidenter ſequitur, quod ex diuinæ voluntatis decreto factum non ſit, quod apoſtatauerit homo, Nam ſi ſit: vnum hoc ſit eorū oportet, quæ Deus fecerat, Si enim voluit, & ſuæ voluntatis immutabili decreto ordinauit vt fieret: etiam fecit. Omnia enim quæcunq; voluit etiam fecit, & in cœlo & in terra, & in mari, & in omnibus abyſſis: Si fecit, vt valde bonum fuerit, oportet. At contra valde malum fuiſſe, nulli mentis ſanæ poteſt eſſe dubium, Adhuc non vides vt tecum pugnes: imo, vt teipſum efficaciſſime expugnes Caluine? Itaq; et nos affirmamus, in ipſo potius homine ſuæ dānationis cauſam quærendam, q̄ in Dei prædeſtinatione. Non quod in ea ſit abſcondita & nobis incō-

prehenſibilis,ſed quia in ea non eſt.

Caluinus. Conſcius itaq; ſibi, quod nodũ propoſitum vix attigerit, nedũ ſoluerit. Dicet,inquit,forte quiſpiã, me nondum attuliſſe quod ſacrilegã illam excuſationẽ compeſceret, Ego vero, ne id quidẽ effici poſſe, fateor:quin ſemper fremat impietas & obmurmuret, Mihi tñ dixiſſe videor,quod ad obſequendi,non rationẽ tantum,ſed prætextum quoq; adimendum ſufficeret.

Pighius. Tibi Caluine perpetuo cõuerſę ſunt rerũ ſpecies,Hoc vere nos dicimus et dicturi ſumus,nõ diſſoluiſſe te nodũ quo veſtra vos cõſtringit impietas:queãdmodum fecimus euidẽtiſſimum,Excuſationẽ illã, ipſi vos,peſtilẽtiſſima et ſacrilega vr̃a doctrina ingeritis impijs. Cui apud nos locus nullus eſt,vt q nõ in diuinæ p̃deſtinationis,et incõmutabilis decreti ineuitabilẽ nobis neceſſitatẽ,ſed in nr̃i arbitrij libertatẽ, vniuerſam culpã noſtrã,et nr̃æ dãnationis cauſam referimus. Recte aũt hoc ipſum intellexiſti, effici nõ poſſe, vt impiorũ veſtra imbutorũ perfidia, compeſcatur excuſatio ſacrilega: vt quę ex eadem neceſſario ſequitur.

Caluinus. Excuſabiles,inquis,peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi neceſſitatem: præſertim cum ex Dei ordinatione ſibi injciatur huiuſmodi neceſſitas.

Pighius. Recte hoc volunt,niſi vos mentiamini. Quando nemo vituperio dignus eſt,ex eo quod ſibi adeſt neceſſario et ineuitabiliter. Nemo peccat in eo,quod vitare nullo modo nec poteſt,neć potuit.

Caluinus. Nos vero inde negamus rite excuſari:quod Dei ordinationi,qua ſe exitio deſtinatos conqueruntur,ſua conſtet ęquitas,nobis quidem incognita,ſed illa certiſſima:vnde conſtituimus,nihil nos ſuſtinere mali, quod non iuſtiſſimo Dei iudicio infligatur,Deinde, prępoſtere docemus agere ipſos,qui ad quærendã ſuæ damnationis originem in recõdita diuini conſilij adyta oculos intendant: ad naturæ corruptionem, vnde illa vere ſcaturit,conniueant. Hanc autem ne Deo imputare poſſint,obſtat quod ſuę creationi teſtimonium reddat dominus, Tametſi enim æterna Dei prouidentia in eam cui ſubiacet calamitatem conditus ſit homo:a ſeipſo tamen eius materiã,non a Deo,ſumpſit, Quando nulla alia ratione ſic perditus eſt, niſi quia a pura Dei creatione, in impuram peruerſitatem degenerauit.

Pighius. Tu lector proñũcia. Negat Caluinus ad culpam & peccatum id imputari non poſſe, quod nobis neceſſario atq; ineuitabiliter adeſt, Cõtra affirmat (quod ſupra demonſtrauimus) eccleſiaſtica definitio,Et velut per ſe euidens, quotquot ſupra audiſti ſanctiſſimi patres noſtri, aduerſus hæreticos protulerũt. Petrus,Clemẽs,Irenæus,Tertullianus, Origenes, Hilarius, Ambroſius,Baſilius,Hieronymus,Chryſoſtomus,Auguſtinus, Cyrillus,breuiter oẽs,tanq̃ totius humani generis conſenſu probatũ,& in q̃ nulla hominũ conditio,nulla ætas,a puero ad ſenem,a ruſtico ad ciuilẽ, ab illis

ab illiterato ad ſapientem diſſentiat. Tuū nunc ſit lector iudicium, an vni Caluino cū Luthero ſuo negantibus, an illis omnibus, & euidenti naturæ ſenſui, qui in te loquitur, affirmantibus, magis crediturus ſis.

Dei ordinationi ſuā æquitatem perpetuo conſtare, nemo dubitat, qui, Deum bonum & iuſtum non dubitat. Sicut vero nulla admittit æquitatis aut iuſtitiæ ratio, vt quos immeritos deuoueret damnationi & exitio, imo, ad hoc crearet, vt impie iniuſteque agendo damnarentur. Ita negamus, diuinæ voluntatis decreto, ordinatione, aut prouidentia id fieri: aut etiam poſſe fieri.

Nihil ſuſtinere nos mali, quod nō iuſtiſſimo Dei iudicio infligatur: de malo pœnę iuxta morē ſcripturæ, ſi intelligas, verē & orthodoxum eſt, Sed inde conſequens non eſt, nihil hominē mali facere, quod nō iuſtiſſimo iudicio in eo operetur Deus: aut quod non infligat illi a Deo.

Quod doces, præpoſtere eos agere, qui in diuini conſilij reconditis adytis & non in ſeipſis, quærunt ſuæ damnationis originem: recte doceres, ſi ſyncere & conſtanter doceres: & nos ita docemus, Nunc vero cum doces prædeſtinationem eſſe primam, & ſalutis et exitij damnationiſq; vniuſcuiuſque originem: & cætera omnia, media, quibus quiſque ad ſibi conſtitutum finem peruenire debeat, eiuſdem etiam prędeſtinationis eſſe effectus quoſdam: an non doces, in diuino conſilio, nō in nobis, quærendam eſſe noſtræ damnationis originē? Nam lapſus, ſeu noſter, ſeu primi hominis, non eſt origo, ſed dependens a priori origine: nempe, diuinæ ordinationis ineuitabili decreto. *Iterū contradictiōes & pugnantiæ ſecum, conuincitur.*

Lapſum noſtrum, aut naturæ corruptionem vitio peccati, Deo imputari non poſſe, orthodoxum eſt: ſed tuæ doctrinæ contrariū, Quo enim pacto Deo imputari non poſſet, ſi ex immutabili beneplaciti eius decreto ineuitabiliter lapſi eſſemus? Nam ſi æterno decreto conſtituit, & voluit vt laberentur: etiam facit vt labamur, Quæcunq; enim voluit fecit. Quomodo ergo illi lapſus noſter imputandus non eſt? *Iterum.*

Sed ſuę creatiōi bonitatis teſtimoniū reddidit dn̄s. Recte, Sed ex eo conſequens eſt, vt lapſus hominis, inter Dei opera non ſit. Proinde euidenter falſum eſt, quod illū ſuæ voluntatis decreto ordinauerit, & conſtituerit. At a ſeipſo, inquis, non a Deo ſumpſit homo ſuæ damnationis materiam: tametſi, æterna Dei prouidentia in eam cui ſubiacet calamitatem ſit conditus: quando nulla alia ratione ſic perditus eſt, niſi quia a pura Dei creatione degenerauit. *Atq; iterū.*

Materiam damnationis, culpam puto, peccatum, & defectionem a Deo, intelligis, cuius cauſa, merito damnatur homo: niſi forte originis vitium quod in naturam vniuerſam propagatum eſt, ſpecialiter intelligas: ſed qualecunque id intelligas, eaipſa damnationis materia, ſecundum te, a diuinæ prædeſtinationis decreto dependet: præordinata velut medium quoddam, quo ad conſtitutum ſibi eadem prędeſtina- *Iterumq;. Vt que nec ſeipſum vſquam intelligat.*

ſtinatione finem perduceretur homo: quem ea conditione creatum a Deo affirmas, vt poſtea faceret quæcunque facit. Nec alia ratione hæc præuidiſſe Deū, niſi q̃a ita vt fierent, decreuit. A Deo proinde ſumpſit, nõ a ſeipſo, ſuæ damnationis materiã: vt quæ, ipſi, diuinæ ordinationis ac voluntatis decreto, ineuitabiliter ineſt: & Deo, vt cauſæ & authori ſuo, merito aſcribitur. Nam qui finem prædiffiniuit, & media præordinauit, ſuæq; voluntatis decreto firmauit, quibus ad eum finem pertingeret, vtiq; etiam illorum mediorum author eſt. In cuius vnius, non vero, in noſtro, niſi vos mentiamini, ea ſunt poſita arbitrio. Omnia enim quæcunque voluit, etiam fecit. Vides Caluine, vt in ſingulis pene verbis contradicas ipſe tibi: & plane oſtendas te non intelligere quid intelligas. Quod vt vbique fere tibi vſu venit, ita volui velut in vno aliquo atque altero exemplo, hoc ipſum euidens facere: ſæpenumero id diſſimulaturus in ſequentibus, breuitatis gratia. Vt qui nõ tua cauſa, ſed tanti argumenti explicandi gratia, in quo etiam maximorum virorum ſudant, & ſæpe impingunt ingenia, tantum laboris deſumpſimus, quod ipſum requirebat, vt & ſectæ veſtræ (quod tuis verbis facere viſum eſt) explicarem ſententiam.

Ad tertiam nunc rationem orthodoxorum aduerſus blaſphemã horum de diuina prædeſtinatione ſententiã veniẽdum eſt: quæ ex eo ſumitur, quod toties negat ſcriptura acceptionem perſonarum eſſe apud Deum: quod illi tribuere & affingere videtur iſtorum impietas, & videndum, vt ſuis eam cauillis ac fucis Caluinus conetur eludere. Proponit autem obiectionem eam his verbis.

De ratione tertia, ducta ex eo, Quod Deus acceptor perſonarum nõ eſt.

Caluinus. Iam, inquit, & tertia abſurditate Dei prædeſtinationem infamant eius aduerſarij. Cum enim non alio referamus quam ad diuinæ voluntatis arbitrium, quod vniuerſali exitio eximantur, quos in regni ſui hæredes Deus aſſumit, ex eo colligunt, apud Deum ergo eſſe acceptionem perſonarũ: quod vbiq; ſcriptura negat. Ergo, vel ſcripturã eſſe ſibi diſſentaneãm: vel in electione Dei eſſe meritorum reſpectum.

Pighius. Nulla abſurditate, Dei prædeſtinationem infamant aduerſarij, ſed veſtram multis abſurditatibus infamant, impijſſimam, & abſurdiſſimam de diuina prædeſtinatione ſententiam. Inter quas, & ea eſt, quod Deum, contra ſuamipſius apertam in ſcripturis ſententiam, acceptorem perſonarum facitis. Dum vno ſuæ electionis ac voluntatis beneplacito, diſcretionem ab æterno feciſſe inter homines, priuſq̃ vlla eorũ merita aut demerita apprehenderet, & hos quidem ex eis elegiſſe ad ſuæ beatitudinis conſortium, hos deuouiſſe interneti oni & exitio docetis. Nec tam, in eo, quod vniuerſali exitio exemerit quoſdam, in eadem prorſus cauſa exiſtentes cum alijs: ſed quod etiam ante apprehenſum vllum vniuerſale exitium, (quod per hominis primi peccatum factum eſt) ante apprehenſum cuiuſque meritum, & nullo eius

lo eius in vnam partem aut in alteram reſpectu, hos elegerit ad vitam, illos æternæ morti deuouerit,& in vitæ contumeliam creare voluerit. Quod ipſum eſt,perſonas accipere,atq; etiam eo peius, quod euidentẽ in ſe includit crudelitatem,& iniuſtitiam. Cui cum reſiſtat totius ſcripturæ authoritas,recte a nobis concluditur, falſiſſimam eſſe candẽ veſtram ſententiam:aut ſcripturam a ſe diſſentaneam. Nunc videamus quid ad hæc Caluinus:

Vt non ſolum, perſonarũ acceptorem, ſed etiã iniuſtum & crudelem deũ faciãt.

Primum,inquit, alio ſenſu negat ſcriptura Deum eſſe acceptorem perſonarum, quam quo ipſi iudicant, Siquidem, perſonæ vocabulo, non hominem ſignificat, ſed quæ in homine oculis cõſpicua,vel fauorem,gratiam,dignitatem conciliare:vel odium,contemptum, dedecus conflare ſolent,Qualia ſunt,diuitiæ,opes,potentia, nobilitas, & cætera eiuſmodi. Sic Petrus & Paulus perſonarum acceptorem non eſſe Deum docent,quia non diſcernat inter Iudæum & Græcum: quo ſolius gentis ratione,alterum reſpuat,amplectatur alterum. Sic nec diuitiarũ, nec conditionis, libertatis aut ſeruitutis apud illum rationem haberi. Proinde,nihil repugnantiæ fore, ſi dicemus, Deum ſecundum beneplaciti ſui arbitriũ eligere in filios nullo merito, quos viſum fuerit, reiectis ac reprobatis alijs.

Caluinus. Perſonarũ acceptorẽ quem deſiniat.

Decebat ſane eum, qui ſe omnium magiſtrum,inſtitutoremque in re maximi omnium momenti profitetur et exhibet, inprimis definitionis eſſe peritum: cuius te Caluine,vt alibi ſæpe, ita & hic plane impe ritum demonſtras.

Pighius.

Quandoquidem de perſonarum acceptione hic nunc inducta eſt quæſtio, an eam veſtra de diuina prædeſtinatione Deo affingat opinio:definire aggrediens quid ſit perſonam accipere,tam id facis ridicule & inepte,vt me tui plane pudeat,Perſonæ,inquis,vocabulo,non homo ipſe ſignificatur,ſed quæ in homine oculis conſpicua,vel fauorem, gratiam,dignitatem conciliare,vel odium, contemptum,dedecus conflare ſolent. Quo vno,non video quid poſſet dici ineptius,& incogitãtius,magiſq; alienum a re propoſita.

Quam ſit ridicula & inepta dicta definitio.

Perſonarum acceptio,eſt vitium proprie iniuſtitiæ diſtributiuę:locum habens, vbi fidei alicuius cõmiſſum eſt diſtribuere aliquid, certo reſpectu,vel publicę vtilitatis,vel in remunerationem impenſi in rempublicam beneficij,rei præclarę, aut cũ periculo pro eadẽ geſtæ,aut etiam alicuius in futurũ obeundi muneris,non tñ eo,ſed alio reſpectu qui ipſum diſtribuendo ſeu muneri, ſeu beneficio,ſeu præmio,non dignificet idipſum diſtribuit, Vt q Epiſcopatum,ſacerdotiũ,magiſtratum, dat,non illi q magis idoneus eſt obeundo muneri,et veriſimilius creditur magis profuturus reipublicæ,ſed vel cõſanguinitatis,vel obſequij, ſeu muneris,aut alterius fauoris reſpectu. Similiter,ſi Imperator,militaribus donis & prę̨mijs,conſtitutis virtuti & fortitudini militũ,in acie, in ſu-

Perſonarum acceptio, quid ſit.

in ſuperato primum vallo hoſtili, in ſeruato & cædi erepto ciue, atque id genus alijs, eadem fauoris alicuius alterius reſpectu inique deſtribueret, non meritis, aut minus meritis: præteritis, revera meritis, aut his qui ſunt magis meriti. Si centuriones, tribunos, & cæteros militaribus ordinibus præfectos, conſtitueret, nõ pro reipublicæ vtilitate, ſed pro ſuo priuato affectu. Itaque, perſona, hic diſtinguitur cõtra meritum, & cauſam quæ accipientem muneri accepto dignificet, Cui eſt impertinens, pateat, non pateat oculis. Quanuis fere ſit eiuſmodi, vt oculis pateat & ſit conſpicuum: vt in re militari, vallum obtentum: ſeruata aut recuperata ſigna: cæſus hoſtis: internetioni ereptus ciuis: & quæ ſunt eiuſmodi. In re ciuili, longo vſu, exercitatione, ſtudio, & doctrina comparata prouidẽtia: Ingenij promptitudo: Iudicij felicitas: multitudinis perſuadendæ idonea facundia & eloquentia: In ſumma, vniuerſa virtutis actio, eiuſmodi eſt, quæ & fauorem, gratiam, dignitatemque conciliare ſoleat: ſicut contra, vita per ſcelus, libidinem, iniuſtitiam, proximorumque & reipublicæ læſionem tranſacta: pateat id aut non pateat oculis, dedecus: odium: contemptum, Et qui hęc reſpicit, quanuis oculis pateant, in diſtribuendo aliquo de publico, non perſonam reſpicit, aut accipit: ſed quiſquis aliquid in perſona reſpicit, quod eam muneri illi non dignificat, is vere perſonam accipit.

Vt perſona, hic diſtinguatur contra meritũ, & cauſam, quę accipientem, accepto muneri dignificet.

Proinde cum negat ſcriptura Deum accipere perſonam, aut perſonarum acceptionem eſſe apud Deum: hoc ſignificat, ipſum æquum ſe & indifferentem omnibus, velut iuſtum diſtributorem aliquẽ de publico, præbere, Quod, an Petrus tibi nõ clariſſime affirmat, cum dicit, Etſi patrem inuocatis eũ, q ſine perſonarum acceptione iudicat, ſecundum vniuſcuiuſq opus: Vides quid ſignificet ſcriptura, nẽpe cũ Deum acceptorem perſonarum negat: nempe, qui iudicat de vnoquoq ſecundum vniuſcuiuſq dignitatẽ & opus: & non pro ſolo ſuo beneplacito, Nec loquitur tñ de nouiſſimo iudicio: ſed de omni iudicio quod exercet inter homines: quo diſcernit hunc ab illo: huic tribuit, quod illi negat, Semper eñ ad ſola merita, dignitatemq perſonarũ, nõ ad perſonas, hoc eſt, ad aliquid in perſonis, quod eas dono, muneri, aut præmio non dignificet, ipſum reſpicere: quod, etſi in ſe nondũ ſit illi tamen eſt, cui futurũ præſens eſt, tametſi hominum oculis id non pateat: tametſi etiam in ſe præſens, in corde hominis abſconditũ lateat, Quod ſignificauit Deus: dicens Samueli de Eliab primogenito Iſai, quod ſtaturæ eſſet proceræ, & vultu honeſtatem præferret, interroganti, ñum ipſe eſſet ex filijs Iſai, quem elegiſſet in regem. Ne, inquit, reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea quæ patent: dominus autem intuetur cor, Vides non affirmari a domino, quod nullo reſpectu noſtri hunc elegerit, illum abiecerit: imo, ea in re, corda homi-

Quid ſcriptura ſignificet, negãs Deum acceptorem perſonarum.

Iudicare eum de vnoquoque ſecũdum vniuſcuiuſque dignitatem et opus: et nõ, pro ſolo ſuo beneplacito.

hominum etiam priuſquam ſunt, inſpicere. Quanuis quid in eiſdem reſpiciat, homines lateat. Itaque intuetur quidē ſemper Deus aliquid in corde hominis,cuius reſpectu ipſum eligit, tametſi idipſum homini bus non ſemper pateat. Falſum proinde eſt, nihil repugnantiæ fore, ſi dicamus,Deū ſecundum beneplaciti ſui arbitriū eligere in filios, nullo merito,quos viſum fuerit: alijs reiectis ac reprobatis,Atque æque euidēs factū eſt,quā ridiculus ipſe definitor acceptionis perſonarꝫ fueris.

Res tamen, inquis,ſic explicari poteſt,vt plenius ſatisfiat, Quærunt qui fiat,vt ex duobus quos nullum meritum diſcriminat,alterum prę tereat in electione ſua,alterum aſſumat Deus? Ego viciſſim rogo, putent ne in eo qui aſſumitur, eſſe aliquid, quod Dei animum in ipſum inclinet? Si nihil fatebuntur, quod neceſſe eſt: ſequetur Deum non hominem intueri, ſed a ſua bonitate rationem petere, cur illi benefaciat, Quod igitur hominem vnum elegit,altero reiecto, id nō prouenit ab hominis reſpectu, ſed a ſola eius miſericordia: cui liberum eſſe debet: proferre ſe,& exerere vbi & quoties placet. Caluinus. Vt alter explicare conetur cur deus ab æterno hos elegerit, illos reiecerit, Sed æque nihil explicet.

Non præſtas Caluine quod promittis. Nihil magis explicas, nec plenius ſatisfacis. Non dubitamus Deum ab vna bonitate ſua rationē petijſſe & conſilium, quod rationalem naturam ſuæ bonitatis ac beatitudinis capacem fecerit: quo eandem, merito tamen aliquo ſuo quando iam meriti ac demeriti capax eſt etiam participaret, Hæc enim eſt immēſæ bonitatis natura, vt in quam plurimos cupiat eſſe effuſiſſima, & ſe participari gaudeat. Cuius, quoniam capax & particeps eſſe non potuit, niſi rationalis natura: liberi voluntatis arbitrij, eandem quoque vniuerſam, eodem conſilio & reſpectu, ad eum quoꝙ finem condere ab æterno conſtituit. Videns nihilominus, quaſi deinceps, qui eorum, ſuæ infinitæ bonitatis beneficijs ac donis non eo vſuri eſſent, quo eadē ipſe dedit, ſed in ſuum interitum ac pernitiem apoſtaturi a Deo creatore ſuo, contra, alios conaturos pro viribus eidem humiliter obſequi, nec reiecturos ſuę bonitatis gratiam, ſed obuijs, quod dicitur, vlnis eandem amplexaturos, aut certe, ante eius facultatem acceptam, paſſionis Chriſti meritum, per conſtituta ab eodem media & remedia eiſdem applicatum iri: qui cupit omnibus benefacere, & ad ſalutem omnes peruenire, & ad hoc omnes condidit, hos ad eandem ſalutem, ex ſua illa gratuita benignitate ac bonitate, elegit: reiectis illis, ac ſupplicio deſtinatis, quos videt non ſuſcepturos, quanuis oblatam omnibus, ſuam gratiam. Itaque cum interrogas, Putemus ne eſſe aliquid in eo qui aſſumitur, quod Dei animum in ipſum inclinet. Dicimus, in Deo eſſe eius bonitatem, quæ ipſum inclinat, & propenſum facit, vt vniuerſæ ſuæ creaturæ, ſuo opificio, benefaciat. In hominibus vero eam quā diximus differentiam, cur his benefaciat, illis minime, Quam ab æter- Pighius. Vt recte, ad orthodoxæ pietatis regulā, facilliter & luculenter ea explicetur q̄ſtio.

no reſpiciens,hos elegit ad vitã:illos vero merito deſtinauit ſupplicio.

Omnibus benefacere cupit, quia infinite bonus, Quod non omnibus benefacit, ex nobis deeſt. Solutio obiectiõis de paruulis.

Quod itaque omnibus quantum ex ipſo eſt,benefacere cupit:ex natura infinitæ bonitatis eſt, Quod non omnibus benefacit, ſed his electis, illos reprobauerit: ex illa hominum eſt differentia: non equidem pendẽte ex beneplaciti aut volũtatis eiuſdẽ decreto,ſed ex hominibus.

Qua in re ſi mihi obijcias paruulos decedentes in innocentia, hunc baptizatum, & proinde beatitudinis participem, illum deſtitutum baptiſmi gratia, & damnationi obnoxium, Hic ipſe ſtatim ponis & confiteris in ipſis eſſe differentiã. Quando vnus per baptiſmatis regenerationiſque gratiam Chriſto incorporatus decedit : alter originis culpæ adhuc ſubiacens, Deo in Chriſto nondum reconciliatus moritur. Quod ſi hanc differentiam, non in humanam,ſed diuinam voluntatem reijciendam exiſtimes, toto cœlo aberras. Ipſe enim vult omnes ſaluos fieri, Proinde, & pro omnibus mortuum Chriſtum Paulus affirmat Apoſtolus. Non eſt ergo voluntatis ſuæ mors impij:multo minus mors innocentis. Non ex illo deeſt, quo minus viuant omnes: ſed ex humanę voluntatis culpa ac negligentia factum eſt,quod hic baptiſmo oblatus non ſit, Quanquam quis ſtatus innocentum horum futurus ſit,qui hinc diſcedũt ſub maledicto peccati originis, clare definitũ non ſit:ſed inter nobis abſcõdita adhuc Dei ſeruatur cõſilia. De quo

De his qui moriuntur in materno vtero.

lib. Controuerſiarũ,Cõtrouerſia prima de pc̃tõ originis egimus pluribus. Quod ſi vrgere nondũ ceſſes,de his q̃ moriuntur in materno vtero, Cũ voluntatis negligẽtiæ id aſcribi nõ poſſit,quod Chriſto per baptiſmũ incorporati non fuerint:ſed ab vno diuinę voluntatis decreto dependeat,quo vnicuiq; ſuus terminus & finis præfixus eſt,q̃ tranſiri

Falſum demõſtratur, diuinæ volũtatis immutabili decreto, ſuum cuique conſtitutũ terminũ, quo mori debeat.

non poſſit:illi in vtero,illi in infantia,illi ætate integra,prouecta,aut decrepita. Etiã hic toto aberras cœlo, & ipſa rei euidẽtia, & cõmuni mortalium oĩm conſenſu redargueris, Nã ſi diuinę voluntatis immutabili decreto,ſuus cuiq; vitæ terminus conſtitutus eſt, quo mori debeat, fruſtra ægrotus dat operã medico: ſuſq; deque fuerit, perito an imperito commiſeris: Galeno ne & Hippocrati,an vero Theſſalo, Nam ſi conſtitutus finis adſit, nullus proficiet aut prorogabit vitam quanuis doctiſſimus medicus : ſi non adſit, nullus oberit, quanuis Theſſalo indoctior aſinus:nihil referet,quamcunque victus rationem obſeruaueris : nihil ſolicitam curam adhibere paruulis, ne facili caſu aut opprimantur aut pereant : nihil, cautum eſſe in periculis : nihil in bello thorace te munire & clipeo, Quandoquidem, ſiue conſtitutus vitæ terminus affuerit, fruſtra hæc omnia : ſiue non affuerit, ita quoque fruſtra : cum æque ſine his a periculo tutus eris. Inique plecterentur homicidæ : vt qui nullum, niſi conſtituto ſibi præfixoque vitæ termino occiderent, Quæ cum redarguat totius humani generis ſententia & conſenſus ab ipſo ſui initio, hoc certo indubitatoque tenendum eſt,

conſti-

conſtitutum quidem cuique a Deo vitæ ſuæ periodum, quam poſſet, quantum ex Deo eſt, conficere: quam tamen pauci, ſua culpa, ſtultitia, temeritate, intemperantia, nonnunquam & aliena negligentia, malitia, violentia attingunt: quin et a Deo, ſeu per ſe, ſeu immiſſis percuſſoribus ante diem ſuum occiduntur multi, ita requirente eorum malitia, Quod de infinitis ſcriptura commemorat, Hoc proinde recte intelligens Dauid, cum diceret, Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos: etiam orat Deum, ne ſe reuocet in dierum ſuorum dimidio.

Nec huic aduerſatur, quod dictum a beato Iob legitur, Conſtituiſti terminos eius qui præteriri nō poterunt, Nam hoc eſt quod diximus. Conſtitutum vnicuiq; hominū ſuam vitæ periodum, quā poſſet, quantū ex Deo eſt, perficere, atq; eius terminū attingere: tametſi ad eum, vix centeſimus aut milleſimus quiſq; perueniat, Itaque conſtitutum vitæ terminum nemo poteſt prætergredi: poteſt tamen citra ſubſiſtere, & vitæ filum ante præfixum ſibi terminum abrumpere. Multi proinde puerorum, ante diem ſuum moriuntur, parentum aut nutritiorum culpa, victu intemperato & inſalubri, & alijs multis occaſionibus & cauſis, quæ ex diuinæ voluntatis decreto non pendent, ſed ex humanæ (quam ſuę libertati dimiſit) voluntatis arbitrio, Ita quoq; & alij extinguuntur & ſuffocantur in materno vtero parentum nonnunquam maligno & crudeli ſtudio, nonnunquam alia culpa, vt qui conſeruando fœtui debitam diligentiam non adhibent, aut ex intēperantia, neglectave victus ratione, morbum aut indiſpoſitionem cōtrahunt, quo fœtum interimant, Vt vero diuinæ voluntatis decreto hæc fiant, nunq̄ demonſtrabis, Ipſe creat homines, vt viuerent conſtituta ſibi periodo, & bene viuendo ſibique adhærendo vitam beatam aſſequerentur: quam qui non aſſequuntur, ipſis ab illo non deeſt.

Vt illud Iob intelligendum, Conſtituiſti terminos eius, q̄ præteriri non poterunt.

Quod ſi adhuc inſtes. Cur ſaltem creat quos non ignorat morituros in materno vtero, aut in infantia ante acceptam gratiam, Vna eademque opera interroga, cur crearit aliquos quos damnandos prȩuiderit. De quo paulo poſt dicturi ſumus commodius et oportunius.

Quare falſo & peſſime Deum inæqualis iuſtitiæ inſimulant nōnulli, quod non eundem erga oēs tenorem in ſua prædeſtinatione ſeruat. Caluinus.

Falſo certe & peſſime faciunt, quicunq; Deum iniuſtitię inſimulāt, qui eſt ipſa iuſtitia. Sed recte faciunt qui vos inſimulant, quod talē nobis producitis ac fingitis Deum, qui non ſolum iniuſtitiæ, ſed etiā crudelitatis merito poſſet accuſari: creans hominem ad exitium, et creādo deuouens: ante quam deuotionem ſeu prædeſtinationem, nihil erat cōſiderabile in homine præter vnius ſuam creationem, ſuumque opificium, Nam lapſus primi hominis & noſtrum omnium in illo, etiam in diuina præſcientia, prædeſtinationē ac deuotionem illam ſequitur,

Pighius. Hanc nobis rationē diſſoluas Caluinus.

niſi mentiaris tu. Neq; alia ratione, inquis, quæ futura ſunt præuidit Deus, niſi quia ita vt fierent, decreuit, Prius ergo prædeſtinatione ſua decreuit, vt laberetur homo, q̃ vt pręuideret lapſum hominis, Ergo ante prædeſtinationẽ illam ſuam, nihil erat conſiderabile in homine, pręter ſuam vnius creationem, ob quod ipſum deuoueret exitio: immeritum ergo deſtinauit exitio & horrendo ſupplicio: quod non ſolũ iniuſtum, ſed etiã crudele foret. Vides itaq; Caluine vt vos rectiſſime et iuſtiſſime inſimulemus in Deũ blaſphemię: & nõ ipſum Deũ, iniuſtitię.

Auguſtini illæ quas citas ſententiæ, optime etiam noſtræ quadrant ſententiæ: nempe, Cũ in primo homine vniuerſa noſtri generis maſſa, in condemnationem defluxerit, quæ fiunt ex ea vaſa in honorem, non propriæ iuſtitiæ, ſed Dei miſericordiæ vaſa eſſe, Quod vero alia fiunt in contumeliam, non iniquitati, ſed iudicio imputandum, &c. Et rurſus, Quod Deus ijs quos reprobat, debitam pœnam rependit: ijs, quos vocat, immeritam gratiam largitur. Hæc enim & nos affirmamus veriſſima: imo veſtræ (quod ſatis iam demonſtrauimus) contradicunt, non ſubſcribunt ſententiæ. Tametſi Auguſtini in hoc argumento nõ in omnibus probemus ſententiam.

De ratione quarta, vt oẽm humanam prouidentiã, ſolicitudinẽ, & bene agendi ſtudium, tollat aduerſariorum ſententia.

Nunc quartam noſtrorum rationem qua euidenter conuincimus palpabilem omnibus abſurditatem prædictæ aduerſariorum ſententiæ, ex eo, quod omnem ſolicitudinem & bene agendi ſtudium tolleret, vt ſuis cauillis eludere tentet, explicandum atque excutiendum eſt.

Caluinus.

Hoc quoque, inquit, ad euertendam prædeſtinationem exagitent, quod ipſa ſtante, concidat omnis ſolicitudo, & bene agendi ſtudium. Quis enim audiat, inquiunt, æterno atque incommutabili Dei decreto ſibi fixam eſſe, aut vitam, aut mortem, quin protinus in mentem veniat nihil intereſſe quomodo ſe gerat? Quando ſuo opere, nihil aut impediri, aut promoueri queat Dei prædeſtinatio. Ita omnes proijciẽt ſe, & deploratum in morem, quocunq; libido tulerit, præcipites ibunt.

Pighius.

Non eſt hoc, quod tu dicis Caluine. Neque enim ad euertendam diuinam prædeſtinationẽ, ſed impijſſimam veſtram de eadem ſententiam, hæc exagitãtur a nobis, Quod ipſa ſtante, omnis ſolicitudo, & omne bene agendi ſtudium, concidat, Et recte hoc interrogamus vos, quo pacto nõ protinus illi in mẽtem veniat, nihil intereſſe, quo ſe quiſque gerat more, qui vobis credens æterno atq; immutabili Dei decreto præfixam ſibi aut vitã aut mortẽ credit? quando opere ſuo nihil aut impediri aut promoueri queat, diuinæ voluntatis fixum atque immutabiliter cõſtitutum decretum: imo pręfixum ſibi, vt ita agat, ita viuat, quomodocũq; victurus eſt: nec poſſe ſe aliter quam acturus ſit, agere, quicquid demum egerit? Quin & hoc rectiſſime addimus. Veſtram ſententiã, admonitiones, & obiurgationes tollere, vt quę nihil liberum nobis facit, nihil in noſtro vult ſitum arbitrio, nec abſtinere a peccato,

Vt dicta ratiõe, veriſſime atq; irreuincibiliter cõſtringantur aduerſarij.

nec benefacere, ſed vniuerſa in Dei prædeſtinationem & voluntatem referſt, quæ ſit vniuerſorum quæ aut agimus, aut circa nos aguntur, abſoluta & nobis ineuitabilis neceſſitas. Addimus ad hæc, veſtra ſententia, perditurum operam, ſi quis a Deo reprobatus, eidem ſe innocentia & vitæ probitate approbare ſtudeat, Cum vim immutabilis decreti, nec immutare poſſet, nec vincere. Sed tu quid habes quod his contra oggannias?

Caluinus. At ſcriptura, inqs, dũ p̃cipit quãto maiori & reuerẽtia et religione de tanto myſterio cogitandũ ſit, pios in longe diuerſum ſenſum inſtituit.

Pighius. Recte: proinde & veſtram condemnat vnde tam ſceleſtæ cogitationes neceſſario oriuntur, ſententiam. Nihil facis, quod noſtrã accuſas audaciam, q inacceſſa Dei ſecreta, nefaria temeritate tẽtemus excutere, Quin potius veſtram ea in re temeritatẽ cohibere debuiſſetis, & commune ſequi ſanctorꝫ & eccleſiæ ſententiã, q̃ veſtro ſenſui fidentes erũpere in tam abſurdã, tam impiam, et totius orbis cõſenſu damnatã ſententiam. Sed vobis, ſcilicet, magiſtris et doctoribus, inſtitutoribuſque Chriſtianæ religionis & fidei, licet qduis cõminiſci, qduis ſtatuere & aſſerere de inacceſſis his Dei ſecretis & myſterijs: Et nobis fas non eſt, impijſſima & in Deum blaſphema commenta hæc veſtra excutere?

Caluinus. Atqui in hunc finem electos eſſe nos Paulus admonet, vt ſanctam & immaculatam vitam traducamus. Si electionis ſcopus, eſt vitæ ſanctimonia, magis ad eam alacriter meditandam expergefacere et ſtimulare nos debet, quam ad deſidiæ prætextum valere.

Pighius. Orthodoxe hæc & catholice, ſed quæ ſententiam veſtram euidenter redarguunt. Nam fruſtra ſancte et immaculate viuere admoneret nos Paulus, ſi nihil eius in noſtra poteſtate ſit. Aeque enim ridicule faceret, ac ſi admoneret cæcum videre, & claudum recte incedere, aut nos volare ſublimes per aera.

Caluinus. Quod eum, inquit, qui ſit a Deo reprobatus perditurum operam dicunt, ſi innocentia & probitate vitę, illi ſe approbare ſtudeat, in eo vero impudentiſſimi mendacij conuincuntur. Vnde eñ tale ſtudium oriri poſſet, niſi ex electione? Nam quicunq; ſunt ex reproborꝫ numero, vt ſunt vaſa in contumeliã formata, ita nõ deſinunt ꝑpetuis flagitijs iram Dei in ſe prouocare, & euidentibus ſignis confirmare, quod in ſe latũ ſit Dei iudicium, Tantum abeſt, vt cum ipſo fruſtra contendant.

Vt eũ qui eſt reprobus vitę innocẽtiæ ac probitati ſtudere nũquam poſſe affirmet.

Pighius. Hoc nos dicimus Caluine, doceri a vobis, fruſtra conaturum, ſi quis reprobatus a Deo, vitæ innocẽtię & probitati ſtudeat, Cum quicquid fecerit, non fecerit, ad eum finem perducatur neceſſe eſt, cui a Deo deſtinatus eſt. Addis nunc vltro tu aliquid multo abſurdius: nempe, cum qui eſt reprobus, vitæ innocentiæ & probitati nunquã ſtudere poſſe. Cum tale ſtudium: non niſi ex electione oriri poſſit. Eos vero, qui ex reproborum numero ſunt, tanquã vaſa in contumeliam formata, non

deſinere perpetuis flagitijs iram Dei in ſe prouocare,& euidentibus ſi-
gnis confirmare,quod in ſe latum ſit iudicium Dei,Quæ eſt hæc pro-
digioſa cæcitas veſtra Caluine? Itane quiſq̃ in ſenectute deprauatus
obijt,qui ante,vitæ innocentia,probitate & iuſtitia Deo placere ſtudu-
it,ſicut contra ex ſcelerata vita in vltimo pene halitu multi ad Deum
Multos, poſt vitam ſancte et innocẽter actã, datos fuiſſe in ſenſum reprobum. Saul.
conuerſi ſunt?Nunquid Saul, vitæ probitate atq; innocentia Deo pla
cere non ſtuduit,imo, nunquid revera non placuit, cum eligeretur ab
eodẽ in regem Iſrael?De quo Samuel ad oẽm populum. Certe,inquit,
videtis quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo.Cui etiam ſcriptu-
ra teſtimonium perhibet,quod ſpiritum Dei acceperat: ꝙ eſſet vnius
anni filius cum regnare inciperet:hoc eſt,velut puerulus,humilis,et in-
nocens. Proinde,cum eundem ex verbo dñi poſt corriperet Samuel
de præuaricatione diuini mandati in Amelech, Nonne,inquit,cũ par-
uulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus eſt? Attamen
pro eiuſdem præuaricatione ſine intermiſſione oranti,eidem Samueli
dictum eſt a domino. Vſquequo tu luges Saul cũ ego proiecerim eũ,
Porro in numero reproborꝝ eum fuiſſe, exitu eius ſcriptura haud ob-
ſcure declarat,quem continuo ante mortem, phytonem, contra legem
Dei,& quod pro idololatriæ crimine ducebatur,de euẽtu inſtantis bel
li conſuluiſſe affirmat,ac deinde,in bello interemiſſe ſeipſum, Nunqd
Salomon.
etiam & Salomon non vere placuit dño,cum de illo diceret ſcriptura,
Dilexit aũt Salomon dominum, ambulans in pręceptis Dauid patris
ſui?Et item, cum apparuit illi dominus per ſomnum dicens, Poſtula
quod vis,vt dem tibi?cum item poſt petitionem cordis docilis, de eo-
dem ſubiungit ſcriptura, Placuiſſe eius petitionem domino?cum ad
preces eius ignis de cœlo deſcendens abſumeret eius holocauſta & vi
ctimas? Cum in dedicatione templi a ſe conſtructi in diuini nominis
gloriam religioſiſſime & ſanctiſſime orans, reſponſum accipere mere-
retur a domino, exauditam a ſe orationem eius? Attamen poſt hæc
omnia iam ſenis per alienigenas, quibus adhæſit, mulieres,adeo auer-
ſum a Deo , ac deprauatum cor eſt , vt ſequeretur Deos alienos, Et
coleret Aſtarthen, Deam Sidoniorum, & Chamos, Deum Moabita-
rum,& Moloch idolum Ammonitarũ, De quibus horrendis crimini
bus correptum quidem a Deo fuiſſe legitur,at pœnituiſſe nõ legitur.
Ioas.
De Ioas rege Iuda dicit ſcriptura, feciſſe eum quod bonum eſt coram
domino, cunctis diebus Ioiadæ ſacerdotis. Poſt cuius mortem vt ſe
tradiderit in ſenſum reprobum, & ſceleribus obrutus mortuus fue-
rit, eadem ſcriptura teſtis eſt, Et ne dicere poſſis, ſimulatum illud fi-
cti cordis fuiſſe oculis hominum imponens regis officium: ipſa tibi
ſcriptura occurrit,affirmans illum feciſſe,quod bonum eſt. Et quot le
gimus exẽpla eorꝝ, q̃ poſt annos plurimos vitæ in timore Dei peractæ
exciderunt,& in peccatis mortui ſunt? Ergone reproborꝝ quiſq̃ vitæ
inno-

innocentiæ & probitati vnq̃ ſtuduiſſe potuit? Itane, tale ſtudium niſi ex electione oriri nõ potuit? Ita ne,quiſq; eius ſortis eſt,vt ſit vas in contumeliam formatum,non deſinit perpetuis flagitijs iram Dei in ſe prouocare? Vnde igitur Auguſtino in mentem venit,vt tam ſæpe,& tam multa de bono perſeuerantiæ tractaret & ſcriberet? Quiſquis ſane Caluine hæc atq; eiuſmodi legens & perpendens,vos ſanę mentis credere potuerit, mihi ſanæ mentis nunq̃ erit, Si vitæ innocentis & probitatis ſtudium,nõ niſi ex electione oriri poſſit,Ergo quicunq; vitæ innocentiæ & probitati ſtudet, de ſalute ſua & electione certus ac ſecurus eſt. Quid eſt ergo,quod per Ezechielẽ dicit dñs. Si aũt auerterit ſe iuſtus a iuſtitia ſua,& fecerit iniquitatem, ſecundum oẽs abominationes quas operari ſolet impius,nunquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius,quas fecerat, non recordabuntur.In præuaricatione qua præuaricatus eſt,& in peccato ſuo quod peccauit,in ipſis morietur. Quid eſt hoc? Studuit iuſtitiæ,& vitæ innocentia Deo placuit,quod nemo,niſi ex electione poteſt, niſi mentiaris tu:nunquid ergo in ęternum morietur electus? Nam de illa morte loqui ipſum certum atq; indubitatum eſt.

Et hactenus quidem Lutheranæ illius ſectæ, de diuina prædeſtinatione & prouidentia ſentẽtiæ, qua vniuerſam ſemel tollunt libertatem arbitrij,& diuinam voluntatem, omnium quæ eueniunt,ineuitabilem creaturis neceſſitatẽ affirmant,falſitas,abſurditas,impietas, & in Deum blaſphemia,ſatis ſuperq; demonſtrata eſt.

Vt quiſque fidelium certo cognoſcere poſſit ab æterno electum ſe a Deo, & in libro vitæ deſcriptum, nouum Iohannis Caluini commentum explicare & excutere.

Caput III.

VT nihil poteſt eſſe peſtilentius hominibus vana falſaque perſuaſione de ſalutis ſuæ ſecuritate & certitudine:ita nihil hi agunt diligentius,vehementius, aut magis ſedulo, quam vt iſtiuſmodi peſtilentiſſimam perſuaſionem inſtillent hominibus, In qua, quanuis coarguantur ipſa rei euidentia : omnium ab initio ſanctorum conſenſu ac teſtimonio: & propria ſuaipſorum conſcientia: aduerſus hæc omnia tamen inuictos illos reddit impudens & cæca impietatis pertinacia, quæ clauſis ad omnia oculis, ſua tantum commenta in omnibus ſibi videre videt, Ipſam autem veritatis lucem, per ſe clariſſimam, atque euidentiſſimam, rotatu quodam verborum, inuoluere, obſcurare & confundere conantur,Qua in re, cum Caluinus ille egregium præſtet artificem, & ad fraudem impoſturãq;

apte compoſitam oratione͂ habeat, libro illo inſtitutionis ſuæ ſub duobus capitibus, nempe, de fide, & de prædeſtinatione, ſalutis hanc ſecuritatem vnicuiq; fideliu͂ aſſerit, Illic, eā refert ad teſtimonium diuini ſpiritus, quod noſtro ſpiritui perhibet (quod quale ſit, libro Co͂trouerſiarꝫ, Controuerſia ſecunda, de Iuſtificatione hominis, fide, & operibus, ſatis demonſtratu͂ eſt,) Hic vero, cum ſatis intelligeret, quā hactenus aſſeruit de diuina prædeſtinatione ſententiam, qua vniuerſam, diſcretione͂ electorum a reprobis, ſalute͂, imo vitam noſtrā vniuerſam, & quicqd agimus, & quicqd patimur, in diuinā prædeſtinatione͂, velut cauſam neceſſariam & nobis ineuitabilem referunt, docentes Deum iam æterno atq; immutabili conſilio ſtatuiſſe quos olim in ſalute͂ aſſumeret, quos item exitio deuoueret: Illoſque, ſolo eius beneplacito in ſalute͂ cooptari, his eode͂ illo beneplacito vitam prædudi, Cum, inquā, ſatis intelligeret hanc ſententiam, aduerſus firmam illam & ſecuriſſimam noſtrę ſalutis certitudinem, quam a ſuis fidelibus exigunt inexplicabilem difficultatem ingerere, (Quis em̄ cognouit ſenſum dn̄i? & quis conſiliarius eius fuit? Quis in abdita illa & archana abyſſi inſcrutabilium nobis iudiciorum & conſiliorum eius admiſſus eſt, vt certo ſcire poſſit diuinæ erga ſe voluntatis decretum æternum & immutabile? ad vitā ne, an ad interitum ab ipſo deſtinatus ſit?) Hic merito ſudat & laborat in hoc nodo explicando Caluinus, & omnia vertit, confundit, & transfundit in omnia, vt inexplicabili prorſus perplexitate, etiam ſuaipſius conſcientia conſtringi hominem clariſſime intelligas.

Inprimis, fideles prohibet, electionis ſuæ certitudinem in æterno illo Dei conſilio quærere, ſed eandem, in Dei vocatione inueſtigari docet: in qua, velut in teſſera, quantum de ſuo conſilio ſciri fas ſit, nobis confirmare voluerit dn̄s, Inde nos ſatis perſpicuum firmumq; teſtimonium habere, quod in libro vitę ſcripti ſimus, ſi cum Chriſto co͂municamus, In quo, quos noſtrum Deus ſibi aſſumpſit in filios, non in nobis, elegerit, in illo proinde, non in nobiȷ́pſis, reperire nos poſſe electionis noſtræ certitudinem: ac ne in Deo patre quide͂ ſi ipſum per ſe cogitemus ſine filio: ſed ipſum Chriſtum, eſſe ſpeculum noſtrum, in quo electionem noſtram contemplari conueniat, & ſine fraude liceat, Cum em̄ is ſit, cuius corpori inſerere deſtinarit pater, quos ab æterno ſuos eſſe voluit, vtq; pro filiȷ́s habeat, quotquot eius membra recognoſcit, ſatis clarꝫ & certum teſtimonium nos habere, in libro vitæ deſcriptos nos eſſe, ſi cu͂ Chriſto co͂municauerimus. Intelligis lector quod ille hic nobis proponat argumentum infallibile, certæ electionis noſtræ, & quod in libro vitæ deſcripti ſimus, nempe, ſi co͂municamus cum Chriſto, atq; illi inſerti ſimus. Vnde autem nobis coniectanda ſit hæc noſtra cum Chr̄o communicatio, conſequenter explicans, affirmat illum certa ſui communicatione donaſſe nos, cu͂ per Euangeliȷ́ prædicationem teſtatus eſt

ſe no-

ſe nobis datum a patre, vt cum ſuis omnibus bonis noſter eſſet, Illum, inquam, nobis teſtem eſſe affirmat, filiorum loco habitum iri a patre cœleſti omnes a quibus fide receptus fuerit, Si quid, inquit, plus appetimus, quam vt inter Dei filios cenſeamur, & hæredes, ſupra Chriſtum conſcendamus licet, Si hæc ſuprema meta eſt, quantopere inſanimus, extra ipſum quærendo, quod in ipſo iam aſſequuti ſumus, & in ſolo ipſo inueniri poteſt? Eſt hæc ergo illi cum Chriſto cõmunicatio quæ electionis noſtræ certitudinem nobis exhibet, per vnam illam ipſorum fidem, quam libro Controuerſiarum Cõtrouerſia illa de Iuſtificatione fide & operibus explicauimus & excuſſimus.

Accedere ad ſtabiliendam noſtram fiduciam, electionis, quæ cum vocatione noſtra coniuncta eſt, firmitudinem, Quos enim nominis ſui cognitione illuminatos Chriſtus aſciſcit in eccleſiæ ſuæ cõſortium, eoſdem in fidem tutelamqꝫ ſuam recipere, Quoſcunqꝫ autem recipit, eos a patre illi commiſſos, & concreditos vt in vitam æternam cuſtodiantur, Quid igitur nobis, inquit, volumus? Clamare Chriſtum alta voce, quotquot pater ſaluos eſſe velit, eos ſibi in protectionem tradidiſſe. Ergo ſi reſcire libet, an Deo curæ noſtra ſalus ſit, quæramus, inquit, an Chriſto nos commendauerit, quem vnicum ſuorum omnium ſaluatorem conſtituit. Iam ſi dubitamus, an ſimus a Chriſto in fidem cuſtodiamque recepti, illum dubitationi occurrere, dum ſe paſtorẽ ſponte offert, ac in ouium ſuarum numero nos fore pronunciat, ſi vocem ſuam audiamus. Chriſtum ergo, inquit, benigne nobis expoſitum, atqꝫ obuiam prodeuntem amplectamur. Ille nos in grege ſuo recenſebit, et inter ſepta ſua concluſos tenebit.

Liberaſſe nos Chriſtũ ab ea anxietate futuri ſtatus noſtri, q̃ pleriſqꝫ ſubit, non ſatis firmis in fide, & anxios trepidanteſqꝫ tenet, Vt qui affirmat ad ſe venturũ, quicqd ſibi a patre datum eſt: ſe vero non eiecturũ foras oẽm quicunqꝫ ad ſe venerit: nihil perditurũ ex oĩbus quæ ipſi dedit pater, ſed reſuſcitaturum oẽs in nouiſſimo die. Oues ſuas, vocem ſuam audire, & ſe ſequi: ſe eaſdem cognoſcere, & vitam æternam illis dare, nec perituras eas in æternum, nec quenq̃ erepturum eaſdem de manu ſua, Quid, inquit, hinc nos Chriſtus diſcere voluit? niſi vt confidamus perpetuo nos fore ſaluos, quia illius ſemel facti ſumus: factos aũt nos eſſe ipſius, gratuita electione ſua, qua nos elegit ante mundi cõſtitutionem in Chriſto. Ex qua, cum etiam oriatur vitæ piæ ſtudium, fieri non poſſe exiſtimat, vt vitæ innocentiæ & probitati vnquã ſtudeat reprobus, Qui vt eſt vas in contumeliam formatum, ita ipſum non deſinere, perpetuis flagitijs iram Dei in ſe prouocare: & euidentibus ſignis confirmare, quod in ſe latum ſit Dei iudicium.

Hæc, atqꝫ eiuſmodi ille, ſub capite de p̃deſtinatione, vbi certũ atqꝫ infallibile argumẽtũ, qꝫ electi, & in libro vitæ deſcripti ſimus, affirmat hoc

eſſe,

eſſe,ſi communicamus cum Chriſto,atq; illi inſerti ſimus, Communicationem aūt hanc eſſe,per fidem illam ſuam ſpecialem,ſcilicet,euangelicam,Nullum poſſe vitæ innocentiæ & probitati ſtudere,niſi electū, & quiſquis ſemel aliquando ex animo,vitæ innocentiæ & pietati ſtuduerit,hūc deinceps ſalutis ſuæ eſſe ſecurū, & quod in libro vitæ deſcriptus ſit.Quibus non video qd dici cogitarive poſſit abſurdius,& magis euidenter impudenterq; falſum,& vniuerſæ ſcripturæ cōtrarium.,

Euidens falſitas explicatq; Lutheranq; ſententiæ tradu citur.

Nam ſi argumentum certū electionis noſtræ,& quod in libro vitæ deſcripti ſimus,hoc eſt,quod ſemel cum Chriſto cōmunicauimus atq; illi inſerti ſumus, ergo de ſua ſalute certi ſecurique ſunt, quotquot in Chriſto baptizati ſunt,Neq; enim negari poteſt,quin Chriſti corpori per baptiſma inſerti fuerimus,& paſſionis mortiſq; eius facti participes,Ergo etiam ebrioſi,ſcortatores,adulteri,ſuperbi,fraternæ gratiæ inuidentes,detractores, ſeditioſi, homicidæ,ſchiſmatici,hæretici,impij,in Deum blaſphemi,contra Chriſti, & Apoſtoli eius ſentētiam, regnum Dei conſequentur:nec poterunt a percepta ſemel in baptiſmo Chriſti communicatione,& ſalutis in eadem ſecuritate, excidere: non excindi a Chriſti corpore cui ſemel inſerti ſunt.

Cauſſili remotio.

Quod ſi hic dicas nobis Caluine, non de illis omnibus te loqui, ſed de his tm̄ qui per fidem illam veſtram Chriſto cōmunicant: ſpecificatum id a te oportuit.Nunc contra tuus ſermo plane vniuerſalis eſt:nēpe,hoc clariſſimū & certū teſtimonium nos habere,quod in libro vitę deſcripti ſumus,ſi Chriſto cōmunicamus,atq; illi, velut mēbra corpori,inſerti ſumus,Quod,cum ſine dubio conueniat qui in Chriſto baptizati ſunt omnibus: conſequens eſt in libro vitæ deſcriptos eos oēs.At, qui ſemel in illo libro deſcripti ſunt, deleri rurſus ex eodē non poſſunt, Neq; eñ eſt in illo,eſt,& non,ſed eſt in illo,eſt, Mutari nō poteſt, quod æterno,fixo, atq; immutabili diuini conſilij decreto ſemel deſcriptum conſtitutumq; eſt. Ergo quotquot baptizati ſunt in Chriſto, damnari omnino non poterunt, qualiſcunq; alioqui vita ſucceſſerit quibuſcunq; deinceps ſe criminibus contaminauerint,atq; immerſerint.

Deinde,Rationes quibus tuam illam ſententiam aſtruis,vniuerſales ſunt:nempe, eos pro filijs haberi a Deo,quotquot inter membra Chriſti recognoſcit: eoſdē quoq; acciri a Chriſto in eccleſiæ ſuæ conſortiū: eoſdem item in tutelam illum ſuam fidemq; recipere, velut ſibi a patre cōmiſſos et concreditos,vt in vitā æternam cuſtodiant.Ad Chr̄m venire,quicquid ipſi a patre datum eſt:ab eo vero,nihil eor̄ eiectum perditumq; iri,Oues ſuas,vocem ſuam audire,& ſe ſequi: ſe eaſdē cognoſcere, & vitam æternam illis dare, nec perituras eas in æternum: nec quenquam erepturum eaſdem de manu ſua, Hæc, inquam, omnia, cum indifferēter loquantur de ouibus Chriſti: De his,inquam,qui eidem,velut mēbra ſuo corpori,inſerti ſunt,qui acciti in eccleſię eius conſortium

ſortium,quod eſt omnis infans,qui in Chriſto baptizatus eſt, non poſ-tes ſecundum hæc principia, ab illa ſalutis ſecuritate excludere baptizatos paruulos. Idque eo minus, quod etiam ij, vobis vere credant, & propriam fidem habeant,imo verius & ſyncerius credant quam adulti,quibus rationis vſus,vobis authoribus,ad fidem impedimento eſt.

Sed tuiſipſius te verbis cõpello,Quid,inquis, hinc nos Chriſtus diſcere voluit, niſi vt confidamus perpetuo nos fore ſaluos,quia ſemel illius facti ſumus? Nunquid paruulus baptizatus in Chriſto,Chriſti factus non eſt? Nunquid mẽtitur veritatis Apoſtolus, quod Chriſtum induerunt quotquot in Chriſto baptizati ſunt? An forte Chriſti eſſe negabimus,quem Chriſtus in ſe ſuſcepit, & velut indumẽto quodam ſuis meritis,ſuis donis,ſua circũueſtit gratia? Quid igit? Nunquid hos oẽs certo & perpetuo ſaluos fore nos docet Chriſtus, qa ſemel ſui facti ſunt? Imo,ſi permanſeritis,inquit,in ſermonibus meis, hoc eſt,obſequuti eis fueritis,permanſeritis,inquam,in finẽ vſq;.Nam qui perſeuerauerit in finẽ,hic ſaluus erit: Nunquid ſemel Chriſto inſertum eſſe,certam atq; infallibilem ſalutis ſecuritatẽ præſtat Apoſtolo? An nõ gentibus, quæ velut oleaſter eſſent,inſertis iã oliuæ Chriſto,& radicis ac pinguedinis illius iam cõmunionem & ſocietatẽ indeptis, denunciãs Iudæos, qui ante,eiuſdem oliuæ rami fuerant, exciſos inde propter incredulitatem ſuam,eorundem exemplo ſalutis ſuæ ſecuritatem detrahit,ſed hortatur vt in ſolicitudine ac timore permanere ſtudeãt in accepta gratia: alioqui & ipſas exciſum iri,Propter incredulitatẽ,inqt,ſuã,illi cum ante rami eſſent,fracti ſunt. Tu autem fide ſtas,Noli altum ſapere, ſed time, Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit,ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem,& ſæueritatem Dei, In eos quidem qui ceciderunt,ſæueritatem,in te autem bonitatem Dei, ſi tamen permanſeris in bonitate:alioqui & tu excideris: ſed & illi inſerentur ſi non permanſerint in incredulitate. Vides vt non omnibus inſertis oliuæ Chriſto, & ex eo, velut ex radice,vitalem ſuccum trahentibus,ſed his qui permanſerint in Dei bonitate & gratia, ſalutem promittat Apoſtolus, Vides quoq; fieri poſſe,imo quotidie ita fieri, vt inſerti Chriſto,niſi in timore Dei ſolicite & inſtanter ſe contineant,excindantur. Quæ eſt hæc igitur ſalutis tuæ ſecuritas,quæ certitudo quod libro vitæ inſcriptus ſis,ex eo quod ſemel inſertum te Chriſto non dubitas? Si fieri poteſt, & quotidie ita fiat,vt qui ſemel illi inſertus eſt excindatur iterum, niſi ſtudioſe ac ſolicite in Dei bonitate permanſerit,Quod an tu quoq; facturus ſis, ob voluntatis lubricum, mobilitatem atq; inſtabilitatem tibi certum non eſt: quæ tibi eſt,quam ſuis adimit Paulus,ne ſemel inſertus excindaris, certitudo & ſecuritas?

Et quanquam,quos ſibi aſciſcit Chriſtus, eoſdem in ſuam tutelam recipiat,velut ſibi a patre commiſſos & concreditos, vt in vitam æter-

nam cuſtodiantur:quanquam ipſe neminem ad ſe venientium aut excludat,aut ejciat:ita tamen hęc facit,vt ſuis,libertatem arbitrij non adimat.Sua illis cuſtodia,& tutelans gratia non deeſt, ſed multi deſunt diuinæ gratiæ: multi eandem ſuſceperunt & ſuſcipiunt in vacuum: niſi fruſtra,ne & nos ita faciamus, nos adhortatur Apoſtolus:niſi fruſtra & electos ſuos illos Apoſtolos vigilare & orare iuſſerit Chriſtus,ne caderent,& tentationi ſuccumberent,Ipſe neminem repellit veniētē ad ſe,ſed gratiſſime ſuſcipit, Non tñ omnes qui ad ipſum venerunt,cum ipſo permanent.Ipſe neminem eorꝝ quos recipit,foras ejcit: ſed multi parum ſtudioſe, diligenter ac ſolicite in timore Dei ſe continentes, & perſeuerātes in bonitate eius et gratia,ſeipſos ejciunt:ſeipſos dant præcipites in ſectas perditionis, in damnationis barathrum, Quos ille, vt volentes,& ad ſe venientes,libenter ſuſcipit:ita vltro a ſe recedentes,inuitos,velut vi quadam illata nō retinet, Oues Chriſti, vocem eiuſdem audiunt,monitis & præceptis obtemperant, Chriſtum,paſtorem,ducem,& magiſtrum ſequuntur,per eius ingrediuntur veſtigia, quādiu oues permanent,& ipſe in eadem ouili innocentia, ad finem perſeuerantibus dat vitam æternam,& nemo habet poteſtatem eripiendi illas de manibus eius.Sed ſi ab ouili illa manſuetudine & innocentia in hircinam fœditatem,aut lupinam feritatem degenerauerint,ſi non paſtori Chriſto,ſed mundo,carni,ac diabolo,contrarijs illi dominis auſcultare incipiant,iam cum hœdis illis quos in iudicio ad ſiniſtram ſtatuet,partem accipient.

Quale vero id ſit,quam euidenter impudenterqꝫ falſum, quod dicit,fieri non poſſe,vt quis vitæ innocentiæ probitatiqꝫ ſtudeat,qui in libro vitæ deſcriptus non eſt, ſuperiori capite ſatis demonſtratum eſt, Per Ezechielē ipſe nobis Deus ita loquiť,Si aūt auerterit ſe iuſtus a iuſtitia ſua,& fecerit iniquitatem,ſecundum omnes abominationes quas operari ſolet impius,nunquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.In præuaricatione ſua qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccauit,in ipſis morietur, Quid hic audis Caluine? ſtuduit iuſtitiæ,& vitæ innocentia Deo placuit:quod nemo,niſi ex electione poteſt,niſi mentiaris tu, nunquid ergo in æternum morietur electus? Nam de illa morte loqui illum, certum plane indubitatumque eſt.

Non,inquis, inficior quominus habeant vocationis ſigna cum electis ſimilia: ſed illud certum electionis ſtabilimentum, quod fideles a verbo Euangelij petere iubeo, illis minime concedo. Quid eſt hoc? Quodnam aliud certum electionis ſtabilimentum hic profers, ex Euangelio petendum fidelibus,quam quod paulo ante explicaſti? nempe,inſertos nos eſſe Chriſti corpori, bonorum meritorumqꝫ eius nos factos participes, quam, inquam, nos eſſe Dei filios? At tales multos

eſſe

eſſe demonſtrauimus, qui tales non permanent, Proinde in finem perſeuerantibus in gratia iſta, certa ſalus promittitur. De quorum numero an futurus ſis, niſi certitudinem habeas, ſalutis tuæ ſecurus & certus eſſe non poteris, Eius vero certitudinem, nulla tibi præſtat diuina promiſſio : imo, in omni ſalutis promiſſione, hæc conditio, velut ex te requiſita, includitur, Si tamen, inquit, permanſeris in bonitate: alioqui & tu excideris.

Et hactenus quidem vanam, falſam, peſtilentiſſimamq; ſalutis ſecuritatem, & temerariam præſumptionem, qua etiam diuinorum archanorum, cõſiliorumq; certitudinẽ ſibi arrogant, & ſeipſos atq; alios miſere decipiunt aduerſarij, ſatis, vt puto, luculenter, euidenterq; coarguimus.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber VIII.

De infallibili diuina præſcientia, vtque nihil pugnet cum rerum contingentia, & noſtri libertate arbitrij, luculenter explicare.

Caput I.

TORSIT EQVIDEM MVLTOS, NE dicam pene vniuerſos, de diuina præſcientia, prædeſtinatione, reprobatione & prouidentia qua gubernantur vniuerſa, quæſtionum inexplicabilis abyſſus & profunditas. Et iam audiſtis in quod impietatis ac blaſphemiarum barathrum ſe præcipitauerint, Caluinus & Lutherus cum ſuis, dum ſacræ illi anchoræ non ſatis adhærent firmiter, ſed opinionum ſuarum impetus ſequũtur præcipites. Attamen qui didicerunt captiuare rationem ſuam in obſequium fidei, non propterea in blaſphemiam aduerſus altiſſimum os ſoluunt, quod quæſtiones eiuſmodi explicare nequeant: probe intelligentes, imbecillitatis ſuæ captu menſurari non oportere diuinæ immenſitatem maieſtatis & ſapientiæ.

Itaque vt a primo incipiam, Tametſi ipſa diuinæ præſcientiæ (quã futurorum ſcientiam, hoc eſt, certam præcognitionem omnes intelligunt, ſcientia enim certitudinem importat) quæſtio, philoſophorum pleriſq;, quanuis acutiſſimorum viſa eſt inſolubilis, ſi libertatem arbi- De præſcientia.

Quo pacto facile intelligi et explicari poſſit præſcientię quæſtio.

trij aſſeras:ſi tamen caſtigato mentis oculo ad pietatis regulam humili-
ter expendatur & ſobrie,pijs ſane nihil inuenietur difficultatis habere,
Nam primum,in hunc modũ,ſi cogitemus,Deum videlicet non præ-
ſcire futura,ſed tantum,certo tamen infallibiliterq; intueri præſentia,fa
cile intelligeret quiſq;,nihil per hocipſum præiudicari libertati noſtri
arbitrij:non,inquam,magis,quam cum ipſi nos mutuo intuemur,faci-
entes,quæ facimus,libere. Non enim ideo hic facit,hoc,aut illud , quia
aliter ipſum videt hoc facere,ſed ideo ille videt,quia hic facit, Viſio eñ,
rem ipſam,non contra,res viſionem ſequitur.Quod ſi inſuper oculum
cogitemus cui vis videndi infinita ſit, intima rerum omnium pene-
trans,nec ſolum ea quæ ſunt,ſed & quæ fuerunt,& quæ futura ſunt at-
tingens,atq; vno cernens intuitu omnia,neq; hinc quicq̃ mutari natu-
ras conditionesq; rerum intelligimus.Neque enim,eo poſito , ideo fie-
ret aliquid,ideo fuiſſet,aut foret,quia videretur ab oculo immenſæ vir-
tutis eiuſmodi:ſed ideo ab eodem videretur,quia eſt, fuit,aut futurum
eſt, Neque etiam,quia falli non poſſet in his quæ videret , oculus eiuſ-
modi,viſis ipſis,ſua adimeretur contingentia:nec,quæ aut fieri in præ-
ſens aut in futurum ab illo viderentur , facientibus , ſua libertas : quin
potius in ſua quodq; conditione contueretur vniuerſa : neceſſaria vi-
delicet, tanquam neceſſaria:& contingentia,vt contingentia : & libere
a nobis facta,tanquam talia . Quemadmodum etiam nos quæ intue-
mur, in hunc intuemur modum. Solem,ſuis temporibus oriri,occide-
re, mediare cœlum,cum luna congredi,eidem e regione ferri , eclipſari,
neceſſario.Platonem diſputare,contingenter , & libere. Aeque tamen
certi ſumus vtrunq; fieri,ſeu contingens id ſit, ſeu neceſſarium , quan-
do ipſum videmus fieri:niſi in viſu ſit vitiũ atq; allucinatio:cui in pro-
poſito a nobis oculo locus non eſt. Itaq; cum in hunc modum,diuinæ
mentis oculũ nihil poſſit effugere,ſed vniuerſa,ex ipſa viſus ſui ratione
neceſſario contueatur vno contuitu,æque futura,vt p̃ſentia: ſed quæq;
talia,qualia ſunt,aut futura ſunt:neceſſaria:contingentia: arbitraria : q̃-
uis infallibiliter omnia,Intueatur dico,& nõ prænoſcat velut in cauſis:
quemadmodum & nos futura prænoſcimus, Vt videntes terram cul
tam iacto in eam ſemine,quod triticum,hordeum,auenam feret,prædi
cimus,ſed intueatur,velut ſub ipſis oculis præſentia,nihil hoc rerum i-
pſarum naturam,qualitatem, aut conditionem demutat : neq; ideo ea
ſunt aut erunt,quia ille ea contuetur,ſed ideo contuetur , quia aut ſunt,
aut futura ſunt: & talia contuetur,quia talia ſunt,aut futura ſunt, Neq;
horum neceſſitas,infallibilitatis illius viſus cauſa eſt, ſed vis videndi in
ſe infinita,omnibus præſens atq; intima.Nec magis præſcientiæ futu-
rorum,quam intuitionis præſentium infallibilitas , hoc pacto conſide-
rantibus nobis difficultatem ingerit,quam hæc , nullam ingerit : cum
& illa,nihil ſit quam velut præſentium intuitio.

Sed

Quid in præſcientię quæſtione cogitantibus difficultatem ingerat.

Sed erroris fumum in mentis noſtræ oculos, erronea hæc cogitatio ſuffundit, quia imaginamur Deum vt peiorem rebus, eaſipſas velut in cauſis ſuis cognoſcere, & non cogitamus vniuerſa quæ in æternitate ſunt, ipſi eſſe præſentia, vniuerſaq; intueri vt præſentia. Itaq; velut iam præteritum apprehendentes Dei ipſius, de futuro aliquo, vt Antichriſto, verbi cauſa, aut iudicio futuro præſcientiã, & ex eius infallibilitate, ad conſequentiæ neceſſitatem reſpicientes, qua neceſſario ſequitur pręſcitum fore, ob præſcientis vim viſoriam infinitã atq; infallibilem, non ob rei præſcitæ neceſſitatẽ, imaginamur etiam ipſam præſcientiã, quaſi tranſierit in præteritum, tanq̃ neceſſariam, Sed falſa & erronea eſt imaginatio iſtiuſmodi, Præſciẽtia eñ Dei eſt rei futuræ, velut præſentis, intuitio: imo, ipſe diuinæ mentis oculus, cui præſenti, res futura, eo modo, conditione, qualitate, quibus futura eſt, præſens eſt, Nec quicq̃ hic eſt imaginari ex parte rei, in Deo, quod in præteritum tranſijt: nullum actum, nullam viſionem, ſed tantum, infinitum illum diuinæ mentis oculum, cui præſentia ſunt omnia quæcũq; in vniuerſa æternitate ſunt, & eo modo, vt ſunt.

De prædeſtinatione piorum, & reprobatione impiorum, piam & orthodoxam ſententiam explicare, Nec ſolum ſectæ Lutheranæ de eiſdem opinionem impiam, ſed etiam D. Auguſtini vt parum probabilem, nec diuinæ bonitati admodum congruentem coarguere ſententiam.

Caput II.

De prædeſtinatione & reprobatione.

Prædeſtinationis & reprobationis quæſtioni a ſcripturarum tractatoribus quibuſdam, ab Auguſtino præſertim (quem vt diſputatorem acutum excutientemq; in omnem partem omnia, in aliquibus ſecurius fere ſequuntur ſcholæ) plus difficultatis q̃ in ſe habuit mihi iniectum videtur. Quam vt breuiter ac dilucide explicem, illi ſemper adhærentes pietatis regulæ, & ab ipſa inprimis vocabulorum ratione, pro noſtro more, facientes initium, Non recte, nec ex vſu diuinarum ſcripturarũ, mihi prædeſtinationem definire Caluinus videtur, cum ipſam, æternũ Dei decretum facit, quo apud ſe conſtitutum habuit, quid de vnoquoq; homine vellet fieri: atque alijs vitam, alijs damnationem ęternam deſtinat, Quandoquidem ex ſcripturæ & orthodoxorum omnium vſu, prædeſtinatio reprobationi opponitur: & electorum tantum eſt, imo, ipſa electio, Id quod clariſſime conuincitur ex verbis Apoſtoli, Nam quos, inquit, prædeſtinauit, hos & vocauit, Et quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit, Ergo qui reprobi ſunt, & deſtinati exi-

Prædeſtinationem nõ recte definiri a Caluino.

Prædeſtinationem, electorum tũ eſſe, & reprobationi opponi.

 ti exi-

ti exitio,prædeſtinati non ſunt,Paulo ergo apoſtolo,contradicit Calui-
ni definitio,Quæ fere vbiq; eſt eius in definiendo felicitas,Adhæc,vni-
uerſam eius definitionis ſententiam,in ſuperioribus falſiſſimam,impijſ
ſimam,abſurdiſſimamq; demonſtrauimus.

Prædeſtinatio quid? Reprobatio.

Nos itaq; ex vſu diuinarum ſcripturarum, & ſacrorum tractatorum,
prædiffinitionem ad vitam,prædeſtinationem intelligimus.Sicut con
tra,Reprobationem,deſtinationem ad æternum ſupplicium.

Et quo modo atq; ordine in deo intelligenda ſint.

Deinde,hoc mihi ſecundum præmiſſa præſupponendum præmit
tendumq; videtur,Deum Opt.Max.ex illa infinitæ bonitatis ſuæ dul-
cedine,conſilij ſui immobilitate ab æterno conſtituiſſe,ad imaginem et
ſimilitudinem ſuã rationalem creaturam cõdere,vt ſibi (quod poſſet)
humili dilectione ſubiecta:ſuæ bonitatis & felicitatis conſors & parti-
ceps fieret:quo, vniuerſam, indiſtincte primo ordinauit & condidit:
neminem vero, vt a ſe apoſtatando periret, Videns tamen, q̃ videt oĩa,
ſed velut deinceps, atq; ordine quodam, poſt immutabile illud ſuum
conditionis rationalis creaturæ decretum,ex eis quoſdam abuſuros di
uitijs bonitatis ſuæ & gratiæ,atq; vltro apoſtaturos a ſe, derelicturoſq;
ſe fontem vitæ,& manibus pedibuſq;, quod dicitur, ſibijpſis accerſu-
ros mortem: non ob hoc mutauit, quod ſemel infinita ſua bonitate ſta
tuerat,apud quem non eſt,ita,& non,neq; eſt tranſmutatio, nec viciſſi-
tudinis obumbratio: ſed quod vnum reſtabat, illorum voluntaria &
ſibi diſplicente malitia,ad aliorum profectum,ſui nominis gloriam, &
iuſtitiæ cõmendationem,ex eodem illo diuitiarum immenſæ ſuæ bonita-
tis & ſapientiæ theſauro vti diſpoſuit:vt vltro recedens a vita, & ſibi-
ipſi accerſens mortem,atq; inſuper diuitias bonitatis, patientiæ,& lon-
ganimitatis eius,quibus ipſum ad patientiam reuocat, contemnens, &
aduerſus eiuſdem voces & monita obdurans cor ſuum impœnitens,
pereat quidem,quia perire voluit, ſed in eius perditione, & diuinæ bo-
nitatis argumentum extaret,& diuini ordinis ratio, quam ille peruer-
tendo,ſe perdidit, non periret:ſicq; ille fieret iam ſibi pœna,quo ſuppli-
cium ſemper malo eſſet,voluntas mala: tanq̃ ſuaipſius culpa cæco, cæ-
citas ſua: & concupiſcentia peccandi quã explere non potuit, tormen-
tum fieret peccatori: Et rebellis ac refuga, qui illam imperturbabilem
quietem fugeret,deinceps perturbationi ſeruiret: atq; a bono dño tan-
dem relinqueretur iuſte,quem ipſe contumaciter fugit, & reliquit iniu
ſte: Iuſte dimiſſus in perditione peccati, quo propria ſe præcipitauit
voluntate,nec,reuocatus,oblata,vt reſurgeret,manu, inde eximi voluit,
Non tñ ibi dimittendus erat impune: ne Deo bono,iuſto & ſancto, in
quo iniquitas non eſt, ſi ita peccatorem in peccato ſemper relinqueret,
impunitum placere putaretur peccatum. Itaq; vt impietatem iniqui-
tatemq; ſibi diſplicere oſtenderet,quemadmodũ & amare ſe pietatem,
iuſtitiam,ſanctimoniam: ſicut hanc, immortali gloria remunerare, ita
illam,

illam,æterno ſupplicio punire diſpoſuit, Quodipſum, etiam ante interminatus eſt ſuæ creaturæ,ne ſe perderet,ſed potius ipſi obſequendo, vitam,ad quam conditus erat,inueniret. Sic & conditum hominem, poſtq̃ præceptum illi dediſſet,cuius obſeruatione vitam aſſequeretur, quo adeandem aſſequendã induceret,tranſgreſſionis pœnã benignus & miſericors adiecit.In quacunq;, inquit, die comederis ex eo, morte morieris,Et mortuus quidem erat ille,nõ tamen diuitias bonitatis,longanimitatis,& patientiæ diuinæ contempſit: proinde & redẽptorem, propitiatoremque miſericordiſſimum inuenit, Qui autem obdurant inſuper cor ſuum impœnitens ad vocem miſericorditer ad ſe reuocantis domini,theſaurizant ſibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei,qui vnicuiq; redditurus eſt ſecundum opera ſua. Quod dum facit,in ſanctis quidem ſuperabundantes diuitias gratiæ & bonitatis ſuę oſtendit, bonis ſuis,meliora retribuens.In impijs vero, iudicij ſui iuſtitiam,tamen miſericordia conditam ac temperatam demonſtrat. Vt in illis qui in ſe perdiderunt ordinem, diuini, vt diximus, ordinis, ſibi nihilominus ratio conſtaret, Interim tamen, etiam de malo opere cuiuſlibet mali,boni aliquid operari non ceſſans, tametſi horum omnium nobis non conſtet ratio.

Inprimis itaq; Caluini,Lutheri, & ſectatorum illorum execramur blaſphemiam, qui non ſolum quicquid in nobis boni eſt, ſed etiam quicquid mali,quicquid damnatione dignum,diuinæ prædeſtinationi tribuunt:vniuerſa,ab eius vnius beneplacito & immutabili decreto dependere voluit: nihil eorum omnium noſtræ facultatis eſſe & noſtri arbitrij, ſed ineuitabilis nobis neceſſitatis legem, quam in diuina voluntate ac prędeſtinatione conſtituunt,dominari in omnibus.Illius decreto,inprimis ſuum cuiq; finem, deinde & media quibus ad eundem peruenturus eſt,conſtitui:proinde, quemq; ea conditione creari, vt poſtea faceret quæcunq; facit. Nec alia ratione, quæcunq; circa vnumquenq; futura ſunt præſciri à Deo,niſi quia æternæ ſuæ prædeſtinationis decreto,ea ita voluit & ordinauit fieri. *Falſitas opinionis Lutheranæ,omnia,tam bona, quã mala noſtra, in diuinam prædeſtinationẽ tanquã in cauſam referentis.*

Deinde,nec ij mihi digne videntur ſentire de Deo,ſed aliena ab eius bonitate & miſericordia illi affingere, qui ipſum, quoſdam præciſe & abſolute elegiſſe ac prædeſtinaſſe affirmant ad vitam beatam & gloriam: alios vero auerſatum, nec dignatum ea gratia & beatitudine, ſed ab eadem reprobâſſe potius, ac deſtinaſſe ad interitum. Indigna, inquam,mihi hæc videntur diuinæ illi bonitati ac ſapientiæ: nec vlla ratio,vlla ſcripturarum(quod mox apparebit) nos cogit authoritas, de Deo hæc aut ſentire aut dicere:imo contra potius,quod Deus,vnus ſit æqualiſq;,vt creator,ita & pater omnibus, nulli vitricus:quod nullum ad hoc vt periret fecerit, nec ſit apud illum aut iniquitas, aut perſonarum acceptio,Quæ non eſſe non poſſet, ſi hos damnaret, illos ſaluaret, *Nec Auguſtinum digne ſentire de Dei bonitate et miſericordia, qui ipſum certos quoſdam abſolute elegiſſe ad vitam vult, reprobatis cæteris.*

non pro meritis ipſorum, ſed pro vno ſuo beneplacito: ſi ex creaturis ſuis, ante eam diſcretionem, quam ipſe electionis prædeſtinationiſque ſuæ decreto in eis faceret, indiſcretis ac æqualibus in omnibus, & in quibus nihil, quam ſuamipſius creationem poſſet reſpicere, hos ad beatam vitam eligeret, illos deuoueret ac reprobaret ad interitum.

Similitudo creditoris debitū remittentis vni, & exigentis ab altero, vt neutri ſententiæ prędictæ ſeruiat.

Fruſtra hic recurritur ad creditoris ſimilitudinem, in cuius poteſtate ſit alteri remittere, ab altero exigere debitum. Inueniſſe Deum vniuerſam maſſam humani generis, damnationi obnoxiam, Ignoſcere autem & ſuam gratiam dare quibus vult, quia miſericors eſt: Non dare omnibus, vt puniendo, ſe quoq; iuſtum iudicem oſtendat, Dando quibuſdam, quod non merentur, gratuitam ſuam gratiam oſtendere: Non omnibus dando, quid mereantur omnes, declarare.

Vt Lutheranę ſententiæ in dicta ſimilitudine nihil ſit pręſidij, aut ſubterfugij.

Hæc enim a Caluino aut Luthero dici non poſſe, niſi ſibijpſis contradicant, ſupra non ſemel euidentiſſime demonſtrauimus. Cum lapſum humani generis non præceſſiſſe, ſed ſubſequutum eſſe Dei prędeſtinationem, ipſi neceſſario affirment: vt cuius, eundem, effectum affirmant: ſubſequutum, inquam, non ſolum re ipſa, & tempore, ſed etiam in diuina præſcientia. In qua, cauſa, ſuo effectu, prior eſt, Itaque cum primam ſecundum hos, prædeſtinatio, diſcretionem inter rationales creaturas faciat, non inueniat, quæ nullo meritorum, nullo dignitatis reſpectu, has, ab illis, diſcriminat: iſtas ad vitam beatam, illas ad interitum deſtinat, cuius eatenus meritum nullum, debitum nullum, nec in diuina præſcientia, præceſſerat: nihil illis in dicta ſimilitudine eſt aut præſidij aut ſubterfugij.

Auguſtini ſentētia, vt ſit facta electorū quorundam a cæteris reprobis, prima in mēte diuina diſcretio.

Auguſtino vero & qui eius authoritatem ſequuntur quam hæc ſuffragentur nunc videndum eſt, imaginantur quidem vniuerſalem humani generis lapſum, prædeſtinationem quorumuis ad vitam, reprobationemque aliorum ad interitum, in mente diuina præcedere. Id quod etiam nos & affirmamus & admittimus, Inde vero velut ex communi damnationis maſſa, per prædeſtinationem quorundam definitō numero, cæterorumque reprobationem, diſcretionem fieri.

Eiuſdē ſententiæ excuſſio.

Hypoteſes euidentes.

Præceſſiſſe neceſſario in mente diuina creandi hominis conſilium, lapſus eiuſdem præſcientiam.

Sed quam hæc ſuæipſorum ſententiæ conueniant, id nunc patefaciendum eſt, Hoc inprimis indubitatum eſt, præceſſiſſe in mente diuina, creandi hominis conſilium, quam lapſus eiuſdem præſcientia. Cum labi non poſſet, niſi qui laberetur eſſet: nec lapſus alicuius intelligi, niſi præintellecto illo, etiam in ea, a qua laberetur, integritate & rectitudine. Prius ergo obuerſabatur diuinæ menti creatus, imo in rectitudine creatus, quam ab eadem lapſus homo,

Non decreuiſſe Deū vniuerſos homines

Præceſſit proinde in diuina mente, creandi hominis conſilium, lapſus eiuſdem præſcientiam, Præceſſit, inquam, eo ordine, quem abſque ſuæ æternitatis & immenſitatis iniuria admittunt eiuſdem

mentis

mentis conſilia. Deinde, & hoc certum eſt. Infinitam illam Dei bonitatem & ſapientiam, non decreuiſſe vniuerſos homines cōdere, quęque ſuo conſtituto & prędordinato tempore, niſi ob finem, illi ſuæ bonitati congruum: ex cuius reſpectu & intuitu, id creandi humani generis in vniuerſis indiuiduis ſuis conſilium proceſſit.

Cōdere niſi ob finē ſuę bonitati cōgruum.

De illo nunc fine, eſt inter nos quæſtio & controuerſia.

Ad quid reſpiciēs, aut quo fine deus ab æterno conſtituerit rationalem naturam condere.

Vel enim illum finem, aliquid in Deo intelligunt, quod in ipſum rediret & redundaret ex creatione hominis: puta, ſui nominis gloriā, aut quid eiuſmodi, quam ſententiam præcedenti capite cōfutauimus, Nā qui in ſe, & per ſe perfectiſſimus & beatiſſimus, ſibi totum totus eſt, nulli reliquit locum, quod ipſi ex ſua creatura poſſet accedere: nullo indigens omnium, ex quo ſunt omnia: quibus, id quod ſunt, eſſe, largitus eſt, omnia vero, ad profectum eorum creauit, & inprimis hominem, (vt beatiſſimi Hilarij verbis dicā) nō quod officio eius in aliquo egueerit, inſtituit, Sed qui bonus eſt, participem beatitudinis ſuæ condidit, & rationale animal in vſum largiendæ ſuæ æternitatis vita ſenſuque perfecit, Nullum a nobis, niſi innocentiæ & religionis & fidei obſequium poſtulans, vt digni beatitudinis ſuæ ac bonitatis munere, per meritum amoris ſui & obſequij iudicemur.

Aut vt inde aliquid ad ſe rediret, hoc eſt, ob ſui nominis gloriam, &c. Improbatio.

Aut quo eadem beatiſſimę bonitatis fieret particeps.

Aut ad ſuæ bonitatis naturam reſpiciens, ad hoc vniuerſam rationalem naturam ſuæ beatiſſimæ bonitatis capacem cōdere voluit, quo eiuſdē quoq; fieret particeps: quod tamē, quia ſine libertate arbitrij neceſſaria rationali naturæ non potuit, magna hoc ipſum parte, in eiuſdē arbitrij eius facultate neceſſario repoſuit.

Aut, ad illum finem reſpiciens ad quem, quæq; earum peruētura erat, ad eundem quoque cōdere decreuiſſe eandem.

Aut poſtremo, ad illum finem reſpiciens, ad quem quiſq; hominū peruenturus eſt, ad illum quoq; vnumquenq; condidiſſe, aut cōdere decreuiſſe intelligunt. Si poſtremo hoc modo intelligūt, neceſſe eſt, vt fateantur, diſcretionem electorum a reprobis in mente diuina præceſſiſſe, non ſolum lapſus humani generis præſcientiam, ſed etiam eiuſdē condendi decretum aut conſilium. Præpoſtere proinde, ex illo vniuerſali debito, quod ex lapſu primi hominis depēdet, illam diſcretionem, & immeritam dum deuotionem ad interitum, iuſtificant: prius, ex poſteriori, & fruſtra ad illam ſimilitudinem confugiunt, quæ ſupponit debitum, quod hic præſupponi non poſſit.

Vt hic vltimus modus pugnet cum aduerſariorū ſententia.

Vt etiā excludat vim dictæ ſimilitudinis.

Relinq. ergo, ſecundū modū.

Si ſecundo illo modo intelligunt, nobiſcum intelligunt, Deum videlicet ad hoc decreuiſſe indiſtincte vniuerſam rationalem creaturā condere, vt ſuæ beatiſſimę bonitatis eſſet particeps. Nō ergo per beneplaciti eius decretū facta eſt ſaluandorū damnandorumq; diſtinctio, Nec ex paribus in omnibus, & in eadē prorſus cauſa exiſtentibus, hos pro vno ſuo placito ad vitā eligit, illos reprobat, Neq; eīn hoc infinitę ſapientiæ conuenit: quæ ſine ſumma ratione nihil vult, tametſi ea nos lateat: neq; infinitæ bonitati, q̄ reſtricta nō eſt, ſed larga & diues in omnes:

Decreuiſſe nempe Deum vniuerſam rationalem naturam condere, quo ſuæ beatitudinis eſſet particeps.

Falſa proinde Auguſtini, & ſectatorū eius opinio.

nes:& quod ex ipſa eſt, vult omnibus ſuæ bonitatis participationẽ & conſortium, quantum quodq; eius capax eſt:nec deniq; eius æquitati et iuſtitię,illi pſertim diſtributiuę,q̃ moderatur liberalitati,& in quoq; merita,aut propria aut aliena conſiderat:propria,inquã,cuiuſq;,aut cer te,aliena,quæ tamen ad ipſos quodam modo pertineãt. Vt filijs ob parentum merita,alijs ob interceſſorum gratiam, multa iuſte conferri beneficia,indubitatum eſt:& vniuerſa ſcriptura atteſtatur, Breuiter alieniſſima mihi videtur hæc,ab Optimo,Sapiẽtiſſimo,& Iuſtiſſimo imaginatio,& ſententia:q̃tumuis magnos aſſertores habeat, Neq; em̃ hæc ſecum conſonant,Deũ nolle ſaluos fieri niſi paucos conſtituto apud ſe numero,& quos ex ingenti numero,relictis alijs omnibus,in pari,imo, eadem cauſa,imo deſtinatis deuotiſque internetioni cæteris omnibus, vno ſuo beneplacito elegit,& velle oẽs ſaluos fieri:nolle mortem peccatoris,ſed magis velle vt conuertatur & viuat:Quod idem cum iureiurando affirmãs,mentiretur indubie,ſi,vt perirent, creaſſet multo maximam partem hominum:ſi abſolute elegiſſet paucos quoſdam ad vitã & ſalutem,reliquos deſtinaſſet morti & æterno ſupplicio.

Pia ſententia,Deũ prima ſua intẽtione indiſcrete, atque indiſcriminate diſpoſuiſſe creare homines vniuerſos, q̃ ſuæ beatitudinis forent participes.

Hoc itaq;(vt iterũ iterumq; dicam)nihil dubitamus affirmare, velut certum & indubium. Deum prima illa ſua intentione indiſcrete et indiſcriminate creare,diſpoſuiſſe vniuerſos,vt ſuę bonitatis ac beatitudinis forent participes. Aequalem ſe omnibus, quod ex ipſo eſt, ſicut conditorem, ita & patrem exhibere, niſi eius mẽtiatur ſpiritus,qui per prophetam ita nobis loquitur. Nunquid non pater vnus omniũ noſtrũ eſt?Nũquid nõ vnus Deus creauit nos?Suauẽ eſſe dñm vniuerſis affirmat ille diuinus Pſaltes:& non in paucos tm̃, quos abſolute elegiſſet,benignum,liberalẽ,beneficum: in cęteros vniuerſos quos nollet ſaluari,imo quos condidiſſet ad damnationẽ et interitum, parcum,durũ, implacabilem:ne dicam,iniuſtum & crudelem:ſed ſuauis eſt, inquit ille,vniuerſis,et miſeratiões eius ſuper omnia opera eius:non vero ſuper hæc miſeratio,ſuper illa vero,implacabilis ira & indignatio:niſi quatenus hoc merentur peccatorũ grauitate, & obdurati cordis in eiſdẽ impœnitẽtia. Nõ eſt diſtinctio apud illũ(ſi eius Apoſtolo credimus)nec Iudęi nec gentilis,ſed vnus Deus oĩm, diues in oẽs qui illum inuocant, Ex nobis ergo,nõ ex ipſo deeſt,quod diuitiarũ illius immẽſæ bonitatis eius participes non efficimur,Non ex illius electione, ſed ex noſtra deeſt culpa,negligentia,& ſocordia. Ipſe ſolẽ gratię ſuæ nec peccatoribus, ſubtrahit,niſi clauderent oculos & viſum auerterẽt:Quos tñ ipſos, nõ ceſſat ſolicitare,prouocare,pungere, atq; oſtium cordis illorum pulſare,quo ſibi aperiant:promittẽs aperientibus ingreſſurũ ſe ad illos. Quę non ſunt,perſonas accipientis,et paucos quoſdam tm̃ abſolute eligẽtis, in quos diuitias benignitatis et miſericordię ſuę velit oſtẽdere:repellẽtis vero,abijcientiſq;,atq; vltro deuouentis cęteros:imo, q̃d ex ipſo eſt,

æque cupientis ac volentis vt omnes ad ſalutem perueniãt, Quod itaque hi ſaluentur, illi minime, non ex diſcriminante inter illos Deo eſſe, ſed ex humani arbitrij libertate pendere, ęque nihil dubitamus dicere.

Ex hoc cõſtituto princĩpio, quo deinceps mõ, in mẽte diuina facta ſit diſcretio electorũ a reprobis.

Quanq̃ aũt vniuerſam rationalem creaturam, indiſtincte, ad ſuę beatitudinis conſortium condere ab æterno conſtituiſſe Deum certo teneamus: æque tamen intelligimus, in illo primo condendæ eiuſdẽ creaturæ conſilio, nulli earum abſolute & ſimpliciter deſtinaſſe eandem, niſi humili dilectione ſibi obſequentibus, & accepto a ſe talento diligẽter & cum fructu vtentibus, quibus tamen adeſſet per rationis vſum, eius facultas: alioqui, ſolo meritorum ſui filij, ipſis, per cõſtituta a ſe media & ſacramenta communicatorum intuitu. Videns autem, velut deinceps, ſuo illo diuinitatis immenſo oculo, cui præſentia ſunt omnia, qui omnium, ſui arbitrij libertate, dona ſua accepturi erant grate, atque eiſdem vſuri diligenter ac gnauiter, qui remiſſius, qui denique abuſuri aduerſus ſuum honorem & gloriam, atq; inſuper, ſua corda induraturi aduerſus ſuæ bonitatis diuitias, illos iamdum elegit, ac eiſdem ſua dona præordinauit, cuique ad rationem præuiſæ a ſe gnauitatis, & ad pietatem ſtudij, & vt affirmat veritas, vnicuique ſecundum propriam virtutem: & præuenientem ad ea omnia, & deducentem, adiutricemque gratiam & tandem gloriam, pro ſuis cuique præuiſis meritis: ad quam, tales prædeſtinaſſe ex vſu ſcripturarum dicitur.

Electio, & prædeſtinatio electorum ad gloriam.

His vero, quos donis ſuis & liberi arbitrij facultate præuidet abuſuros cõtra ſuam gloriam, atq; inſuper ſuaipſorum corda obduraturos aduerſus ſuam gratiam, atque eandem reiecturos (quę, quantũ ex ipſo eſt, omnibus æqualiter parata eſt) meritũ ſupplicium præparat, Qua in re, ſicut præſcientia iniquitatis humanę in ipſo culpanda non eſt, ita laudanda eſt iuſtiſſimæ vltionis præparatio.

Reprobatio, & reprobis ſupplicij deſtinatio.

Quod vero Deus in vtranque partem, non perſonas, ſed merita perſonarum reſpiciat, in ſuperbenedicta et glorioſiſſima ſui filij genitrice euidenter demonſtrauit, Nam, ſi in quam omnino, in vnam illam, quam filio ſuo matrem delegerat, eiuſdem velut ſingularis & electæ perſonæ prærogatiua, videtur nullius alterius in eadem meriti intuitu, omnes diuitiarum ſuæ gratiæ theſauros haud immerito effundere debuiſſe, Attamen, non eamipſam ſingularem perſonæ eius prærogatiuam, ſed meritum eiuſdem reſpiciens Deus, eandem repleuit omni gratia: cuius illaipſa luculentiſſimum teſtimonium perhibet, magnificans dominum, pro diuitijs eius in ſe bonitatis & gratiæ, Quia reſpexit, inq̃t, humilitatem ancillæ ſuę, ecce ẽm ex hoc beatam me dicent oẽs generatiões, Quia fecit mihi magna q̃ potens eſt, Audis cur illa, ſingulari ea beatitudine donata ſit, quam prędicant de ea omnes generationes: cur fecerit illi magna omnipotens. Quia, inquit, reſpexit humilitatem aut paruitatem ancillæ ſuæ: reſpexit, inquam, a ſæculo, atque

Deum in vtranque partem nõ perſonas, ſed merita reſpicere.

ab æterno,& ſuo illo modo prius,q̃ illi deſtinaſſet tantam beatitudinẽ: vt quam, reſpiciens ad eius humilitatem, eidẽ deſtinauit in æternitate, & perfecit in tempore qui potens eſt. Et adhuc non credis Deum, nõ perſonas pro ſuo beneplacito eligere, in quas beneficia ſua copioſa manu conferat,ſed earundem merita reſpicere?

Electionẽ ergo & prędeſtinationem Dei, ex pręſciẽtia eiuſdẽ dependere.

Expenſio verborum Apoſtoli ad Roma. Scimus,q̃niam diligentibus Deũ,&c.

Cur dicat diligentibus,non, electis,in bonum cooperari omnia.

Eſt igitur ab æterno apud Deum,iuſtorum,& qui vitæ illius beatę conſortes futuri ſunt electio, præfinitio ac prædeſtinatio: ſed quæ ex præſcientia eiuſdem dependeat: præſcientia,inquam,grate ab eis excipiendæ ſuæ gratiæ, & quod cum ea digne fructificaturi ſint. Quodipſum etiam Paulus,in ea quæ eſt ad Romanos epiſtola euidenter confirmat. Scimus,inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, Nam quos præſciuit,& prædeſtinauit aut prædiffiniuit cõformes fieri imaginis filij ſui. Quos autem prędeſtinauit,hos & vocauit. In quibus verbis hoc in primis notandum eſt, Quod dicat, Diligentibus Deum,nõ autem,electis,aut dilectis a Deo,in bonum cooperari omnia, Ipſam nẽpe dilectionem,qua Deum diligunt,cauſam ſignificans, cur ijſdem in bonum cooperentur omnia. Qui etiam ſecundum Dei propoſitum vocati ſunt, vt eſſent ſancti. Ad hoc nempe, ex immenſa bonitate ſua omnes prouocat, vt ipſum diligendo ſanctificentur, & conformes efficiantur imaginis filij ſui: quemadmodum teſtatur & ille qui ait, Sed nunc Iſrael,quid dominus Deus tuus poſcit a te, niſi vt timeas dominum Deum tuum, & ambules in omnibus vijs eius, & diligas eũ, vt bene ſit tibi. Nam quos præſciuit ſe dilecturos, hos & prædeſtinauit aut prædiffiniuit ad hoc vt ſanctificentur, & conformes efficiantur imaginis filij ſui, Hoc enim ſuum vnius in nobis opus eſt, ſanctificatio noſtri: quemadmodum libro Controuerſiarum, De iuſtificatione noſtri reddidimus illuſtrius, Quam tamen ipſam,non prædeſtinauit omnibus,ſed ſe diligentibus in præſcientia ſua, modo eius facultatem aſſequuti fuerint, Alioqui,vni Chriſti ſanguini, qui eo innocentes aſperguntur, hoc ipſum tribuens: qui eſt benignus in omnes, & cupit omnes ſaluos fieri. Quos autem prædiffiniuit ad ſanctificationem & conformitatem imaginis filij ſui, hos & vocauit, & iuſtificauit,& glorificauit,in eadem præſcientia ſua: ſi tamen in ſanctificatione illa ad finem permanſerint.

Quos pręſciuit, hos vt prædeſtinarit vt ſanctificentur.

Vt prædeſtinationẽ & electionẽ,ex præſcientia velut priore, dependere ſignificet.

Deinde & hoc eiſdem in verbis notandum eſt, prædeſtinationem, præfinitionẽ,electionemq; illam,ex præſcientia velut priore depẽdere. Quos,inquit,præſciuit,hos & prædeſtinauit, Prædeſtinauit,nõ quoſlibet,nec pro vno ſuo beneplacito,quos voluit,ſed quos præſciuit, Nõ eſt ergo imaginanda velut prima, hæc electio, prædeſtinatio aut præfinitio: cum ex præſcientia velut priore dependeat: priore,inquã,non tempore,ſed ſuo illo modo, atq; ordine quodã naturali. Ad futurorũ

enim

eū præcognitionē in electis ſuis,illa tam immēſa erga eoſdē Dei benefi cia,ęternum,inquam,illud de conferendis eiſdem in tempore decretū, et velut deliberatiōe firmatam eiuſdem Dei ſententiā Paulus reuocat.

Cui et ille Apoſtolorꝫ coryphæus cōſentiens, electos hos eoſdē affir mat,ſecundum pręcognitionem Dei patris,in ſanctificatione ſpiritus.

Nulla ergo,hoc pacto cogitātibus nobis in hac quæſtione occurrit difficultas alia,q̄ illa quæ ex nuda præſcientia ſe ingerit:quæ in ſe nulla eſt,ſi rite apprehendatur, quemadmodū ſupra explicauimus. Nam q̄ ex difficilibus et obſcurioribus quibuſdam ſcripturarum locis hac in re difficultates aduerſus præmiſſa ingeruntur, quibus ſuam impietatem colorant & ſtabiliunt aduerſarij,in ſequentibus diſſoluentur a nobis,vbi & eorundem locorum ad pietatis regulam, luculentam explanationem intelliges.

Vt dicto mō cogitā tibus, nulla in prædē ſtinationis quæſtione difficultas occurrat.

Difficilem hanc quæſtionem, An ſi Adam non peccaſſet, quiſquam eorum qui nunc damnantur, & ab æterno reprobati ſunt,natus fuiſſet,facile & luculenter explicare.

Caput III.

SED hic a curioſis ingeritur nobis queſtio,q̄ prima ſane facie difficilis apparet,quanuis re ipſa parum in ſe difficultatis habere inueniatur, Quęritur enim. Si Adam non peccaſſet,an quiſq̄ eorum qui ab ęterno reprobati ſunt,& nunc damnantur,tunc natus fuiſſet. Difficultatem hic facere videtur, quod cōmuni catholicorum ſententia,ſi in obedientia perſtitiſſet ille,originalis illa rectitudo & iuſtitia, velut hæreditario quodā iure conſeruata fuiſſet in vniuerſo humano genere:nec quiſq̄ aut mortalitati,aut peccato extitiſſet obnoxius: vt qui vixiſſent omnes in ſtatu innocentiæ, Quod ſi eſt, nulli reprobi, ſe ſoli ab æterno prædeſtinati, tunc nati fuiſſent, Qui cum ijdem neceſſario & tunc & nunc ſunt, cū prædeſtinatio ab æterno fuerit,& ſit inuariabilis, conſequens videtur peccatum Adæ fuiſſe cauſam,quod nunc naſcantur reprobi, qui in prædictum euentum na ti non fuiſſent. Et proinde,quod hi naſcantur,tantum(quemadmodū blaſphemant Caluinus & Lutherus cum ſuis)vt damnentur.

Quæſtio. An ſi non peccaſſet Adam, quiſquam eorꝫ qui nunc damnātur, natus fuiſſet.

In hęc abſurda & perplexa,neglectus,confuſus, aut peruerſus ordo diuinarum cogitationum, & conſiliorum Dei æternorum nos conijcit, Qui vbi apprehenditur, vniuerſa eiuſmodi difficultas facile excluditur:ſecundum quem,cum inueniatur,lapſum primorum parentum & humani generis caſum in eiſdem, præceſſiſſe in diuina præſcientia, omnem cuiuſquam aut reprobationem, aut abſolutam prædeſtinationem,niſi vnius Chriſti hominis,ſimul intelligitur,fruſtra interrogari de reprobis,ſi non fuiſſet peccatum Adæ.

Eius explicatio.

Quandoq̄ dem lapſus humani generis in ordine, in diuina pręſci

Hoc

entia, præceſſit oĩm diſcretionẽ electorũ a reprobis, fruſtra interrogari de reprobis, ſi non fuiſſet peccatum originis.

Hoc itaq; pacto nobis cogitandũ eſt, Deum (quod ſæpe diximus) ante oĩa, voluiſſe verbum ſuum, hominẽ fieri, & in humana natura regnare ſuper vniuerſam rationalẽ creaturam (quã ad hoc creare diſpoſuit quo ſuæ bonitatis ac beatitudinis foret particeps) & ex prædecta ad hoc matre naſci præordinato tempore. Poſt creatos itaque iam dudum angelos illius regni ſui filij futuros conciues, mundum hunc ſenſibilem voluiſſe poſtea condere, quo procrearentur & homines, ad eiuſdem quoq; regni conſortium: & certa ſucceſſione deueniretur ad eam, vnde ille carnem aſſumpturus erat, virginẽ, ex radice Ieſſæ & ſemine Abrahæ: continuareturq; vniuerſi humani generis in ſuis indiuiduis ac naturis & numerus & ſucceſſio: atque eiſdem procreandis iam ordinaſſe cauſas quo ad corpus: & conſtituiſſe, vt quoties eædem illæ producerent corpus organicum, atque animæ receptioni diſpoſitum, eandem ipſe creando illi ſuperinfunderet. Vidit inſuper ſuo illo immenſo, per vniuerſam æternitatem ſe extendente, oculo, quot eiuſmodi organizata, atque animæ receptioni apta corpora, porrectura ſibi erat natura: hoc eſt, cauſæ inferiores, quas eorundem generationi cõſtituerat, partim naturales, partim liberas: imo, quot iam in præſcientia ſua porrigeret, Vniuerſa enim æque præſentia ſunt illi diuinitatis oculo, Itaque & numerum creandarum a ſe animarum & hominũ, iam conſtitutum penes ſe habebat, Quos omnes indifferenter ſuæ beatitudinis conſortes eſſe voluit: ſic tamen, ſi primus ille omnium pater perſtitiſſet in ſua erga ipſum obedientia, atque ea, qualitercunque meruiſſet, & ſe & filios ſuos confirmari in illa originali, quam acceperat, rectitudine & iuſtitia. Non, quod obedientia eiuſmodi, digna fuiſſet tanta gratia, Sed quod optimo, benigniſſimo, & liberaliſſimo erga ſuam creaturam Deo, ſuffecerat, qualecunque, quanuis exiguum meritum, ſuffecerat qualẽcunq; beatificandi creaturã ſuã cauſam, ex ipſa habere, Quia tñ bonus eſt, vnum hoc exigebat ante, vt ipſi bono, libertate arbitrij ſui adhæreret: quo beatiſſimę bonitatis eiuſdem participium caperet. A quo cum apoſtaturum illum, quaſi deinceps videret, et ſe vna cum poſteritate ſua redditurum indignum ea beatitudine, ſed contra morti damnationiq; obnoxios, niſi nouis ab ipſo iuuarẽtur remedijs, quibus exoluerentur a reatu eiuſmodi, eaipſa, iam tum in filio ſuo homine conſtituiſſe: cõmunia quidẽ omnibus, & pro omnibus ęqualiter: neminẽ inde excipiens aut excludens, imo oẽs volẽs, quod ex ipſo eſt, eorꝫ participes fieri, tamen humano omnibus applicandis miniſterio, Quos nihilominus vniuerſos reliquit in manu ſui conſilij.

Et hactenus quidem vides æqualem omnibus Deum: nec vllã adhuc electionem feciſſe, aut in maſſa, aut ex maſſa humani generis: nec quenq̃ ad hoc condidiſſe vt periret: ſed cõtra potius vniuerſos vt ſalui beatiq; fierent, & diuitiarꝫ ſuæ bonitatis & miſericordiæ participes.

Vidit

Vidit poſt hæc omnia,poſt dico,non tempore,ſed ordine,vidit,inquam,eodem illo ſuo immenſo oculo(cui æque præſens eſt, quicquid in vniuerſa ęternitate eſt)quot,et qui eſſent ſuſcepturi ſua illa remedia, & qui minime: ſed, vel contempturi, vel neglecturi, vel ſua aliqua, aut aliena culpa non aſſequuturi eadem. Et ſic demum cuique præordinauit ac præparauit, quod infinitæ ſuæ bonitati & iuſtitiæ cõgruere viſum eſt:hos prædeſtinando ad beatitudinis gloriam:his præparando æternum ignem & ſupplicia,temperata tamē miſericordia, pro ſuis cuiuſcꝫ demeritis:his vero,qui nulla propria maculati culpa in originali tantum peccato hinc decederent,ſtatum eiuſmodi, qui infinitæ ſuę bonitati ac miſericordię illis congruere viſus eſt:in quo,Deo,de eadem ſua erga ipſos infinita bonitate & miſericordia nihilominus gratias agerent,atcꝫ ipſum laudarent & benedicerent. Vides itacꝫ in his omnibus,nihil indignum infinitæ illi bonitati,miſericordiæ,iuſtitiæ, ſapientiæ,occurrere hoc ordine & modo hæc apprehendentibus. Vtcꝫ ipſe,quod ex ſe eſt,infinitæ bonitatis ſuę diuitias,omnibus communes & expoſitas eſſe voluerit,Oēm vero q̄ inter homines eſt,differentiam, ex hoc prouenire,ꝙ reliquit homines,quo eſſent homines,in manibus conſilij ſui: vtcꝫ arbitrij ſui libertate ſe ad bonum cõuerterent, atcꝫ ipſi adhærerent.Quā dum vertunt in cõtrarium,non ipſi Deo,ſed humanæ hoc eſt imputandum malitiæ, A qua,etiam pēdet,quod quidā ſeipſos quoque interimant,ferro:laqueo: præcipitio: aqua:igne: veneno: morbo, ſua culpa, intēperantia, negligentia, aut ignorantia contracto. Quidam hæc ipſa patiantur ab alijs,quorum tamen,quantum ex Deo erat,in longum vita protendi poterat, Sed vt diximus, reliquit homines,inter homines,quo eſſent homines,in manibus conſilij ſui. Quod ipſe vellet quidem omnes ad bonum conuertere, nihilominus,permittit hic quenque agere pro ſuo arbitrio.

Qū demū, & quō intelligitur in mente diuina facta hominum diſcretio, Horū electio ac prædeſtinatio, illorū reprobatio.

Quod vero ad propoſitā quæſtionem & difficultatem attinet, vides vt nullā difficultatem includat,Si Adam perſtitiſſet in obedientia & originali illa,quā acceperat, rectitudine, æque oēs nati fuiſſent, qui nunc naſcuntur, nati ſunt, aut naſcentur, quanuis damnandi et reprobi: Quanq̄ aūt tunc nemo reprobus fuiſſet, ſed ſaluati extitiſſent oēs: Attamen non propter Adę,ſed ob proprium peccatum nunc damnātur,& ab ęterno reprobati ſunt,Necꝫ ēm in futuro illo mundi iudicio, quod pro patre ſuo exercebit Chriſtus,ita proferet aduerſus eos quos damnaturus eſt,Quandoquidē vos ex infecto Adæ genere producti eſtis,qa peccauit veſter ille parens,atcꝫ culpam et vitium ex illo ipſo naſcendo contraxiſtis, eā ob rem vos ignibus æternis cruciandos trado: ſed huiuſmodi,ſi ipſi credimus,ſententiam prolaturus eſt, Diſcedite a me maledicti in ignem æternum,qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare:ſitiui et non de-

Ex præmiſſis patere ſolutionē quæſtionis propoſitę.

diſtis mihi potum: hoſpes eram & non collegiſtis me: nudus & non operuiſtis me: infirmus & non ſubleuaſtis: in carcere & non viſitaſtis: Et quæ ſunt iſtiuſmodi: ex quibus conuincentur, non dilexiſſe Deum & proximum. At hæc, non generis humani communia, ſed ſingularium hominum peculiaria peccata ſunt, Sed de ipſo peccato originis cuiuſmodi ſit alibi conati ſumus inueſtigare atque explicare diligentius. Quod autem ad propoſitum pertinet, ſi non peccaſſet Adam, & nati, & ſaluati fuiſſent omnes qui nunc damnãtur, non equidem ob Adæ, ſed ob ſuum proprium peccatum: nectũc quiſquam (quia nemo peccaſſet) fuiſſet reprobus. Et quanuis tam prædeſtinatio, quam reprobatio, in mente diuina ab æterno fuerint, atque immutabiliter fuerint: æque, & peccati Adæ, & lapſus in eodem humani generis præſcientia, in eadem mente diuina ab æterno fuit: & ipſa prædeſtinatione ac reprobatione, illo naturæ ordine, multis gradibus prior fuit, Nihil autẽ admiratione dignum eſt, ſi imaginatione ponas aliter ſe habere, aut habuiſſe priorum aliquod, quod etiam ſequentium pleraque vt aliter ſe habeant, neceſſario tibi ponendum ſit. Præcedit, ac præceſſit, vt dixi, in mente diuina, peccati Adæ, & lapſus humani generis in eodem præſcientia, omnem diſcretionem ſaluandorum a reprobis in maſſa aut ex maſſa eiuſdem humani generis: proinde ſi cogitatione ponas prius illud aliter ſe habere quam habeat, nihil mirum ſi & in hoc poſteriore idem tibi faciendum ſit, Cum ad mutationem prioris, ſequatur mutatio poſteriorum, & non contra.

Quęſtio de duobus mortuis in innocentia altero aſſequente ſalutis remedia, & prædeſtinato proinde, altero minime. Quõ in illo verũ ſit, Prædeſtinationẽ pendere a priori pręſcientia. Solutio.

Ex his facile ſoluitur & alia quæſtio, q̃ de duobus innocentibus inducitur, quorum vnus aſſequitur ſalutis remedia, alter nõ aſſequitur. Alter proinde electus prædeſtinatuſque eſt, alter minime. Quomodo in hoc electo prædeſtinatoque vera ſit apoſtolica illa ſententia? Quos præſciuit, hos & pręde ſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Quid enim in vno horum plus præſciuit quam in alio, cur vnum prædeſtinauit præ alio? cum neutrius ſit proprium aliquod meritum, aut demeritum, nec futurum ſit: nullus in eis aut bonus aut malus liberi arbitrij vſus, vel præuiſus, vtroque hinc decedente ante aſſequutum vſum rationis & liberi arbitrij, Quomodo, inquam, iſtiuſmodi prædeſtinatio dependet a præſcientia?

Facilis equidem eſt, & ex nunc dictis nota ſolutio. Nam dependet alterius horum prædeſtinatio, a pręſcientia non proprij, ſed alieni meriti quod ipſi per regenerationis ſacramentum, aut cõſtituta ſalutis remedia applicabitur. Quę quominus applicentur omnibus, ex ipſo nõ deeſt, ſed ex hominibus: quos, vt dixi, reliquit in manu conſilij ſui. Nihilominus, erga vtrunq; horum abundant diuitię ſuæ bonitatis et miſericordiæ: quanuis ſuperabundẽt erga alterum, ob applicata illi, Chriſti filij ſui, redemptoris, effuſi ſanguinis eius, paſſionis, mortiſque, pre-

ciosa

cioſa in oculis patris merita. De quo, et ſuperiore capite nonnihil a nobis dictum eſt, Quanquam hæc quæſtio, magna ex parte ad abdyta illa diuinæ prouidentiæ, qua vniuerſa ſapientiſſime, ęquiſſime, et iuſtiſſime, quanuis nobis occultis rationibus diſpenſat & gubernat (de qua mòx dicturi ſumus) conſilia pertineat, Et hactenus de præſcientia, prędeſtinatione, ac reprobatione diuina, vt nihil arbitrij noſtri libertati præiudicent, nec rerum contingentiam tollant, nec aliam quam noſipſos nobis, peccatorum noſtrorum, & malæ voluntatis cauſam aſſignent, ad pietatis regulam ſatis, ni fallor, dilucide explicatum eſt.

Peroratio de prędeſti natione ac reprobatione diuina.

De Diuina prouidentia, qua etiam ſingulariter gubernantur diſpenſanturq; omnia, Quo pacto ea impedimēto non ſit quominus pro ſuæ naturę conditiōe & modo agāt moueanturque ſingula, neq; ineuitabilē nobis (vt ſecta impie opinatur) neceſſitatem rerū omnium inducat, clariſſime demonſtrare.

Caput IIII.

IN prouidentiæ diuinæ, qua hunc mundum gubernat et vniuerſa diſpenſat Deus, in congruentemque finem aliquem deſtinat, archanorum abyſſum, quiſquis forte curioſus ſcrutator, illotis, quod aiunt, pedibus, tentauit irrumpere, & profanos oculos in adytus ſacratiores, & ſecreta diuini conſilij penetralia inferre auſus eſt, ſemper ſenſit ſe repercuſſum atque oppreſſum a gloria, confuſumque inperſcrutabilium nobis rerum caligine, & in earundem perſcrutatione, ſibi obortam vertiginem. Quod non ſolū Ethnici quique Philoſophorum experti ſunt, ſed etiam eorum, qui diuinis oraculis edocti, ſynceram omnium veritatem rectius aſſequuti ſunt, aut ſaltem aſſequi debuerunt, Illos hoc confundit, quod multa caſu & fortuito fieri videntur, multa contingere, multa a noſtri arbitrij libertate pendere indubitatum eſt, Quæ diuinæ prouidentiæ vt æternis, ita immutabilibus legibus determinate diſpenſari ac dirigi in ſuum finem non poſſe illis videntur. Proinde etiam diuinam prouidentiam particulariter et ſingulariter diſpenſantem ſingula, fere negant omnes. Eadem difficultas, cum Caluino, Luthero, Valleñ, & cæteris illis verſetur & verſata ſit ob oculos, prouidentiam diuinam etiam ſingulariter diſpenſantem ſingula, ex diuinarum ſcripturarum authoritate confitendum neceſſario exiſtimantes, omnem contingentiam tollunt ex rebus, omnem libertatem arbitrij ex hominibus: vt qui hæc, cum illa, vt cōuenire ac ſtare poſſit, non potuerunt intelligere. Et quia ſimul intelligunt, quam hocipſum, mortalium omnium ſenſu ac conſenſu da-

De Prouidentia diuina, qua gubernantur ac diſpenſantur vniuerſa.

Fere nō intelligi vt cum diuina prouidētia ſingulariter diſpētante ſingula ſtare poſſit rerū contingētiā, et libertas arbitrij.

Hinc a philoſophis ſe te negari prouidētiā iſtiuſmodi.

Contra, a Valleñ. Luthero et conſortibus, ſtatuētibus prouidentiā tolli rerum cōtingentiā, & libertatē arbitrij.

Qualē hi imaginentur a nobis imaginari diuinā prouidētiam, nēpe, Vniuerſalem, Confuſaneam, ac Promiſcuam.

mnatum ſit,vt nihil ſit contingens in rebus,vt nihil ſit poſitum in libera facultate arbitrij noſtri, ſed omnia abſoluta neceſſitate ſecundū Dei voluntatem(quę ſit rerum omnium neceſſitas)æternumq́ꝫ decretum eueniant:exiſtimant cæteros, qui eiuſmodi neceſſitatē non admittunt, ſed rerum contingentiam,& humani arbitrij libertatem aſſerunt, hoc eſt,omnes ſanæ mentis ab initio,prouidentiam quidem & gubernationem huius mundi Deo attribuere,ſed non niſi vniuerſalem, confuſaneam,& promiſcuam:vtpote,qua orbis machinam,cum ſingulis partibus, generali motione voluat atque impellat: cuiuſq́ꝫ vero actionem creaturæ peculiariter non dirigat, Quam vniuerſalem prouidentiam a nobis dicunt appellari, & qua nec impediri tradamus, vel creaturas omnes,quo minus contingenter moueātur:vel hominem, quo minus libero voluntatis arbitrio huc atque illuc ſe conuertat:vi ſua, Deum afflare vniuerſa,atq́ꝫ omnibus adeſſe,quo poſſint agere,quodq́ꝫ, pro naturæ ſibi inditæ modo ac ratione, & homines actiones ſuas volūtario conſilio moderari:& hanc,vulgo receptam opinionem volunt.

Quanquam ego neſciam,quod alicuius in vniuerſum, omnino ſit. Nos enim,non vniuerſalem illam tantum,confuſaneam, & promiſcuam confitemur diuinam prouidentiam:imo eam, qua ſingulariter diſpenſat ſingula,& quodq́ꝫ in finem aliquem ſe dignum,& rerum vniuerſitati vtilem dirigit:etiam peccata hominum:tametſi non operetur ea.Cum hoc poſſit & humana infirmitas,Nouit enim vir prudens,etiam alioꝛ factis ad ſuam aliorumq́ꝫ vtilitatem vtí, tametſi alio ſpectēt, qui ea faciunt,Nouit peritus rei militaris imperator, hoſtium conſilia, quæ in ſuam ſuorumq́ꝫ dirigantur perniciem,cum ea reſciuerit,in cōtrarium cōuertere.Et hoc Deum,cui ab æterno præſentia ſunt omnia, in hominum factis & conſilijs,tametſi eorundem author nō ſit,tametſi ſibi diſpliceāt,facere poſſe dubitabimus?Cuiuſuis ergo creaturę ſuæ actionem,Deus prouidentia ſua dirigit: non vt ſit, ſi mala ſit: ſed vt ex ea,quanuis mala,bonū eliciat. Nec eius prouidentia impedimento eſt, quo minus vnaquæq́ꝫ creaturarum ſuarum, pro modo et conditione naturæ ſuæ, agat, & moueatur:neque quo minus, homo ſe libero ſuæ voluntatis arbitrio huc illucque conuertat:cum ita fruſtra dediſſet creaturis ſuis naturas & conditiones eiuſmodi. Sed omnium actiones illo ſuo diuinitatis oculo ſimul intuens, omnes in bonum aliquod dirigit,quanuis præter et contra voluntatem facientium:attingit a fine ad finem potenter infinita illa ſua ſapientia,& moderatur ſuauiter omnia,

Diuina prouidētia, nō quidem fieri ſingula, ſed etiā a ſe non facta, in finē aliquē vniuerſitati rerū vtilem dirigi.

Diuinā prouidentiam impedimēto nō eſſe, quo minus vnaquæq́ꝫ creaturarū, pro modo & conditiōe naturæ ſuæ agat et moueatur.

Fruſtra proinde Caluinus impugnat,opinionē illam de diuina prouidentia, vniuerſali, confuſanea, & promiſcua, quæ nullius omnino eſt, nec fuit(quod ego quidem meminerim)aut orthodoxorum, aut hæreticorum omnium,tametſi illam(qua eſt impudentia)velut communem,& vulgo receptam affingat catholicis.

Scri-

Scripturarū authoritates quas adducit,eo inducit,vt oſtēdat nihil omniū noſtræ eſſe poteſtatis & arbitrij,nihil eſſe in rebus contingēs,ſed quod deſtinato diuinæ voluntatis decreto, neceſſario & ineuitabiliter peragātur omnia. Sed alieniſſimo eas ſenſu inducit,& inprimis illud.

Reſponſio ad ſcripturarū locos, quæ in hoc inducūtur ab aduerſarijs, vt oſtēdāt deſtinato diuinæ voluntatis decreto, neceſſario & ineuitabiliter peragi omnia.

In ipſo nos eſſe,moueri, & viuere, quod nihil ſane ad rem pertinet. Hoc enim etiam nos libere confitemur, & eſſe, & vitam, & vim qua mouemur nos accepiſſe a Deo,& continuo accipere.

Vt illud, In ipſo nos eſſe, moueri,& viuere.

Nihilomagis illud,quod ex Hieremia eodem citat.Scio domine,q̄a non eſt hominis via eius,nec viri vt dirigat greſſus ſuos.Hoc certe nō eſt hominis,vt perueniat ſemper quo vult, cū diuina ita ordinā̄te prouidentia,ſępe non poſſit voluntatem ſuam perficere,ſæpe etiā id quod vult,q̄uis ipſo inuito recidit in oppoſitum eius quod volendo intēdebat,Nihilominus,vniuerſam voluntatem illā ſuam in poteſtate habuit:potuit velle & nō velle.Quanq̄ Propheta, dictis verbis,loquatur de his,quæ ob peccatorū noſtrorum, quibus inceſſanter diuinæ maieſtatis oculos prouocauimus,ſeu noſtrę correptionis,ſeu aliorum eruditionis cauſa,definito conſilio nobis immittuntur a Deo.Quæ ſubterfugere iam noſtræ poteſtatis non ſit,Siquidem in his quæ continuo iam citata inductaque verba præcedunt, prædixit & lamentatus eſt Hieremias,calamitatem, miſeriam,captiuitatemq; Hieruſalem,quæ illi iamiam imminebat, cōtinuo diripiendę atq; euertendæ a Babylonijs, a q̄bus obſidione arctiſſima premebatur. Cui ita loquitur, Congrega de terra confuſionem tuam,quę habitas in obſidione,Quia hæc dicit dominus.Ecce ego longe proijciam habitatores in hac vice,Et tribulabo eos,ita vt non inueniantur.Et continuo ſubiungit in perſona Hieruſalem. Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea, Ego autem dixi.Plane hæc infirmitas mea eſt,& portabo illam. Tabernaculū meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei dirupti ſunt, filij mei exierunt a me, & non ſubſiſtunt, non eſt qui extendat vltra tentorium meum, & erigat pelles meas. Quia ſtulte egerunt paſtores, & dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt,& omnis grex eorum diſperſus eſt.Deinde interpoſitis paucis,ex perſona Prophetæ quę rurſus ad prædictionem iamiam imminentis eius cladis & calamitatis pertinēt. Iterum ſubdit ex perſona præuaricatoris illius populi, cui iam ea plaga imminebat,velut diuinæ illius animaduerſiōis iuſtitiam iam agnoſcentis: deprecantis proinde, non quidem illam diuinæ correptionis virgam, quam definito irreuocabilique & iuſtiſſimo decreto ſibi imminere certo intelligebat, ſed ne corriperetur in ira furoris domini, Scio,inquit,domine, quia non eſt hominis via eius,nec viri, vt ambulet & dirigat greſſus ſuos.Corripe me domine, veruntamē in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me, perinde ac ſi diceret, Scio domine,non eſſe in poteſtate hominis viam eius,per quam

Illud Hieremię,Scio dn̄e,quia non eſt hominis,via eius.

neceſſario illi tranſeundum eſt: hoc eſt, vitam eius, mortem eius, vniuerſaque illa quæ de manu tua illi incidunt, ſeu morbus, ſeu captiuitas,ſeu calamitas alia:aut qcquid denique illi decreuiſti tuæ prouidentiæ, qua moderaris omnia, inſcrutabili in pleriſque; ſed iuſtiſſimo in omnibus conſilio, infligere. Nec eſt viri vt ambulet quo deſtinauit,et ſic dirigat greſſus ſuos,vt ea poſſit effugere,Proinde,ſequor,quo venire neceſſe eſt,& tuæ me voluntati ſubmitto,Corripe me domine,quãdoquidem tibi ita conſtitutum eſt,veruntamen in iudicio,& nõ in furore tuo arguas me,neque in ira tua corripias me:ſed miſerere mei domine,quoniam infirmus ſum:corripe me domine, ſed miſericorditer, tanquam filium,non tanquam hoſtem,& de manu tua repulſum. Fatemur itaque,non eſſe hominis, vt ſemper quo vult ac deſtinauit perueniat,vtque effugiat quæ ſtudet effugere.Quandoquidem,in ipſis ſuis conſilijs ſæpe capitur impius:ſæpe impeditur ne poſſit voluntatem ſuam perficere:ſæpe etiam id quod vult & facit, recidit in oppoſitum eius quo ſpectabat,Nihilominus,velle ſuũ,ſemper in poteſtate ſua habuit, Vt enim potuit velle,ita potuit idem & non velle.

Prouerb. A domino diriguntur greſſus viri,&c.

Idipſum, nec aliud,ſignificatur illo Salomonis quod citat. A domino diriguntur greſſus viri, vt illo frequenter pẽueniat quo non noluit,Attamen ingredi,attamẽ velle & nolle, eius ſemper poteſtatis ſunt & arbitrij.

Quod addit ex eodem loco,& velut partem eiuſdem ſententiæ. Et quomodo diſponet viam ſuam? ſyncerum non eſt, ſed fermentatũ ab ipſo.Ita enim habet germana lectio. A domino diriguntur greſſus viri,Quis aũt hominum intelligere poteſt viam ſuam? perinde ac ſi diceret,A domino diriguntur greſſus viri. Quis autem hominum intelligere poteſt, quo dirigantur? Quis cognouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Fratres Ioſeph vendiderunt ipſum Iſmaelitis proficiſcentibus in Aegyptum, quo longe a parentibus vitam miſeram in ſeruitute degeret, Hi autem vendiderunt eundem in Aegypto Putiphari,magiſtro militum Pharaonis,Quod illi,in pernitiẽ fratris machinati ſunt,non Deo authore, ſed propria ipſorũ malitia factũ eſt,Quod eius occidendi decretum & conſilium in irritum recidit, diuinæ prouidentiæ opus extitit.Quod Iſmaelitæ,negotiorum ſuorum cauſa illac iter facerent:quodq; illis fratrẽ venderent, vtrunq; ex humano pendebat arbitrio: vtroq; tamen ad ſuum finem, quem deſtinauerat in Ioſeph, vſa eſt diuina prouidentia. Veriſſimum proinde eſt, a domino dirigi greſſus viri, alio ſæpe quam ipſe intendat: & ignorari ab homine, quo tandem dirigantur viæ ſuæ. Eiuſdem plane ſententię eſt, quod dictum ab eodem Salomone citat. Hominis eſt diſpoſitio cordis, domini eſt præparatio linguæ. Loquitur autem de eo, qui quid perſuadere conatur alijs. In quo, partes hominis ſunt, vt corde

Vt humanis liberi arbitrij operibus ad aliũ finem vtatur diuina prouidẽtia.

Prouerb. Hominis eſt diſpoſitio cordis, domini eſt præparatio linguæ.

ſuo diſponat orationem quam dicturus eſt: vt vero aſſequatur quo tendit, maxima parte pendet a domino: cuius eſt præparatio linguæ, hoc eſt, cuius eſt dare linguæ efficacem perſuadendi gratiam, Quod ille meditatur ac diſponit in corde ſuo quid dicturus eſt, atque aggrediatur dicere, liberi eſt hominis arbitrij: quo, ad ſuum finem vtitur diuina prouidentia. Alio proinde hæc pertinent, quam citantur a Caluino: & intempeſtiue interrogat, Quid in cæteris noſtro ſit relictum arbitrio, ſi nec profari quidem poſſint homines, niſi quod ille voluerit? Neq; enim, vt audiſti, hoc dicit ſcriptura, Cum mentiri poſſit homo: poſſit ſeminare inter fratres diſcordias: poſſit peierare: poſſit negare Deum: poſſit loqui verba blaſphemiæ in altiſſimum, Hæc tamen vt loquantur, non vult Deus. Quod ad diuinam voluntatē refert, mortem cuiuſq; hominis quocunq; modo violenter infligatur ab hominibus, cuiuſq; culpa, quacunq; negligētia, quocunq; caſu videatur accidere, facit quod perpetuo facit: atq; impudenter pugnat cum cōmuni ſenſu mortalium omnium: quem falſum eſſe tam eſt impoſſibile, quā mendacem creatorem. Nam ſi mortis punctum cuiq; aſſignauit Deus, id ipſum non licet effugere, fruſtra igitur in cautionibus adhibendis laboratur, Quod ergo alius ſe viæ cōmittere non audet, quam periculoſam exiſtimat, ne a latronibus trucidetur, alius medicos accerſit, ac pharmacis ſe fatigat, vt vitæ opituletur, alius in victus ratione curam ſolicitam adhibet, quo confirmet imbecillem valetudinē, alius ruinoſas ædes inhabitare formidat, alius nauigare rimoſa naui, quaſſata, & inualida, cui præfectus ſit gubernator imperitus rei nauticæ ac mari tempeſtatibus exagitato ſe timet cōmittere. Quod oēs deniq; omnes vias excogitant quibus id quod concupiſcunt aſſequantur: vniuerſa, inquam, hæc, aut ſunt inania media & remedia, quæ captantur, ad corrigendam incommutabilem Dei voluntatem: aut non certo eius decreto termināt vita & mors, ſanitas & morbus, pax & bellum, & alia quæ homines, prout vel appetunt, vel oderunt, ita ſua induſtria vel obtinere vel refugere ſtudent, Quin orationes fidelium, non ſuperuacuæ, ſed & ridiculæ erunt, quibus petitur, vt dominus proſpiciat ijs, quæ immutabili decreto ab æterno conſtituit, Nihil cuiq; imputari ſceleris, quam vni Deo poterit, Occidit ſicarius probum ciuem? exequutus eſt Dei æternum & ineuitabile decretum: nec potuit aliter, furatus aut ſcortatus eſt aliquis? fecit, quod Deus ab æterno præſciuit, nec alia ratione præſciuit, quam quia ita fieri voluit, Parentis mortem, neglectis remedijs, ſecurus expectauit filius? non potuit Deo obſiſtere: qui ſic ab æterno præſtituerat, Eadem erit iuſtiſſima peccatoribus omnibus excuſatio, ſi vera ſit iſtorum ſententia.

Nō pendere ex diuina voluntate quomodocunq; inflicta mors hominis.

Quāta ſequātur abſurda, ex aduerſariorū ſententia.

Nec ſecū conſonat Caluinus dū his reſpondere conat̃, dicēs, æternis Dei decretis nos nō impediri, q̄ minus ſub eius voluntate & proſpiciamus

Reſponſio Caluini ad prædicta, vt ſibi non

conſonet, ſed ſecum euidenter pugnet.

mus nobis, & omnia noſtra diſpenſemus. Nam qui vitam noſtram ſuis terminis limitauit, eius nihilominus curam apud nos diſpoſuiſſe: eius conſeruandæ rationibus ſubſidijſque inſtruxiſſe: periculorum præſcios feciſſe: cautiones quoque & remedia ſuggeſſiſſe, ne incautos opprimerent.

Nam pone, quod ille facit, etiam vniuerſa hæc limitata, ac immutabili decreto firmata a Deo, æque vt vitæ cuiuſque terminum: ſicut hunc nō datur effugere, ita nihil prædictorum omnium, ſi diuino illo immutabili decreto conſtitutum eſt, contingit prætergredi: ſed neceſſario atq; ineuitabiliter a nobis fit. Si conſtitutum non eſt, vt quicq̃ eorum a nobis fiat, prorſus fieri non poteſt. Quo ergo pacto vitæ noſtræ cura nobis demandata eſſe poterit, qui in neutram partem aliquid poſſumus, nec peius, nec melius, nec aliter facere quam facimus? Nunquid ſerræ, quiſq̃ ſanæ mentis dicet demandatam curam, vt apte ſciteq; trahatur, & ne rumpatur ab opifice? Nihilo plus in noſtra facultate ſitum eſt, ſecundum prædictorum ſententiam, quid nobis accidat omnium, quid faciamus omnium: quæ ad vitam aut mortem pertinent: nulla in ijs culpa, nulla negligentia incidere potuit, quando aliter quam facit, nullo ſtudio, nulla diligentia, nulla arte facere potuit. Quæ cum nō expendant inſani iſti, nec intelligant, & euidenti ab initio mortalium omnium ſenſui, & ſibijpſis, in his contradicere, nos inſanos faciunt, qui hæc ipſis obijciamus. Nullis ſane conſultandi cauendiq; artibus in vitæ propriæ conſeruatione, nulli negligentiæ, nulli ſocordiæ, in ſibi accerſendo interitu, locum relinquit horum ſententia. Quicquid pro conſeruanda vita quiſq̃ facit, neceſſario atq; ineuitabili diuinæ volūtatis decreto facit. Quæ autem ſunt eiuſmodi, vt aliter non poſſint, quam accidant, accidere, nulla arte diriguntur: ſed illa neceſſitatis vi inobliquabili in finem ſuum perducuntur: & æque ridicule faciunt, qui hæc noſtræ curæ, noſtræ arti tribuunt, atq;, ſi eiſdem tribuerent, vt ſol conſtituto tempore oriatur aut occidat. Aeque negligētiæ aut ſocordiæ locus eſſe non poteſt, vbi non eſt locus diligentiæ contrariæ: vbi nemo poteſt, q̃d non facit, facere: nec aliter quam facit facere.

Imponunt nobis abſolutam atq; ineuitabilem neceſſitatem omniū: & cum contra vrgentur abſurdiſſimis, quæ dogma hoc includit neceſſario: nihil attendentes ad conſequentiam, ita loquūtur, ac ſi vniuerſa hæc in noſtra facultate eſſent poſita, ſecum pugnantes in omnibus. Veriſſimum eſt quod dicit Caluinus, Deum, vitæ noſtræ curam, penes nos diſpoſuiſſe: eius conſeruandæ rationibus ſtudijſq; nos inſtruxiſſe, periculorum quoq; nos præſcios feciſſe ne incautos opprimerēt, cautiones & remedia ſuggeſſiſſe. Ex quibus omnibus perſpicuum ſit, quid noſtri ſit officij, nempe, vt vitam noſtram tueamur, ſi eam nobis tutandam commiſerit dominus: ſi ſubſidia & remedia ſup-

peditat,

peditat ne negligamus, ſed eis vtamur: ſi præmonſtrat pericula ne temere irruamus. Veriſſima, inquam, hæc ſunt vniuerſa, ſed veſtrã Caluine ſententiam euidenter coarguunt. Si noſtri officij eſt, hæc facere, noſtræ vtiq; facultatis vt ſit oportet eadem facere, A nullo exigitur, q̃d ab alieno tantum, & non ſuo pendet arbitrio: niſi, quid agat aut Papa aut Imperator a me exigas. Quicqd agimus aut non agimus, a diuinæ voluntatis, non noſtro pendet arbitrio, niſi impudenter mentiamini. Nihil ergo eorum: noſtri poteſt eſſe officij.

Quin & hanc inducens noſtrorum aduerſum prædictam ſententiam ſuam obiectionem. Si ex diuinæ prouidentiæ, decreto ordinatione q; fiãt omnia. Ergo nec furta, nec adulteria, nec homicidia perpetrantur, quin Dei voluntas intercedat, Cur ergo punietur fur qui eum expilauit, quem dñs paupertate voluit caſtigare? imo, per huius furtum voluit caſtigare? Cur punietur homicida quod eum interfecit cui vitã Deus finierat? imo per huius homicidiũ ſuæ voluntatis decreto finierat? Si Dei voluntati ſeruiũt huiuſmodi omnes: cur punientur? Nunquid Dei voluntati quiſquam reſiſtere poterit? Vt nullum cuiq; culpæ locum relinquãt in peccatoribus.

Ad hæc, inq̃, reſpondens Caluinus, eos voluntati Dei ſeruire negat, Non eñ, inquit, qui malo aĩo fertur, præbere miniſterium iubenti Deo dicemus: cũ malignæ cupiditati tñ obſequat̃. Paret ille Deo, qui de eius voluntate edoctus, eo contendit, quo ab eo vocatur: voluntatẽ Dei eius præcepto nobis declarari: id vnũ, Deum a nobis reqrere quod p̃cipit. Si qd aduerſus præceptũ deſignamus, nõ obedientia ſed trãſgreſſio & contumacia eſt. Veriſſime equidẽ & orthodoxe iſta oĩa: ſed q̃ cũ ſua ipſius pugnãt ſentẽtia. Quo eñ pacto negare tu potes Caluine, impios, Dei voluntati ſeruire? qui eandem voluntatẽ, authorẽ facis oĩm quæ faciunt: imo & q̃ male faciunt? Qui voluntatem Dei præſcientæ eius æquas: imo, & eidem præponis? Neq; eñ alia ratione quicq̃ eorũ oĩm præſcire Deum, niſi quia decreuit & voluit ita fieri, affirmas. An furta, adulteria, homicidia, negas præſciri a Deo? Ideo ergo præſciuntur, quia voluit ea fieri per hos a quibus perpetrantur. Sunt ergo illi, diuinę voluntatis inſtrumenta tñ: vt per quæ ſuam voluntatem ipſis ineuitabilem exequitur. Recte ergo vos interrogamus cur puniantur omnes hi pro admiſſis ſceleribus, in quibus ſecundum veſtram ſententiam diuinæ voluntati ineuitabiliter deſeruiunt. Caluini ſecum pugnans reſponſio.

Atqui, inquis, eorum malis vllam inde deberi excuſationem nego. Quid enim? An vel eadem ſecum iniquitate Deum implicabunt, vel ſuam prauitatem illius iuſtitia operient? Neutrum poſſunt, Quo minus ſe purgent, propria conſcientia redarguuntur. Quo minus Deum inſimulent, totum in ſe malum deprehendunt.

Ego vero in his oĩbus Caluine dico te propriam vocem tuã non intelligere: ita in ſingulis verbis pugnas tecũ. Si verũ eſt quod dicis tu, fu-

res,

res,homicidas,maleficos,eſſe diuinæ prouidentiæ & voluntatis inſtrumenta,per quæ illa operatur,quod ab æterno conſtituit, & hi in poteſtate non habeant,aliter quam faciunt facere, non ſolum eadem ſecum iniquitate Deum implicabũt,imo vniuerſam actorum ſuorũ,ſi qua eſt, iniquitatem, merito vni Deo transſcribent, Quemadmodum qui pugnum,ſui impotentis,& quem ligatum conſtrictumq; in ſua plane poteſtate habet,in os aſtantis impingit, eius facti culpa vniuerſa eſt, non in eo,cuius manu infertur alteri iniuria, ſed penes illum,qui manu eius vt inſtrumento ad alterius iniuriam vtitur.

Quod dicis propria ipſos conſcientia redargui, quo minus a culpa ſe purgare poſſint. Verum quidem dicis, ſed non recte neq; conſonanter ad tuumipſius dogma hoc dicis, Nam ſi cui certo perſuaſum foret, ineuitabili neceſſitate,quæcunq; facit,ſe facere,& ſe nihil in his eſſe quã diuinæ voluntatis inſtrumentum,eidem quoq;,vt omnis culpæ in his conſcientia ſublata ſit neceſſe eſt:cum culpa eſſe non poſſit, vbi dominatur ineuitabilis neceſſitas.

Quod addis,pctõres,quo minus Deum inſimulare poſſint, totum malum in ſe deprehendere:penes ipſum, non niſi legittimum malitiæ ſuæ vſum:Hoc verum eſt,noſtrum, orthodoxum, & catholicum:ſed quod plane veſtræ contradicit ſententiæ. Qui Deum authorem oĩm quæcunq; per nos fiunt,etiam peccatorũ,facitis. Voluntatis eius immutabili decreto conſtitutum, vt ita faciamus ſingula quemadmodum facimus. Quæ nec aliter præſciuerit ita facturos nos, niſi qui ita decreuerit,& voluerit fieri, Quæcunque aũt vult, eadem etiam facit,ſeu in cœlo ſeu in terra, ſeu in mari & omnibus abyſſis:non tantum ad bonum vtitur noſtris peccatis & malis, ſed facit etiam. Quemadmodum tu non ſemel etiam aperte affirmas,falſiſſima proinde, impijſſima, totius humani generis conſenſu damnata, & in Deum blaſphema eſt de diuina prouidentia ſententia, qua incommutabilis diuinę voluntatis decreto affirmatis noſtra conſtituta omnia:terminari vitam, mortem, ſanitatem,morbum,pacem,bellum,breuitẽr omnia.

Eſſe, vt immittatur alicui mors a Deo,aut humano, aut alterius creaturæ ſuæ miniſterio, Eſſe, vt Deus hoc non faciat, et nihilominus occidatur.

Nota.

Non hoc probat ſcriptura qua dicis affirmari a dño,quod tradiderit interfectum in manum percuſſoris, Eſt quidem vt a Deo alicui immittatᷓ mors,ſeu hũano ſeu alterius creaturæ ſuæ miniſterio. Eſt vt Deus hoc nõ faciat,ſed vel ſua vel aliena culpa nihilominus occidatur, Vtrunq; clariſſime ſignificat,quã truncam in tuã ſententiã citas,ſcripturã Exodi, Qui percuſſerit,inqt,hoĩem, volens occidere, morte moriatᷓ, Qui autem non eſt inſidiatus ei,ſed deus illum tradidit in manus eius, conſtituam tibi locum in quo fugere debeat, Vides hic bifariam ab homine interfici hominem. Vel voluntate & ſtudio hominis,& non voluntate Dei: & eiuſmodi homicidio pœnam mortis irremiſſibiliter conſtituit, Vel ex Dei voluntate,& non ſtudio & voluntate hominis:

ſed

ſed præter intencionem & voluntatem eius eſt, vt ſuo facto alius occidatur:& huic conſtituit locum refugij, Quia,inquit,Deus tradidit illũ in manus eius,Ergo quem alter ſtudioſe occidit,non voluntati Dei,ſed voluntati occiſoris aſcribitur. Neque de illo dicitur,Quia Deus tradidit illum in manus eius.

Nec huic contradicit illud Eccleſiaſtici, Bona & mala,vita & mors, paupertas & honeſtas a Deo ſunt,Mala em̃, aduerſa & flagella diuinæ aut iracundiæ aut eruditionis, aut exercitamenti, quæ ſuis nonnunquam deſtinato obijcit, nonnunquam permittit,intelligit, Mortem ab eo eſſe quis dubitat, qui eiuſmodi nobis naturam dedit quæ neceſſario ad mortem tenderet? Quanquam quod hæc præter naturam acceleretur in multis, nonnunquam a Deo immittente, ſemper autem permittente fiat, In cuius manu eſt anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis.

Bona et mala, vita & mors, paupertas & honeſtas a Deo eſſe, et quomodo?

De ſortibus, quod adducis,hoc certũ eſt,teſte ſcriptura,eiſdem ſæpe vſos viros ſanctos,velut argumento quodam ad explorandam de occulta re aliqua Dei voluntatem & iudicium.Non equidẽ ex ipſa ſortium natura,aut quia adhoc diuinitus inſtitutæ ſunt:ſed ex fide & confidentia vtentium:& quod eaſdem ſecum in animo conſtituebant fore velut ſignum diuinæ volũtatis,diuiniq́ iudicij de re aliqua. Sic ſeruus Abraæ profectus in Meſopotamiam accipere inde vxorem Iſaac filio domini ſui,vt adiuratus fuerat,cum veniſſet ad vrbem Nachor, feciſſetq́ camelos ſuos accumbere extra oppidum & iuxta puteum aquæ, veſpere,quo tempore ſolent mulieres ad hauriẽdam aquam egredi, dixit ad Deum, Domine Deus dñi mei Abraam, occurre obſecro mihi hodie,& fac miſericordiam cum dño meo Abraam, Ecce ego ſto prope fontem aquæ,& filiæ habitatorꝫ huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero, Inclina hydriã tuam vt bibam,& illa reſponderit,Bibe,quin & camelis tuis dabo potũ,ipſa eſt, quam preparaſti ſeruo tuo Iſaac:& per hoc intelligam,quod feceris miſericordiã cum dño meo. Vides,vt hic penes ſe certum ſignum conſtituerit,in quo orabat Deũ,vt ſuam ſibi voluntatem oſtenderet, & de re ob quam venerat,certum redderet,Nec defuit orationi,& illi in Deũ fiduciæ,ſuus effectus. Sic ſolus Ionathas cum armigero ſuo volẽs ſtationem Philiſtinorum aggredi,ita adhũc dixiſſe legitur. Ecce nos tranſimus ad viros iſtos,Cumq́ nos apparuerimus eis, ſi taliter loquuti fuerint ad nos,Manete donec veniamus ad vos,ſtemus in loco noſtro,nec aſcendamus ad eos. Si autem dixerint, Aſcendite ad nos,aſcendamus ad eos, quia tradidit eos dominus in manibus noſtris, Hoc erit nobis ſignum. Vides, vt & hic certum aliquod diuinæ, quam ſcire cupiebat,voluntatis, penes ſe conſtituerit ſignum:in Deo toto pectore confidens,quod in ipſo ſuam voluntatem declaraturus eſſet. Nec ipſum

De ſortibus, vt illis ſancti nonnunq̃ vſi ſint, ad explorandam de re quapiam, Dei volũtatem & iudiciũ.

ſefellit

feſellit ſua fides. Ita quocꝫ & ipſe Deus aliquando ſortes conſtituit ad deprehendendum vnum aliquem ex multis, & latentem inter multos: vt cum præuaricatus eſſet Achan, in anathemate Hierico, qui ex Dei mandato ſorte deprehenſus eſt. Sic & Samuel ex Dei voluntate conſtituturus Saulem regem populo, diuinæ voluntatis ac electionis de eodem indicium, miſſa ſorte, voluit conſtare populo: Nam ſibi ignotus non erat, quem iamdudum in regem inunxerat. Ita quoque Saul, cum Ionathas eius filius anathema patris, quanuis ignorans, præuaricatus eſſet, & ob id dominus illi ſciſcitanti an adhuc perſequi deberet Philiſteos, non reſponderet, vt ſciret, cuius id culpa factum fuerat, orabat dominum, vt ſorte hocipſum indicaret, dicens, Domine Deus, da indicium, quid eſt, quod non reſponderis ſeruo tuo hodie? Si aut in me, aut in Ionatha filio meo eſt iniquitas hæc, da oſtenſionem: aut ſi hæc iniquitas eſt in populo, da ſanctitatem, Nec defuit petitioni & fidei regis Deus. Ita quocꝫ & Apoſtoli, ſurrogaturi aliquem in locum proditoris Iudæ, & de duobus quos ad hoc elegerant, diuinæ voluntatis electionem ſenſibili ſigno cupientes omnibus patefieri, ad ſortes confugerunt: pręmiſſa oratione, vt per illas ſuam electionem Deus declararet: & orantes dixerunt, Tu dñe qui noſti corda omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuũ: & dederunt ſortes, & cecidit ſors ſuper Matthiam. Vides itacꝫ vt ſortes dirigantur a domino, quando a viris ſanctis, ex ea fide aſſumũtur, quod dirigentur ab eodem, & per eas ſuam voluntatem declarabit: aut ad deprehendẽdum vnum aliquẽ ex multis & latentem inter multos, qui quæritur. Sed nihil hoc noſtræ aduerſatur ſententiæ: nec ex his conſequens eſt, quod infert Caluinus, Deum ita moderari omnia, vt vniuerſa quæ fiunt, ab vltima æternitate ita decreuerit fieri, atcꝫ immutabili eius decreto ſtabilita fuerint, Eacꝫ ipſa, etiam hominum voluntates & conſilia, ſic eius potenti efficaciꝗ voluntate in tempore fieri, & ad deſtinatum a ſe ſcopum perduci, ita vt nullus in his omnibus locus ſit, humanæ prouidentiæ, & libertati arbitrij: nulla contingentia, tametſi quædam eiuſmodi appareant: vt quorum videlicet ordo, ratio, finis, neceſſitas, in diuino conſilio lateant.

Sortes vt dirigantur a domino.

De ſcripturarum locis, ex quibus apparet Deum velle quæ fiunt a malis hominibus mala fieri.

Quod adducit ſcripturarum locos ad oſtendendũ nullum eſſe malum, cuius author dñs non ſit, vt quod Dauid conuicijs ac lapidibus a Semei impetitus, cum ſuos a prohibenda retaliandaque iniuria prohiberet, dixit, Sinite eum, quia dominus præcepit ei, vt maledicat mihi, Et quod Pilatus & Herodes, cum ad Chriſtum extinguendum coirent, a ſcriptura dicuntur conueniſſe ad peragenda quæcuncꝫ manus & conſilium domini decreuerant. Ita quocꝫ Iudæi definito eius cõſilio & ſcientia traditum intereiſſe, atcꝫ ita conſummaſſe quæ de Chriſto

ſcripta

ſcripta erant. Quemadmodum & de militibus toties repetitur, quod fecerint, quæ pertinent ad ſcripturæ complemẽtum. Hos, inquam, vna cum alijs nonnullis ſcripturarum locis, quos inducemus ipſi, eodẽ pertinentibus, & qui plus difficultatis ingerunt, paulo poſt, ſimul ad pietatis regulam explicare conabimur. Interim, nihil dubitamus cum ſanctis patribus, & orthodoxis omnibus, Deum non eſſe authorem, ſed punitorem malorum, & iuſtum iudicem. Tametſi, etiam ex illis præcognitis, pro infinita ſua bonitate & ſapientia, nouerit bona elicere, & in bonum eaipſa dirigere, etiam contra intentionem & voluntatem facientium. Contrariam autem Caluini Lutheriq; opinionem, cũ eius primo authore Simone illo Mago, execramur & anathematizamus vt impiam: & in optimum Deum, quem malorum omnium fontem & ſcaturiginem faciunt, blaſphemiæ pleniſſimam: & toti humano generi exitioſam & iniuriam.

Deum non eſſe authorem, ſed punitorẽ malorum, & iuſtum iudicẽ, tametſi, etiam illa, contra voluntatem facientium in bonum dirigat.

Qui etiam pijs incidunt, vel humana ratione ſuggerente aduerſus diuinorum iudiciorum æquitatem, ſcrupulos, vel ſubminiſtrãtibus ſcripturarum locis obſcurioribus quæſtiones aduerſus diuinam prouidentiam perplexas & difficiles luculenter explicare.

Caput V.

QVi diuinis oraculis verius edocti, ſynceram omnium veritatem certius aſſequuti ſunt, cum in arcanorum diuinæ prouidentiæ abyſſum oculos immergunt, & curioſius circumferunt, etiam ipſi, in pleriſq; multis, imperſcrutabilium rerum caligine ſe confundi inuoluiq; ſentiunt. Multa multis ſuggerit humanæ rationis, præſentia tantum inſpicientis, imbecillitas, quæ diuina iudicia in iuſtitiæ æquitatiſq; quæſtionem protrahere videntur. Multa præterea in ſcripturis inueniuntur, quæ non exiguam difficultatem hac in re ingerunt, Illorum perſonam diuinus ille pſaltes nobis explicans, Quam bonus, inquit, Iſraelis Deus, his qui recto ſunt corde. Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur. Et paulo poſt, Ecce ipſi peccatores abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias, & dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die & caſtigatio mea in matutinis. Et rurſus Hieremias, Iuſtus quidẽ tu es, inquit, domine, etſi diſputem tecũ: ve-

Etiam pijs multa incidere quæ diuina iudicia in æquitatis & iuſtitiæ quæſtionẽ pertrahere videntur.

Dauid.

Hieremias

runtamen iuſta loquar ad te, Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui præuaricantur & inique agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt & faciunt fructum: prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum. Eandem perſonam humanæ iſtiuſce curioſitatis atq; impatientiæ, velut Deum in diſceptationem iuſtitię prouocantis, quod in rebus humanis, & huius mundi gubernatione ac pro-

Habacuc.

uidentia, tanta verſari videatur iniquitas, etiam Habacuc exprimit, dicens, Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? Et rurſus, Vſquequo domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare oſtēdiſti mihi iniq̃tatem & laborē videre: prædam & iniuſtitiam cōtra me? Propter hoc, lacerata eſt lex, & non peruenit vſq; ad finē iudicium, Quia impius præualet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum.

Sed hæc vox eſt eorꝝ, qui iudicia Dei inueſtigabilia, & abyſſum diuitiarꝝ ſapientiæ & ſcientiæ eius neſciunt: nec intelligunt, quod non vt homo, ita videt Deus. Homo em̄ præſentia tm̄ intuetur, Deus vero etiam futura ab æterno, æque vt præſentia, Non intelligentes proinde diuinorum iudiciorꝝ rationem, iuſtiſſima eius & æquiſſima iudicia, iniuſta iniquaq; ipſis videntur: atq; infinitam hallucinari delirareq; ſapientiam, arrogantes ac deliri blaſphemant homines.

Quæſtiones difficiles quæ ex ſcripturis ſe ingerunt aduerſus diuinā prouidentiam.

Sunt & in diuinis ſcripturis, vt dixi, non pauca, quæ non modicam difficultatē huic quęſtioni incautis & ſimplicioribus ingerunt: & præcipue quod apud Matthęū & Lucam legitur. Tunc cœpit Ieſus exprobrare ciuitatibus in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam. Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethſaida, Quia ſi in Tyro & Sidone factę fuiſſent virtutes quę factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiā egiſſent, Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quā vobis, & tu Capharnaū, nunquid vſq; in cœlum exaltaberis? vſq; in infernum deſcendes, quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent vſq; in hanc diē. Veruntamen dico vobis, q̃a terræ Sodomorꝝ re-

Cur Deus ibi multas virtutes fecerit ubi nō profuturas pręſciebat, Et contra, ibi facere noluerit, vbi factas profuturas ſciebat.

miſſius erit in die iudicij, quā tibi. Hactenus Chriſti verba apud Matthæum, quæ legentibus, atq; audientibus, magnā merito admirationē ingerunt, Cur Deus ibi exercuerit virtutes, vbi præſciebat nō credituros hoīes, Quod non congruit ſapientiæ illi, quæ attingit a fine vſq; ad finem fortiter, Eo em̄ fine & reſpectu faciebat miracula, vt illi crederēt, quo fine fruſtratus eſt, Qua in re, etiā, ſciens volensq; videtur luſiſſe operam. Nam, vt incertus futuri euentus, quis, eo q̃d faciat, ſpe bona ductus aſſequendi eius quod intendit, viri prudentis eſt: vt vero, ſciens q̃s nihil ſe profecturꝝ, tamen pergit eo reſpectu multa agere, & ſe inq̃etare, & alios, non ſolū, abſq; vllo eorꝝ fructu, imo & cum graui diſpendio, etiam ſtultū & ridiculū videt. Præſciebat futurꝝ Deus, vt memoratis

locis,

locis,etſi multa ſigna & prodigia oſtenderet,nō eſſent credituri homi-neſ:imo,hocipſm futurum ſciebant ad damnationis eorundem aug-mentum & cumulum,Non ſolum ergo nihil profuiſſe,ſed obfuiſſe vi-dentur ibi facta miracula,Deinde, & ex altera parte nō minor occurrit abſurditas:ex eo,quod vbi facta,profectura ſciebat, ibi facere noluit: ſi-cut cōtra,ibi facere,vbi nō profutura haud ignorabat, Nam vtrumq́, & de bonitate eius,quam ſupra oſtendimus æqualem atq́ obuiam o-mnibus,& de infinita ſapiētia,æque abſurde cogitare nos facit: vtrum-que vtrāq́ in quæſtionem vocare,& cōtrouerſiam. Cū vtraq́ reqrere videaſ,vt apud illos miracula fierēt,apud qs fructū factura noſcebanſ: apud illos nō fierēt,apud qs infructuoſa,imo, diſpēdioſa pſciebāſ fore.

Ad hoc fere genus et iſta quęſtio pertinet.Cur creauerit Deus,quos malos & damnandos fore præſciebat,Et ea quoq́, Cur vno Iſraele ele-cto in peculiarem ſibi populum,quem ſpecialibus ad pietatem inſtitu-tis dirigeret,ſuſtineret,ſubleuaret,lapſum flagellis erudiret,& vel inuitū cogeret,dimiſſis cæteris nationibus oībus,quaſi ad ſe nō ptinerent,ſuas vias ingredi,Quibus ſi eandē curam,quā Iſraeli,impendiſſet, q de Ty-ro & Sidone affirmat Chrs,olim in cinere & cilicio pœnitētiā egiſſent.

Cur creauerit Deus,qs malos & damnādos fore pręſciebat.

Cur vno Iſraele electo in peculiarem ſibi populum, cæteras nationes oēs quaſi ad ſe non pertinerent, dimiſerit in vias ſuas ingredi.

Quid igitur dicemus ad hæc?

Ille certe diuinorū conſcius Apoſtolus, & q in cœlis didicerat,q̄ nos hic doceret in terris,ille,inq̄, in hanc quoq́ inſcrutabilis diuinæ proui-dentiæ abyſſum,ita ducente quod tractabat argumento,nōnihil inue-ctus,etiam vidēs ſe inuolui rerum imperſcrutabilium caligine,mox re-preſſit pedem,retroq́ tulit, in exclamationem hanc erumpens admira-tionis plenam,O altitudo diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ Dei,quā incō-prehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis eīn co-gnouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Et poſt hunc, a-deon temerarius quiſq̄ erit, qui in hoc pelagus expanſis velis inferre ſe audeat? Illi itaq́ per gratiam quæ ipſi data erat, nos admonenti, obſe-quentes,contenti erimus non plus ſapere quam oportet ſapere: ſed ad ſobrietatis & pietatis regulam ſapere: ſecundum quā nihilominus co-nabímur blaſphemas has cogitationes eximere e mētibus hominum.

Apoſtoli, in iſtiuſmodi quæſtionibus explicandis ſobrietas.

Diuinæ prouidentiæ quæſtio qualiter clare explicari poſſit ad pietatis regulam.

Inprimis, Illa ipſa hoc docet pietatis regula, Deum bonum,iuſtum, ſapientem,ſecundum immenſitatē ſuæ bonitatis & ſapientiæ attingere a fine ad finem potenter:nuſq̄ vero fine quem intēdit fruſtrari: omnia ſuauiter diſponere,nihil agere inique, nihil crudeliter,nihil impotēter: imo dulcedinem miſericordiæ eius eſſe ſuper omnia opera eius. Nihil agere infinitam illam ſapientiam, ſine ſumma maximaq́ ratione. Nec mihi recte ſentire videntur, qui omnes quæſtiones iſtiuſmodi, ex vna Dei voluntate reſoluunt:dicentes,illum vniuerſa quæ facit,facere,quia ita ſibi placitum eſt facere:quia ita vult & voluit: voluntatis aūt eius ne-quaq̄ quærendam priorem aliquam rationem: cum rationem nullam

Primū principium, in huius quęſtionis explicatione.

Non recte ex vna Dei voluntate

vniuerſas quęſtiones reſolui, Cur hoc ſic faciat, illud aliter.

habeat, Quod ſi eſt, falſum ergo dixit Apoſtolus, Incōprehenſibilia iudicia eius, & inueſtigabiles vias eius. Si eñ fiant vniuerſa, q̃a ita illi placet, nec eius placiti aut voluntatis vlla prior eſt ratio, neq; vllum, ex quo procedit, diuinitatis conſilium, facile eſt ſcire, cur quodq; ita faciat: hoc ſic, illud aliter: nempe, Quia ita ſibi placet, nec ſunt iudicia Dei abyſſus multa, Imo, hoc affirmare ego non dubito, nihil, niſi ex certa ratione, & ſapientiſſimo conſilio velle Deum, tametſi illud nobis ſit incōprehenſibile, Aeque tñ voluntatem eius eſſe primam cauſam eorum quæ fiunt omniũ. Quod quo pacto intelligã, vt & tu lector intelligas, ita accipe.

Quo pacto nihil agat, niſi ex certa ratione deus.

Hoc ante omnia mihi euidens videatur, Deũ clariſſime cognoſcere omnia, non ſolum anteq̃ fiant, ſed etiam anteq̃ ea quæ fiunt, voluerit fieri, Cum voluntas nulla feratur, niſi in præcognitum. Ante dico, illo ordine quaſi naturæ, non tempore. Cognoſcere quoq; omnes proprietates & conditiones omnium rerum factibilium, Omnes modos quibus quæq; res poſſit fieri, Nec minus modorũ illorum omnium comparationem facere, & intelligere quis melior, quis deterior, quis cum diuerſo alio, æque aut quaſi æque bonus, Ita de tempore, loco, & alijs circunſtantijs rei cuiuſq; factibilis, vt poſſe hanc rem, hoc tempore, hoc loco, poſſe & alio tempore & loco, prius aut poſterius, aut etiam nunq̃ fieri. Item noſſe, ſi fiat, ſic aut aliter fiat, hoc aut illo tẽpore fiat, bonum id eſſe, vel illi ipſi rei, vel alijs, aut deniq; vniuerſo, ob certam rationem ſibi cognitam. Nec ſibi quicq̃ prodeſſe aut obeſſe, fiat, non fiat: ſic, an aliter fiat: ſed in hoc, ad vnam creaturarum ſuarum vtilitatem, reſpectum habere, Nihil præterea in factibilibus aut creabilibus omnibus, ſimpliciter bonum aut vtile, malum aut inutile videre: ſed tantum comparatione, melius ac deterius, magis aut minus: creaturarum tamen ſuarum non ſuum bonum. Quæ vniuerſa conferens, ſapientiſſimo diuinitatis ſuæ conſilio, de quoq; hoc eligit, hoc vult, quod eidem expedire & cõgruere viſum eſt, Vere ergo abyſſus multa, diuina iudicia, & merito exclamat Apoſtolus, O altitudo diuitiarũ ſapientiæ ac ſcientiæ Dei, quã incomprehenſibilia ſunt iudicia eius: hoc eſt, cõſilia eius, aut rationes quibus de quoq; iudicat, hoc ſic, illud aliter fieri, hoc nõ fieri, aut non ſic fieri, alio tẽpore, loco, cæteriſq; circunſtantijs fieri, Et viæ eius, hoc eſt, progreſſus ad creaturas, aut cognitiones eius, apprehenſioneſq; creaturarũ, inueſtigabiles, Aptiſſime inſuper Prophetã induxit, dicentẽ, Quis cognouit ſenſum dñi, & quis conſiliarius eius fuit? Senſus dñi, idẽ eſt q̃d conſilium, quod iudicium, ratio, de rebus factibilibus: ad quã aſſequendam, nos attollere nõ debemus temerarios & arrogãtes oculos, ſed nos humiliter illi maieſtati proſternere: illius volũtati, prorſus nos dedere: nihil dubitantes illam, quicq̃d nobis videat̃, eſſe ęquiſſimam et iuſtiſſimam: nec niſi ex certa ratione, & ſapientiſſimo conſilio procedere.

Vt nihilominus vo-

Aeque tñ voluntatẽ diuinam eſſe primã cauſam eorũ quæ fiunt oĩm, nec

nec vllam priorem habere,nihil dubitamus, Nam etſi cõſilium diuinæ rationis circa factibilia,voluntatẽ eius, qua ſe erga quodcꝫ determinat, ipſum fieri,& ſic,nec aliter fieri,præcedat,vt dictum eſt:non tñ eiuſmodi voluntatis aut volitionis cauſa eſt:non ſolum,in ſe:quia illa, incauſabilis eſt,nẽpe ipſa deitas:ſed nec,quod volitio illa ſua,hoc pacto, ad rem illam terminetur:aut,quod hoc,& ſic velit:ſed permãſit ipſa,etiam poſt omne conſilium eiuſmodi,ad hanc rem, & ad hunc eius modũ ſemper libera.Nec eſt illud ipſum conſilium aut iudicium,intelligendum, eſſe, velut prędefinitionem aliquam,aut decretum aliquod,(Quod primo, ab ipſa libera Dei voluntate fit)ſed tantum, velut rationum omnium propoſitionem aut oſtenſionem quandam. Recte ergo voluntas diuina affirmatur prima cauſa factibilium omnium: & recte reſpondetur interroganti,cur hæc aut illa Deus fecerit.Quia ita ſibi placuit,Tametſi non abſcꝫ ſumma & ſapientiſſima ratione ita ſibi placuerit.

[Margin: luntas eius ſit cauſa prima eorum quæ fiunt omnium.]

Non eſt igitur voluntatis eius quærenda cauſa,ſed bene ratio.Cum qua nihilominus manet eiuſdem voluntatis libertas circa factibilia omnia. Tametſi ea libere eligat quod eſt melius ſimpliciter: non ſemper illi ipſi quod eligit,ſed rerꝫ vniuerſitati,ſecundum rationem ſibi cognitam,tametſi nos lateat. Nunc ad ipſa quæ aduerſus diuinã prouidentiam nobis argumenta occurrunt,reſpõdendum eſt,Et inprimis ad ea, vnde vulgo hoĩm,iniqua videntur,æquiſſima Dei iudicia: & nõ ſapienter moderari vniuerſa,infinita illa ſapientia. Iniquum enim & iniuſtum exiſtimant, Quod viris bonis, mala quæ ipſis videnť,hoc eſt,aduerſa multa eueniant:egeſtate laborent:fame,ſiti,nuditate conficiantur: afficiantur iniuria, ignominia, opprobrijs: vexentur carceribus,exilijs, proſcriptionibus,valetudine aduerſa,morte deni cꝫ per vim & cruciatus illata,Cum contra ſceleratis atcꝫ impijs pleriſcꝫ, vniuerſa eueniant proſpere:& cumulentur,ijs quæ ſola ipſis bona vidẽtur,diuitijs, honoribus,populari applauſu & gratia,liberorum ſuperſtitum ac fœlicium cœtu & magna frequentia,breuiter delicijs omnibus.

[Margin: Voluntatis ergo diuinę nullam eſſe cauſam, ſed vticꝫ rationem.]

[Margin: Reſponſio ad argumẽta quæ aduerſus æquitatem diuinorum iudiciorum humanæ rationi occurrũt]

Sed iniqua,æquiſſimorꝫ iudiciorꝫ Dei, cæcacꝫ æſtimatio primũ ex eo procedit,Quod in boni malicꝫ ratione vera,toto,quod dr̃, cœlo aberrant hoĩes:ea æſtimantes bona, q̃ mali habere poſſunt, qbus optimi carere:& cõtra mala qbus ſubdunť ſanctiſſimi,& carent ſceleratiſſimi. Nõ ſunt hæc mala q̃ vocantur:ſed dura,aſpera,amarulenta:nec minus tñ ſalubria,ſi in virum bonum incidant,Necꝫ bona illa, quæ æſtimantur a cæcis & carnalibus hoĩbus:ſed mollia,delicata,ſuauia:necꝫ minus peſtifera,vbi in malos incidunt.Itacꝫ cum videris viros bonos Deocꝫ acceptos laborare,ſudare,per arduum conſcendere:contra malos laſciuire & voluptatibus affluere,ita nobis cogitandũ eſt,filiorum nos modeſtia delectari,vernularum licentia, Illos diſciplina ſæueriori contineri:horum ali audaciam. Proinde & parens ille noſter Deus, virtutum

[Margin: Inde procedere iniquũ ęquiſſimorum Dei iudiciorum, æſtimationem, quod in boni malicꝫ ratione vera aberrent homines.]

[Margin: Non eſſe mala quæ vocantur, nec bona q̃ æſtimãtur.]

 non

non lenis exactor,ſicut ſeueri patres,filios ſuos durius educat. Viros bonos non emollit delicijs,ſed indurat,experitur,& ſibi eos præparat: paterno,non materno erga nos affectu eſt,Continere in vmbra,fouere in ſinu filios matres volunt,nunq̃ flere,nunq̃ cõtriſtari,nunq̃ laborare. Patres contra exercitari ad obeunda mature ſtudia iubẽt liberos, nec feriatis quidem diebus otioſos eſſe patiuntur:& ſudorem illis,& interdum lachrymas excutiunt, Paternũ Deus habet aduerſus viros bonos aĩm, Et quos fortius amat,operibus,doloribus,& dãnis exagitat,vt ver robur colligãt.Languent eñ,vt Senecæ verbis dicam, per inertiam ſaginata:nec labore tñ,ſed & mole,& ipſo ſui onere deficiunt, Non fert vllum ictum illæſa felicitas.At vbi aſſidua fuit cum incõmodis ſuis rixa, callum per iniurias duxit:nec vlli malo cedit,ſed etiã ſi ſucciderit, de genu pugnat,Proinde idem ille Seneca,ſi non Chriſtianus, Chriſtiane tñ & veriſſime probat,iſta quæ dura,aſpera aduerſaq; habẽtur, & vulgo vt mala deprecantur,abominantur,horrent ac tremunt homines, pro ipſis eſſe atq; prodeſſe quibus accidunt,Quid,inquit, hic ex vulgo aliquis,pro ipſis eſt,in exilium proijci?in egeſtatem deduci?liberos,coniugẽ,amicos efferre?ignominia affici? debilitari? cruciari? interimi? Hæc ſi quis miratur pro aliquo eſſe poſſe,miretur idem,ferro quoſdam atq; igne curari,nec minus fame & ſiti,Sed idem ſi cogitauerit ſecum,remedij cauſa,quibuſdam & venas extrahi,& quædam membra amputari, quæ ſine corporis totius pernitie hærere non poterãt,hoc vtiq; probari ſibi patietur,quædam incõmoda pro his eſſe quibus accidunt: æque ac quædam quæ laudantur atq; appetuntur,contra eos eſſe quos delectauerunt:ſimillima cruditatibus,ebrietatibusq;,& cęteris quæ per voluptatem necant. Itaq; & in rem ipſorũ eſſe quibus aduerſa accidunt, ſi viri boni ſint:& tantum abeſſe vt illis noceant,vt proſint etiam: & publicæ vtilitatis intereſſe vt in bonos magis quam in malos incidant, nullo negotio demonſtrauerimus.

In vtilitatẽ eſſe bonorum virorum, vt exerceãtur aduerſis.

Ad hoc eñ viris bonis eſt vtile,vt colluctentur cũ aduerſis,vt ſui experimẽtum capiant,vt virtus exercitatione augeaẽ, creſcat,& ſeipſa reddaẽ illuſtrior.Inter multa Demetrij philoſophi magnifica, & hæc a Seneca celebratur eiuſdẽ ſententia,Nihil videri infelicius eo cui nihil vnq̃ aduerſi euenit,Neq; eñ licuit illi experiri ſe,cui,ex voto vel añ votũ fluxerunt oĩa.Miſerũ,inqt quidam,te iudico,quod nõ fuiſti miſer,Tranſiſti ſine aduerſario vitam? nemo ſciet quid potueris:nec tuipſe quidem. Ad notitiam eñ ſui experimento opus eſt.Quid quiſq; poſſit,niſi tentando,non didicit,Vnde poſſum ſcire,imo vnde tuipſe ſcire,q̃tum tibi aduerſus paupertatem ſit animi: q̃tum aduerſus ignominiam & infamiam,odiumq; populare conſtantiæ habeas? quo animo orbitatẽ laturus ſis,ſi diuitijs diffluis? ſi inter plauſus ſeneſcis? atq; inexpugnabilis,et inclinatione quadam mentiũ pronus fauor te ſequitur? ſi quoſcunq; li-

beros

beros ſuſtuliſti,ſuperſtites vides? Audiui te cũ alios conſolareris in caſibus iſtiuſmodi:tunc conſpexiſſem,imo & ſuſpexiſſem,ſi te ipſe dolere vetuiſſes.Cum oĩa q̃ modum exceſſerint,noceãt,periculoſiſſima ſane eſt felicitatis intemperantia. Mouet cerebrũ,& in varias vanaſq; mẽtem imagines transformat:facit obliuiſci ſui:plurimumq; inter verũ et falſum,mediæ caliginis ſuffundit,Quid ni ergo,veriſſima ſit memorata illa Demetrij ſententia?Quid ni ſatius,perpetuam infelicitatem,q̃ ad virtutem aduocat,ſuſtinere, q̃ infinitis,atq; immodicis bonis iſtiuſmodi dirumpi?Illam infelicitatẽ, huic eneruatæ felicitati, qua animi marceſcunt,& niſi aliqd interueniat,quod humanæ ſortis admoneat,velut perpetua ebrietate conſopiuntur,qs vir,cui igniculus generoſę mentis ſupereſt,non prętulerit?Geſtit virtus rebus aduerſis exercere ſe: non aliter, quã fortes milites, magis verſari in caſtris,in acie, q̃ domi torpere otio.Calamitas,virtutis occaſio,incitamentum,atq; exercitamentũ eſt: & verum illi robur confert ac præparat: & aduerſis omnibus ſuperiores facit,Cum miſeris illis felicibus,qui nimia felicitate torpeſcũt, quicquid inciderit, nouum eſt,Magis vrgent ſæua inexpertos. Graue eſt nõ aſſuetis ferre ceruicibus iugum.Ad ſuſpicionem vulneris tyro palleſcit:veteranus cruorem ſuum audacter ſpectat:qui ſcit,ſępe ſe viciſſe poſt ſanguinem.Hos itaq; Deus,quos probat,quos amat, indurat: recognoſcit:exercet,Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere,molles venturis malis ſeruat,Solidiſſima pars corporis eſt, quam frequens vſus cogitauit, Sic agricolis duræ robuſtæque manus ſunt, Ad excutienda tela,vibrandamq; haſtam,militares lacerti valent. Nõ eſt arbor ſolida nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat, Ipſa enim vexatiõe conſtringitur,& radices certius figit:Fragiles ſunt,quæ in aprica valle creuerunt, Solidiſſimum in vnoquoque id eſt, quod exercuit, Aptiſſimus quiſque ad ea eſt,quæ vſu longo tractauit, ferre quiſque ſine noxa poteſt, quæ ferre aſſueuit & didicit. Sic agilia ſunt membra curſoribus, & ipſi ad curſum magis idonei: Sic nautica corpora ferendo mari dura ſunt,Sic corporum nuditatem, rerum omnium inopiam,hyemes perpetuas,triſte cœlũ,abſq; triſtitia,moleſtia, aut nocumẽto perferre nationes multas aſſuetudo docuit, At quem ſpecularia ſemper a flatu vindicauerunt, cuius pedes,inter fomenta ſubinde mutata tepuerunt, cuius cœnationes ſubditus & parietibus circumfuſus calor temperauit, hunc leuis aura, non ſine periculo ſtringit. Præbendi proinde aduerſæ fortunæ ſumus, vt contra ipſam induremur, Paulatim nos ſibi pares, imo & ſuperiores faciet, Ad contemnendam malorum potentiam,animus patiẽtia peruenit, Periclitandi aſſiduitas, contemptum periculorum dabit, Pro ipſis ergo bonis viris eſt, vt interriti eſſe poſſint, multum inter formidoloſa verſari: ne lædi poſſint, indurari laboribus, & exercitatione continua, ac duris aſſueſcere,

Periculoſiſſima felicitatis intẽperantia.

æquoq; animo perferre,quæ niſi male ſuſtinenti,mala non ſunt:bono vero,tantum abeſt vt noceant,vt etiã(quemadmodũ nunc demõſtrauimus)proſint:adhęc,et magis glorioſam, magis admirabilẽ illuſtrioremq; virtutẽ faciunt,Ipſis proinde Deus cõſulit quos eſſe q̃ honeſtiſſimos cupit,quoties illis materiã præbet animoſe aliquid fortiterq; faciendi,ad quã aliqua rerꝫ difficultate opus eſt,Gubernatorẽ in tẽpeſtate,militẽ in acie,& in belli periculo intelligas oportet.Ignis aurꝫ probat, miſeria fortes viros,Regulũ,Rutiliũ,Catonẽ,cæteraq; Romanę virtutis exempla & inſignia,quis noſſet,quis admiraretur , niſi aduerſa hæc in illos incũbentia eoſdẽ feciſſent inſignes,illuſtres & admirabiles? Machabæos illos et principes & martyres, illam ſanctam virginem octies martyrẽ, cæteroſq; q pro Chriſti nominis gloria , oĩa aduerſa pertulerunt,& ſuum ſanguinẽ profuderunt, qs nominaret cum benedictiõe, quis eorundẽ veneraretur memoriã, & qualeſcunq; apud nos extãtes reliquias, qs tẽpla poneret, qs feſtos dies ageret, honores deferret,ſi obſcuri delituiſſent in vmbra,nec aduerſis his illuſtratos glorioſę celebraſſet mortis exitus? Nunqd his nocuerũt egeſtas, fames,ſitis,exilium,carceres,vincula cõpedes,tormenta,eculei,cruces,flãmæ, & mors illata per vim et iniuriam? Quiſq̃ eſt tam mollis,tam perdite delicatus,qui electione fati data,auderet dicere,malle ſe mortuum ebrietate, crapula,venere,vel in ipſis amicæ amplexibus,q̃ illius Reguli,q̃ illorꝫ Machabæorꝫ, q̃ Petri,Andreæ,Laurentij,diſceſſiſſe hinc exitu? Nulli ergo dubiũ eſt, quin maior ſit horꝫ,q̃ dura,& aſpera videntur, præ illis mollibus, delicatis,& dulcibus vtilitas: vere feliciores, non infelices reddere viros bonos in quos incidunt:tametſi hominũ ignauia & cæcitas,horꝫ momẽtaneam falſamq; oblectationem,illorꝫ qui nunq̃ marceſcet ſuauiſſimo fructui,ſed incluſo in amariori cortice,dentibus noſtris effringendo, p̃ferat,Nunquid enĩ dicere audebit aliquis non feliciorem fuiſſe atq; eſſe Mutium illũ(vt humana hominibus atq; ethnica exempla proferamus,& humanæ tñ rationis examine etiam expendamus)quod adurendæ dextræ conſtantia ignes hoſtium preſſit, & eadem exuſta Regem fugans,quam armata non poterat,patriæ ſalutem reddidit,quam ſi interim domi viuens molliter, eandem ſanam & incolumem in ſinu fouiſſet amicæ? An Regulum quiſquam nõ probat magis (quem documentum fidei et patientiæ aduerſa fortuna fecit) quod quocunque laſſum reclinauit corpus , vulneri incumbens,in perpetuam vigiliam ſuſpenſa illi lumina fuerint : quam voluptatibus marcidum , & nimia felicitate laborãtem Mœcenatem aliquem,cui ſomnus per ſymphoniarum cantum ex longinquo lene reſonãtium fruſtra quæritur? Qui licet mero ſe ſopiat, aquarꝫ fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentẽ anxiã fallat,tam tamen vigilat in pluma,q̃ fecit ille in cruce? Cum interim hunc,his quæ eadem patitur, magis ipſa cauſa patiendi vexet,

vexet,Illi vero ad cauſam patiendi reſpicienti, pro honeſto dura tole-rare,ſolatiũ extitit,Quiſq̃ infeliciorẽ Socratem audebit dicere, ꝙ illam potionem publice mixtam,non aliter q̃ medicamentum immortalitatis ebibit,& de morte diſputauit vſq; ad ipſam: quã ex felicibus his aliquem, quibus gemma miniſtrat omnia pati doctus exoletus aliqs, ſuſpenſãmq; auro niuẽ diluit: q̃ languentẽ crapula ſtomachũ et ſitim fugientem ſolicitat? Pro ipſis ergo eſt viris bonis vt exerciteñ aduerſis.

Quod aũt & publicæ vtilitatis interſit, vt magis in bonos q̃ malos ea ipſa incidãt,ex hoc licet intelligas,qm̃ publice intereſt,& maxime intereſt, vt verã boni maliq; dinotionẽ hoĩes habeant, & intelligant nec bona eſſe q̃ vulgus appetit,nec mala q̃ reformidat. Apparebunt aũt illa bona eſſe,ſi ea non niſi viris bonis tribuantur a Deo: & hęc mala eſſe,ſi malis tm̃ irrogauerit. Deteſtabilis erit cæcitas,ſi nemo oculos perdiderit,niſi cui ſuo demerito eruendi ſunt, Itaq; careant luce, & Appius, & Metellus,Non ſunt diuitiæ bonũ: itaq; habeat illas & Ellius Leno, vt homines aurꝛ cum conſecrauerint in templis,videant & in fornice, Nullo mõ magis potuit Deus,q̃ velut prima bona cõcupiſcuntur ab hominũ vulgo,traducere (vt veriſſime inquit ille Seneca) q̃ quod illa ad turpiſſimos defert,ab optimis remouet. Nõ ergo q̃ritur de Deo,vt iniquo,vir bonus,quod exercitetur aduerſis: cũ interim ſceleratis atq; impijs ſint proſpera omnia,Non,inquã,magis,q̃ de duce,fortiſſimi & lectiſſimi milites,quos mittit,vt nocturnis hoſtes inſidijs aggrediãtur: aut explorent iter,aut præſidium loco deijciant. Nemo horꝛ qui ſic exeunt,quibus periculoſa queq; demandantur,dicit,male de me imperator meruit,ſed bene iudicauit,Ita dicunt Deo, quicunq; iubentur pati timidis ignauiſq; flebilia,ſi mõ viri boni ſunt, Digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur q̃tum cũ adiutorio ſuo poſſit humana imbecilitas, Ita de glorioſis illis ducibus noſtris publice cæſis ob confeſſionẽ prædicationemq; Chr̃i nominis ſcribit Lucas,Ibant,inqt, gaudentes a conſpectu concilij,qm̃ digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliã affici. Hanc,optimũ illum parẽtem oĩm Deum,rationem,in nobis ſpectare & ſequi cogitant,q̃ boni præceptores in ſuis diſcipulis: q plus laboris ab his exigunt,in quibus certior ſpes eſt, Nihil ergo mirꝛ,ſi dure generoſos ſpiritus tentat. Nunquam virtutis molle documentum eſt, Proſpera in plebem,& vilia ingenia conueniunt. At calamitates terroreſque mortalium ſub iugum mittere,proprium magni viri eſt. Nihil ergo iniquũ eſt bonos viros aduerſis concuti, calamitatibus exagitari, debilitari,cõfringi,alligari: malos interim proſperis omnibus diffluere, integris corporibus ſolutos ac delicatos incedere: certe,non magis,q̃ viros fortes arma ſumere: in caſtris pnoctare: & pro vallo obligatis ſtare vulneribus: atq; interim in vrbe ſecuros eſſe,præciſos, molles,et profeſſos impudicitiã: q̃ nobiliſſimas & Deo dicatas virgines ad rẽ diuinã, ad fa-

Publicę vtilitatis intereſſe, vt magis in bonos quã in malos aduerſa incidant.

Quõ boni in aduerſis de dei erga ſe affectu ſentiant.

Nota ſimile.

Simile.

Nihil ergo iniquũ eſſe bonos viros calamitatibus exagitari, & malos interim, proſperis omnibus diffluere.

Similia notanda.

ad facienda ſacra, ad hymnos ſuis horis creatori decantandos, ad ſup-
plicandum pro ſalute publica medijs noctibus excitari,atq; interim al
tiſſimo ſomno ignatos perfrui.Labor optimos citat,Senatus per totũ
diẽ conſultat ſæpe,cum interim viliſſimus quiſq; aut in cãpo otium ſu
um oblectet,aut in popina lateat, aut tẽpus in aliquo circulo terat. Idẽ

Eorundem aptatio.

in hac magna vniuerſi republica fieri æquum eſt, vt boni viri laborẽt,
impediantur,dura,aſpera, difficilia, ignauis terribilia, pro ſua & aliorũ
ſalute,ſaltẽ eruditione,& exemplo,perferant:cum illi interim torpeſcãt

Vt nihil ſit quod viri boni in aduerſis, inuideant illis miſeris felicibus.

ac deſideant otio,et delicijs diffluant,ac viuant molliter.Quibus nõ in-
uident,ſed miſerentur viri boni,quod falſa bonorũ imagine, velut lon
go fallaciq; ſomno luſi,animos inanes paſcant:auro,argento,& purpu
ra foris nitentes,cum intus nihil boni ſit. Quos,nõ qua occurrunt, ſed
qua latent,contuentes,vere miſeros vident:ſordidos,turpes,ad ſimilitu
dinẽ parietum ſuorũ,extrinſecus tm̃ cultos: & intelligunt non eſſe verã
& ſolidã felicitatẽ quod ſplendet foris,ſed cruſtã,& qdem tenuem,aut
bracteolã potius.Nitere eqdem illos,& craſſis oculis, q̃ extrinſecus tm̃
apparent,ſpectanti vulgo,imponere:at cum inciderit aliqd quod illud
diſturbet ac detegat,tunc apparere,q̃tum altę ac verę fœditatis alienus

Peroratio de hac parte querimoniarum quæ hominibus incidunt aduerſus æquiſſima Dei iudicia.

ſplendor abſconderit.Et hactenus qdem non ex diuinæ ſapiẽtiæ,q̃ hu
manum captum excedant, ex ſacris arcaniſq; literis deprõptis, ſed hu-
manæ philoſophiæ rationibus,diuinę prouidẽtiæ cauſam egimus: at-
que optime,ſapientiſſime,& æqſſime Deũ diſpẽſare vniuerſa: et dum
viros bonos duris,aſperis,& calamitoſis caſibus exercet, illis ijſdẽ opti-
me conſulere,aduerſus carnalium & cæcorũ hoĩm blaſphemas calũni-
as(quorũ & Dauid ille & Hieremias, vt audiſti,perſonas nobis expreſ
ſerunt,& ſignificarunt etiã pijs hoĩbus,ſed q ad diuinę ſapientię ac pro
uidentiæ ſuauiſſimam & æquiſſimam erga oẽs rationem non ſatis at-
tenti ſunt,eiuſmodi etiam cogitatiões, velut Deum in diſceptationem
iuſtitię prouocantes, nonnunq̃ incidere) ex Ethnicorũ philoſophorũ,
veriſſimis qdem,& ex ſe euidentibus ſententijs (qbus ille Seneca inter
oẽs maxime et paſſim abundat) demonſtrauimus. Prolixius qdem q̃
reqrebat ſuſcepti argumenti ratio, ſed animi impetum in hoc ſecutus
ſum, quo et meipſum aduerſum hęc aduerſa & vulgo terribilia cõfir-
matiorem redderem,Siqdem & me, parens ille optimus & benigniſſi
mus,in filiorũ,vt ſpero,numero habẽs,eiſdem,ſeu flagellis, miſericordi-
ter erudire,exercitare,atq; experiri dignatus eſt:quod nõ malo ſed bo-
no mihi fuiſſe,re ipſa ſenſi & idem ſentiẽt,quotquot eaipſa,vt oportet,
exceperint.Nec pati illum vt quiſq̃ in his tentetur,ſuper id quod ferre

Vt Deus bonos noſtro ſubinde nos non exaudiat. Simile.

poſſit,& ſibi expedit,mõ in illumipſum ſe prorſus conijciat,& in illius
adiutorio et protectiõe habitet.Quitametſi nos clamãtes ad ſe,nõ mox
exaudiat,bono hoc nr̃o facit,Quõ ſi febricitãs frigidã poſtulet,dicatq;
ad medicum. Vim patior, crucior,vror,exanimor, vſquequo medice
clama-

clamabo,& non exaudies? Et reſpondeat ei ſapientiſſimus & clementiſſimus medicus. Scio quo tempore quod poſtulas dare debeã. Non miſereor modo,quia miſericordia iſta crudelitas foret, et voluntas tua contra te petit. Ita & Deus noſter,ſciens ſuæ pondera & menſuras clementiæ,interdũ non exaudit clamantẽ, vt eum probet,& ad rogandũ magis prouocet,& quaſi igne excoctum,iuſtiorem purioremq́; faciat, Quod intelligens Apoſtolus ſecundum id quod miſericordiam conſequutus eſt a dño,ait,Sed non deficimus:et benedicit dominum in omni tempore,ſciens,quoniam qui perſeuerauerit in finẽ,hic ſaluus erit.

Repetitur vis obiectionis aduerſus prouidentiã diffieillimæ.

Cur ibi multas virtutes fecerit,vbi prę ſciebat nõ credituros homines, Cõtra, ibi nõ fecerit, vbi ſi feciſſet, credituros & acturos pœnitẽtiam ſciebat.

Nunc ad alterã etiam obiectionẽ, qua ex verbis Chriſti q̃ hinc de Chorozaim,Bethſaida,Capharnao,inde de Tyro,Sidone & Sodoma dicuntur,inquiritur,cur ibi Deus multas virtutes exercuerit, vbi ſciebat nõ credituros homines? Eo ſiquidẽ fine vt crederent certũ eſt illũ feciſſe miracula,quo fine fruſtratus eſt. Infinitę etiã ſapientiæ non congruere,q̃cquid viro ſapiente non dubitamus indignũ, per ſe notũ eſt. Hanc eñ velut cõmunem in his animi conceptionẽ, recte apprehẽdimus,vt quicquid rectæ rationi noſtrę, apprehenſis omnibus rei circũſtantijs,congruit,conſentit,& velut rectũ occurrit,ſi ab optimo & ſapientiſſimo principe fieret, id nihil dubitemus Deũ in ſingulis feciſſe & facere. Sed rectæ rationi nõ congruere ,imo ſtultum videri & ridiculum,viroq́; ſapiente indignũ,imo quod extremæ dementiæ deputat ille Comicus,communẽ de hoc hominum ſenſum exprimẽs, ſi quis certo ſciens nihil ſe profecturum,imo obfuturum potius, pergeret nihilominus eodem reſpectu multa agere,& ſe inquietare & alios. Præſciuiſſe autem Deum ſi in Chorozaim, Bethſaida & Capharnao multa miracula & prodigia oſtenderet,æque nõ credituros illic homines: imo hocipſum fore, ad damnationis eorundem augmentum & cumulum. Non ſolum ergo non profuiſſe,ſed etiã obfuiſſe videri,faciendo ibidem tam multa miracula,Id quod nec infinitæ ſapientiæ nec bonitati congruere videtur. Aeque ac illud,Quod illic noluerit miracula facere,vbi facta, profutura præſciebat, Vtrunq; eñ & de Dei bonitate(quam ſupra æqualem atque obuiam omnibus demonſtrauimus) et de infinita eius ſapientia,ęque abſurde cogitare nos facere: vtrumq; vtramq; vocare in quæſtionem & controuerſiam , Videri ſiquidem, vtramque requirere, vt apud illos miracula fierent, apud quos vtiliter fierent,& fructum factura noſcebantur : apud illos non fierent, apud quos infructuoſa, imo diſpendioſa fore præſciebantur.

Solutio.

Hypoteſis prima.

His,inquã,obiectionibus,vt paucis reſpondeamus,& ſimul etiã illã diluamus quæſtionem,quæ multis occurrit difficilis,Cur,quos malos dãnandosq́; præſciebat Deus,creare voluerit,Hoc ſemper & ante oĩa certo apud nos ſtatuere debemus,ex illa pietatis regula, quod ſupradiximus:nẽpe,Deum infinite bonũ,iuſtũ,ſapientẽ, ſecundũ immenſitatẽ

ſuæ

ſuæ ſapientiæ, attingere a fine ad finem potenter & efficaciter, nuſquã vero quẽ ſuo intendit fine fruſtrari:omnia ſuauiter diſpõere:nihil agere inique, nihil crudeliter, nihil impotenter, imo dulcedinem miſericordiæ eius eſſe ſuper omnia opera eius. Nihil ſine ſumma maximaque ratione agere infinitam ſapientiam, etiam quicquid nobis videatur, cum lippientes cæcutienteſque oculos noſtros, velut noctuæ quædam, in illos radios diuinæ lucis intendimus. Deinde, Præmittendum & hoc eſt, quod ſupra pluribus aſtruximus. Voluntatem diuinam, tametſi ſimul in æternitate voluerit vniuerſa, ea nihilominus quæ vult, ordine quodam voluiſſe & velle, Quẽ, vbi in conſilijs, cogitationibus, & voluntatibus eius aut non aſſequimur, aut peruertimus, quod prius eſt apprehendentes poſterius, hinc magnis nos ſæpe perplexitatibus inuolui, & indigna Deo de Deo nobis incidere.

Secunda.

Quo modo & ordine apprehẽdendũ nobis diſpenſationis ſalutis noſtrę, ordinatum a deo, exhibitũq; myſteriũ.

Proinde ſi ita cogitemus, Deum præuiſo humani generis lapſu in eius origine, atque eidem ordinato remedio in ſuo filio (Quem certa ſucceſſionis linea ex Adam per Abraham & Dauid conſtituto tempore naſci voluit) ne ſubita tam immenſæ lucis offuſione magis perſtringeret, quam illuminaret acies hominum, ante voluiſſe veritatem ipſam, quæ ſub Chriſto & per Chriſtum enituit, cæremoniarum vmbris multiplicibuſque figuris velut præcurrere atque adumbrare, deliniareque in vno, parentum eius meritis electo ſpecialiter ad hoc populo, (interim ſuæ prouidentiæ cura ad ſalutem omnibus neceſſaria non deſtitutis cæteris) ex quo & in quo naſci dignatus eſt, (neque enim poterant ab initio intendere vel ipſi filij Iſrael, in apertam reuelatamque faciem Moyſi, hoc eſt, nudam claramque veritatem eorum quæ per Moyſen figuris illis ſignificabantur: ſed neceſſe habebant velare faciem ſuam, quoties a conſpectu & colloquio domini ille prodibat ad populum.) Et deinde, cum iam adueniſſet plenitudo temporis, per illum ipſum ſuum filium, eam ipſam Euangelicæ veritatis lucem & ſalutis doctrinam apud eoſdem, ante omnes, palam prædicari; & ſignis miraculiſque conteſtatam fieri, & rupto velamine choruſcare de crucis patibulo: Et poſt ea, perfectis conſummatiſque omnibus quæ ad ſalutis redemptioniſque noſtræ myſteria pertinent, eandem ſalutis doctrinam per certos, (quos ſibi ad hoc delegerat) certo ordine & tempore, & vt immenſæ ſuæ pietati, ſapientiſſimo ſuo, & non niſi ad vnam creaturæ ſuę vtilitatem intento conſilio (tametſi eius nos rationes lateant) congruere viſum eſt, in vniuerſum diſſeminari orbem: nihil nobis, niſi infinitæ ſapientiæ & bonitati maxime congruum occurrit: imo alius, qui aut æque, aut magis congrueret modus nõ occurrit. Quare & ita feciſſe, atq; æterno conſilio ita decreuiſſe Deũ, nihil ambigendum eſt. Poſt quod ſapientiſſimum conſilij ſui decretum, velut deinceps, ſi præuiderit qui credituri eſſent Euangelio ſuo, Qui

Ex præmiſſis patere propoſitarum quęſtionum ſolutionem.

non

non credituri, qui facilius credituri, qui difficilius. Et quod, ſi eaſdem virtutes inter gentes quaſdam prius edidiſſet, citius illæ credidiſſent, & veniſſent ad pœnitentiam: non propter hoc, ſapientiſſimorum cõſiliorum, iam ſemel conſtitutorum ratio atque ordo mutandus fuerat. Volebat equidem ille omnes credere & ad agnitionem veritatis venire, quantum ex ipſo eſt: & ea cauſa, inter ſuos primum omnium miracula edidit, & ab æterno ædere conſtituit. Quæ, etſi paucis illorum apud quos facere ea decreuerat profutura, ex ipſoꝝ obſtinatione ac malitia, velut deinceps prꝑuidit: nihilo tamen minus æque prꝑuidit profutura multis alijs, qui eadem fieri nõ viderent, ſed facta crederent, Nõ ergo fruſtra fecit virtutes apud incredulos: neq; ex parte ſui, qui propter ſe operatus eſt omnia: neq; ex parte boni vniuerſi, cuius illi præcipua cura eſt: Quanuis illis, non ſolũ fruſtra, ſed etiã ad damnationis eorum augmentum, hoc factũ videri poſſit. Tametſi non eo reſpexerit Deus, cum faceret: ſed contra potius vt crederent: ſed ſuꝑipſorum hoc eſt obſtinationis ac malitiæ, quę Deo eſt ingrata ac diſplicens. Dat ipſe multis gratiã ſuã, qua conſequantur vitam æternã, quam tamẽ non cõſequuntur: non quia ipſe, vt conſequerẽtur, noluit: ſed quia nolunt illi.

Qualis in quæſtionibus propoſitis, abſurda & perverſa ſit noſtra de deo cogitatio. Etiam illius quæſtionis ſolutio Cur crearit, quos damnandos pſciebat.

Abſurde itaq; & peruerſe cogitamus de Deo, ſi ita intelligamus, eũ velut primo præſciuiſſe, hos non credituros prædicatiõi doctrinę ſuę & miraculis, illos credituros, ſi ipſis facta fuiſſent, & apud hos noluiſſe, apud illos voluiſſe ea facere, Præſciuiſſe hos futuros malos ac reprobos, & deinde, velut poſt præſcientiam eiuſmodi, eoſdem creare voluiſſe. Imo et hic nobis ita cogitandum eſt, Quemadmodum etiam ſupra ſubinde inculcauimus. Deum a principio creare voluiſſe vniuerſum, quantum eſt & erit, genus humanum, quo ſuæ bonitatis ac felicitatis conſors fieret, abſque vllo perſonaꝝ diſcrimine: ſi tñ mandata ſua obſeruarent, aut media aſſequerentur quæ ipſe conſtituerat ad ſalutẽ neceſſaria. Et quanuis ſigno quodã ordinis ſequẽti, & tanq̃ deinceps, præuiderit plurimos præceptoꝝ ſuorum tranſgreſſores malos & reprobos fore, non propter hoc reuocandũ illi fuerat, æternæ ſuę mentis decretum, de condendo vniuerſo humano genere, Nec fruſtra facturus erat illos, ex ſuaipſorum malitia damnandos & reprobos, qui ad bonum vniuerſi præcipue reſpicit: nec quicquam tam malum eſt, vnde magis bonum non eliciat: maius, inquam, vniuerſo.

Peroratio.

Et hactenus quidem, diuinæ præſcientiæ, prædeſtinationis, reprobationis, prouidentiæq; qua ſapientiſſime iuſtiſſimeq; diſpẽſantur omnia, dilucide, vt exiſtimo, atq; etiã breuiter, pro rei magnitudine, tãetſi prolixius q̃ requirebat inſtituti negotij ratio a nobis explicatę ſunt: & clariſſime demonſtratum, vt libertati arbitrij noſtri nihil præiudicent, ſed vbique ſubſcribant & conſentiant.

OCTAVI LIBRI FINIS.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber IX.

Præcipuos quoſdam ſcripturarũ locos, etiam orthodoxis omnibus intellectu difficiles, quibus præcipue nituntur aduerſantes libertati arbitrij, & omnia in diuinæ voluntatis immutabile decretũ referentes ordine ſubijcere, & apparentem in eis difficultatem ante oculos ponere. Rationes quoque pleraſq; apparentes inducere, ex quibus videtur non æquam eſſe erga omnes Dei beneficentiam & miſericordiam, nec velle eũ omnes ſaluos fieri.

Caput I.



QVONIAM INVENIVNTVR IN ipſis diuinis ſcripturis, quędam ita poſita, vt ſint, his quidem odor vitæ in vitam, alijs vero odor mortis in mortem: pijs, humilibus, & ſapientiæ ſtudioſis, vberem materiam, in qua exercere atque explicare poſſint fructũ ingenij, ſubminiſtrantia: ſuperbis vero, & in oculis ſuis ſapientibus, lapis offenſionis, & petra ſcandali: ijs, inquam, qui non didicerunt ad ſobrietatem ſapere, & ad dictam pietatis regulam ſimpliciter incedere, neq; captiuare intellectum in obſequium fidei, ſi quis incidat locus, qui eidem regulæ aduerſari videatur. Ea nunc proferemus in medium, ex quibus qui derogarunt libertati arbitrij, & vniuerſa q̃ accidunt, ad ineuitabilem nobis vim diuinę voluntatis referunt, peſtiferi erroris ſui occaſionem ſumpſiſſe videri poſſint. In quibus etiã ad pietatis regulam explicandis, vt ab initio laborarũt orthodoxi oẽs, ita nec nos pigebit poſt illos immorari aliquanto diligentius, nec te lector legiſſe pœnitebit. Sunt autẽ fere præcipua, quæ ex Pauli ad Romanos proferuntur epiſtola, quam fere vniuerſam, magnis perplexiſque obſcuritatibus inuolutam experti fatentur tractatores vniuerſi.

Scripturarum loci q̃bus derogari videtur libertati arbitrij humani.

Locus Apoſtoli de Eſau & Iacob.

Inprimis aũt occurrit illud, quod oſtenſurus non carnis ſed electionis promiſſioniſq; filios æſtimari in ſemine. De Eſau et Iacob inducit, eodẽ conceptis concubitu, eodẽ partu editis. Cũ em̃, inquit, nondũ nati fuiſſent, nec aliqd boni egiſſent, aut mali, vt ſecũdum electionem, propoſitũ Dei maneret, nõ ex operibus, ſed ex vocãte dictum eſt ei. Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi Eſau aũt odio habui, Ex nullo ergo operũ, quanuis futurorũ, reſpectu aut præſciẽtia, ſed ex mera Dei electiõe, pendet fratrũ diſcrimẽ, vt hic diligatur, ille ſit odio habitus: hic numeratus inter filios, & in regni hæreditatem cooptatus,

ille a filioꝝ ſorte & hæreditate reprobus. Quod autẽ ex vno Dei pro-
poſito & electiōe, non ex operibus noſtris pendet, certum eſt, in eo, ar-
bitrij noſtri nullas partes eſſe, necꝗ in noſtra id poteſtate conſtitutũ. In
nullius proinde poteſtate erit, ęſtimari in ſemine, aut inter filios Dei cõ
putari, Si vnius (quod dicere videtur Apoſtolus) electionis diuinæ &
voluntatis ſit. Aduerſus q̃, inductã a ſe obiectionem ex diuina æquita-
te & iuſtitia, cui hæc aduerſari videntur, ita refellere pergit, vt vniuerſa
nr̃a, ex vnius Dei volũtate pendere velut ex inſtituto videatur aſſere-
re: nec quicꝗ̃ nobis in illis reliquum facere. Quid ergo, inqt, dicemus?
Si ex vno Dei propoſito & electiōe pendet, quod hi æſtimentur in ſe-
mine, illi minime, nunqd iniquitas eſt apud Deum, q tam inæqualiter
inter æquales & in oĩbus pares, diſcernit, & iudicat? q hunc electiōe di
gnatur, illum minime? Reſpõdet, iniqtatis ob hoc Deum argui nõ poſ
ſe. Abſit, inqt, vt ſit iniquitas apud Deum. Moyſi eñ dicit. Miſerebor, Dictũ Moyſi, Miſerebor cuius miſereor, &c.
cuius miſereor, & miſericordiã pręſtabo cuius miſerebor, Igitur non
volẽtis, necꝗ currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Hoc rñſo, ſcripturę autho
ritate confirmari qdem videt̃ id quod in aſſumpto erat, ex vna Dei e-
lectiōe et voluntate pendere, vt eius aſſequamur miſericordiã, & in nu
mero filioꝝ eius ęſtimemur: ſed inductã cõtra obiectionẽ ex iuſtitia et
æquitate diuini iudicij non diluit. Quẽadmodum & ijs q̃ de Pharao- De Pharaone.
ne continuo ſubiungit, Dicit eñ, inquit, ſcriptura Pharaoni. Quia in
hocip̃m excitaui te, vt oſtendã in te virtutem meam, & annunciet̃ no-
men meum in vniuerſa terra. Ergo cui vult miſeretur, & quẽ vult in-
durat. Quibus aperte ſubſcribere videtur Apoſtolus aduerſarioꝝ ſen
tentiæ, quã vt impiam, in Deũ blaſphemam, & vniuerſæ eccleſiæ, imo
totius orbis ab initio cõdemnatam ſentẽtia, hactenus impugnauimus,
Nam ſi a Deo in hocipſum ſit factus Pharao, vt in contumace et diui-
nis iuſſis repugnante oſtenderetur Dei potentia, non fuerat eius pote-
ſtatis et arbitrij feciſſe aliter: p̃ſertim, qñ etiam induratũ a Deo cor eius,
ne mandatis ſuis obtemperaret, ſcriptura affirmat, Miſſo ſiqdem ad il-
lum Moyſe & Aarone, cũ mandatis ſuis, eoſdẽ præmonuit quod audi
turus ipſos non eſſet, eo ꝙ ipſe induraturus eſſet cor eius, quo multa in
eũ vniuerſamꝗ Aegyptũ ſigna fierent. Ego, inqt, indurabo cor eius,
& multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Aegypti, & non audiet
vos. Si a Deo induratus eſt Pharao, et per hoc quod induratus eſt, deli
quit, non ſibi ipſe cauſa delicti extitit, nec in eoipſo arbitrij habuit liber
tatem, ſed ex dei hoc volũtate pendebat, Quod, ſi in Pharaone verꝰ eſt,
eadẽ ratiōe erit & in oĩbus. Quodipſum etiam in ſubſequentibus ver
bis innuere videt̃ Apoſt. ex illo quod de Pharaōe ſpecialiter dictũ eſt,
vniuerſaliter inferẽs. Ergo cuius vult miſeretur, et quem vult indurat. Cuius vult miſeretur, &c.

Quodipſum etiam ex eo, quod per Ezechielem dicit dñs, confirma
ri videtur, Auferã, inquit, eoꝝ corda lapidea, & immittã eis carnea, vt

in præceptis meis incedant, & iuſtitias meas cuſtodiant, Quibuſdam ergo (quod de Pharaone affirmat ſcriptura) indurat cor Deus, ne poſſint mandatis eius obſequi: alijs induratum & lapideum cor aufert, & cor melius ac ſenſibilius inſerit, quod cor carneum vocat, quo in præceptis ſuis incedant, & iuſtificationes ſuas cuſtodiant, Ergo, inquit ille, cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.

Aduerſus q̃, paulo ante inductam de diuina æqtate & iuſtitia nondũ diſſolutã obiectionẽ repetens, ac rurſus inducens, ita refellit, vt maioribus adhuc obſcuritatibus vniuerſa videatur inuoluere, Dicis itaq; mihi, inqt, Quid adhuc q̃ritur Deus de nobis ſibi nõ obſequentibus, ſi ille q̊s vult indurat, ne ſibi poſſint obſeq? Volũtati em̃ eius qs reſiſtit? Et hactenus, cõtradictor aliqs, inductã paulo ante obiectionẽ repetẽs, quaſi nõ ſolutã ſed confirmatã potius per ea q̃ illi reſpondẽdo ſubiunxit Apoſt. Quẽ in hunc modum ꝑgit repellere. O homo, inqt, tu quis
De figmento & figulo. es, qui contra reſpondeas Deo? Nunqd figmentũ dicit ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatẽ luti figulus, ex eadẽ maſſa facere aliud quidẽ vas in honorẽ, aliud aũt in cõtumeliam? Quod ſi in hunc modum fiant homines a Deo, velut lutea vaſa a figulo, vnũ quidem in honorem, aliud vero in contumeliam, nihil eius pendet ex hominibus: ſed vniuerſum ex plaſte deo, vt hic ſit vas miſericordię in honorem, ille, vas iræ in interitum et contumeliam. Quemadmodum ex vno fictore & opifice eſt, vt ex eodem luto fiat hoc quidem vas menſis aptum, illud deſtinatum ſterquilinijs. Hoc ipſum, etiam ex eo confirmari videtur, quod eodẽ loco aliquanto ſuperius idem præmiſit A-
Diligentibus deum, ſed ijs q ſecundũ propoſitũ vocati ſunt ſancti, cooperari omnia in bonum. poſt. dicens, Diligentibus Deũ, ſed ijs, q ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, vniuerſa cooperari in bonũ. Quos em̃ prædeſtinauit, inqt, aut prædefiniuit ad vitã, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos aũt iuſtificauit, hos & glorificauit. Ex qbus equidẽ Apoſt. verbis euidens videtur, non iuſtificari nec glorificari aliquẽ, niſi a Deo vocatum, ſecũdum eius electionẽ aut propoſitum prædefinitionemq; æternam. Quod ſi ita, nihil eius pendere videtur ex nobis, cum arbitrij noſtri aut poteſtatis nr̃æ non ſit, quid de nobis ab æterno conſtituerit dñs: elegerit nos, nec ne, quos dignaretur vocare in tẽpore: prædeſtinauerit ad iuſtificationẽ & gloriam, an ſecus. Nam vniuerſum iſtud, vnius ipſius eſt, et fuit priusq̃ nos faceret: imo priusq̃ mundum conſtitueret, Sicut, inqt, elegit nos in Chr̃o ante mundi creationẽ, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, in charitate: qui prędeſtinauit nos in adoptionem filiorꝝ Dei, ꝑ Ieſum Chr̃m in ipſum, ſecundũ propoſitum voluntatis ſuæ, vt laudetur gloria gratię ſuæ, qua charos nos reddidit in dilecto filio ſuo. Perinde ac ſi diceret, Quia nihil electione ſua dignum reperiebat in nobis cœleſtis pater, in Chriſtum oculos ſuos conuertit, vt tanq̃ ex eius corpore, membra eligeret, quos aſſumpturus

erat

erat in vitæ conſortium. Elegit nos in ipſo, non in nobis, nec vllo meritorū aut operum noſtrorū reſpectu: elegit aūt ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ. Vbi regnat hoc Dei beneplacitum, nulla in conſiderationem veniunt aut opera aut merita. Elegit deniq; vt eſſemus ſancti & immaculati: & nō q̄a futuri eramus ſancti. Sanctificatio & puritas, electionis effectus, nō cauſa eſt, Nihil ergo, eius ſitum videtur in nobis: cum electio ipſa, vnde hæc dependent, noſtri arbitrij non ſit.

Id quod Caluino videtur etiam magis cōfirmari ex eo quod ait, Secundum propoſitum voluntatis ſuæ, quod propoſuerat in ſemetipſo. Siquidē Deum propoſuiſſe in ſemetipſo, perinde valere exiſtimat, ac ſi diceretur, nihil extra ſe cōſideraſſe, cuius rationem in decernendo haberet, Proinde & ſubijci ab eodē Apoſtolo, huc pertinere totā electiōis nr̄æ ſummā, vt ſimus in laudem diuinę gratiæ, Quę, inq̄t, laudem non mereretur in electione nr̄a niſi eſſet gratuita, Porro eam gratuitā nō fore, ſi in ſuis eligēdis, dominus qualia ſint futura cuiuſq; opera reputat.

Sunt præterea & in Euangelijs nonnulla, q̄ difficultatis nō parū incauto inexercitatoq; lectori ingerunt, atq; etiā ſcādalo ſunt parū firmis in fide, Vt eſt illud, quod apud Marcū legit̄, dixiſſe Saluatorē ad diſcipulos, cū eiſdem diſſereret ſeminantis parabolā. Vobis datū eſt noſſe myſterium regni Dei: illis aūt, q foris ſunt, in parabolis oīa fiunt: vt videntes videant, & nō videant: audiētes audiant, et nō intelligant: ne q̄n conuertant̄ et dimittantur eis peccata, Si nō poſſunt intelligere & credere hoīes, q̄ ſuę ſalutis ſunt, niſi q̄s aperte doceat: non eſt aūt in eorū poteſtate, vt q̄s ipſos aperte doceat, imo, ille ip̄e doctor noſter dicit, propterea ſe eis nō prędicare manifeſte, ne forte audiant, & intelligant, et conuertant̄ et ſaluentur: nō vtiq; in ipſis ſitum eſt, vt ſalui fiant, Et ſiq̄dem nō eſſet adiectū quod dixit. Ne forte cōuertantur et remittatur eis, poſſet pronior eſſe reſponſio: qua diceremus, ideo noluiſſe Saluatorē illos q̄bus loquebat̄ in parabolis, intelligere regni cœleſtis myſteria, ne grauiori dānationi ipſis foret agnita veritas, quos præſciebat p̄manſuros in malitia, Nūc autem, cum adiectum ſit, Ne forte conuertantur & dimittantur eis peccata, maior ſanæ intelligentiæ difficultas ingeritur.

Locus ex Marco, de ſemināti parabola.

Nec minus illud Iohannis Euangeliſtæ, quo velut obſtupeſcens obſtinatam duriciem & prodigioſam infidelitatem illius Iudaici populi, quæ tot, tantiſque ſignis emolliri, & a corde eius dimoueri neutiquam potuerit, eamipſam a propheta prænunciatam commemorat, magnam difficultatem præ ſe ferre videtur.

Locus ex Iohāne, difficilis.

Cum aūt, inq̄t, tanta ſigna feciſſet corā eis, non credebant in eū: vt ſermo Iſaię cōpleretur, quem dixit. Dn̄e quis credidit auditui nr̄o: & brachium dn̄i cui reuelatum eſt? Propterea nō potuerunt credere, quia iterum Eſaias dixit. Excæcauit oculos eorū, & indurauit cor eorū, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur et ſanem eos.

Hæc dixit Eſaias qñ vidit gloriam eius,& locutus eſt de eo. Hactenus verba Euangeliſtæ. Quæ ſane non immerito ſcrupulum, ambiguitatem, atq; etiam laqueum inijcere poſſent Lectori, ad pietatis regulam parum attento, nec ſatis firmiter adhærenti ſacræ illi anchoræ. Nam ſi ideo non credebant, vt ſermo Eſaiæ impleretur, qui non potuit nõ impleri, (Non em̃ poteſt ſolui ſcriptura, vt veritatis voce aſſeritur) Quæ fuit Iudęoꝝ culpa, q̃ non crediderint? Si non poterant credere, propterea quod iteꝝ dixit Eſaias. Excæcauit oculos eoꝝ & indurauit cor eorum, & q̃ ſequuntur: Quod eſſe poteſt peccatum non facientis, quod nõ poteſt facere? Et quod abſurdius eſt, videtur in Deum cauſa huius infidelitatis referri, Quandoquidem ipſe dicitur excæcaſſe oculos eorum, et induraſſe cor eoꝝ ne viderent aut intelligerent, neve ſanarẽtur.

Scripturæ loci qui videntur Deum authorem peccatorum noſtrorum facere.

Sũt adhæc & alia nonnulla q̃ videntur Deũ authorẽ maloꝝ et peccatoꝝ noſtroꝝ facere, Sic Ioſeph poſt mortẽ patris fratribus cõmiſſi in eũ ſceleris conſcijs, vindictæ timorẽ detrahens, et benigne eos conſolatus, vniuerſum illud ab ipſis patratũ, diuinæ videtur voluntati aſcribere, Nõ vos eſtis (ſic citat Caluinus) q̃ me vendidiſtis in Aegyptum ſed Dei volũtate præmiſſus ſum ante vos vt vitã vobis conſeruarem. Vos q̃dem cogitaſtis de me malum, ſed dñs conuertit illud in bonũ. Sic Iob in facto et peccato Chaldæoꝝ, quo ipſius vniuerſa, partim internetioni dederant, partim vi aſportauerant, et deprędati fuerant, diuinũ opus et voluntatis eius ordinationẽ agnoſcens, ſemetipſum pulcherrima illa ſententia conſolatus eſt, Dñs dedit, dñs abſtulit, ſit nomẽ dñi benedictum. Sic Dauid conuitijs ac lapidibus a Semei impetitus, cũ ſuos a prohibenda retaliandaq; iniuria prohiberet, dixit, Sinite eũ, q̃a dñs præcepit ei vt maledicat Dauid. Sic Amos denunciat non fore malum in ciuitate quod non fecerit dominus. Sic Hieremias acerbe redarguit eos qui euenire aliquid calamitatis putabãt, non iubente Deo. Sic in Prophetis homines per quos infliguntur mala, dicuntur eſſe ſanctificati ad opus domini exequendum: vocanturque & retia & gladij & ſecures, quæ manu eius dirigãtur: organa itẽ iræ domini quæ ſibilo eius ſolo excitentur. Sic Pilatus & Herodes cum ad Chriſtum extinguendum coirent, dicuntur conueniſſe, ad peragenda, quæcunq; manus & conſilium domini decreuerant. Sic Iudæi, Chriſtũ, definito eius conſilio & ſcientia traditum interemiſſe, atq; ita conſummaſſe, quę de Chriſto ſcripta erant: quemadmodum et de militibus toties repetitur, quod omnia fecerint q̃ ad ſcripturæ complementum pertinebant.

Ioſeph, fratrem aduerſum ſe cõmiſſum, diuinæ volũtati aſcribere.

Iob in Chaldæorum peccato opus diuinæ volũtatis agnoſcere.

Dauid maledicta Semei diuino mãdato aſcribere.

Amos affirmare, non fore malũ in ciuitate, quod nõ fecerit dominus. Idem quoq; Hieremias.

Malos, organa iræ domini, q̃ manu eius dirigãtur.

Pilatũ & Herodem, aduerſus Chriſtũ p̃egiſſe, quæ conſilium domini decreuerant.

Iudæos Chriſtum, definito eius cõſilio traditum, interimendo cõſummaſſe ſcripturas.

Hoc inprimis certũ videt̃, voluiſſe Deũ, vt pateret̃ Chr̃s, quo nr̃ę redẽptionis pretiũ dependeret: quẽ patri ea in re obedientẽ fuiſſe ad mortẽ vſq; Apoſt. affirmat. Quin et Chr̃s clariſſimis verbis teſtat̃ voluiſſe patrẽ, vt calicẽ paſſionis ebiberet, Cuius inſtante iã paſſione et morte q̃ veritatẽ humanę in ſe naturę conteſtatã faceret, & infirmitatem expri-

meret,

meret,cum vt homo amariſſimam illam paſſionem & mortem refugeret,oraretq́ patrem,vt ſi fieri poſſet, transferret a ſe eiuſmodi paſſionis calicē,ſemper adiecit, Veruntā,non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, Voluit ergo eum pater,paſſionis illum calicem ebibere:voluit eum immolari in crucis patibulo:voluit occidi & interimi. Noluit aūt, vt ſemet occideret, Voluit ergo,vt occideretur ab alijs : nempe a Iudæis, Pilato & eius militibus, Videtur ergo vt his qui Chriſtum occiderunt & crucifixerunt,diuina voluntas cui reſiſtere non poterant,ſui peccati damnationiſq́ cauſa fuerit. Et hactenus quidem quæ ex ſcripturis difficultatem haud ſane leuem aduerſus catholicam, quam ſupra explicauimus, ſententiam, de noſtri libertate arbitrij,diuina quoq́ prouidentia ingerere videntur,q̄tum potuimus apparenter, contra orthodoxam veritatem induximus, ne forte diſſimulaſſe & declinaſſe eorundem vim & efficaciam nos calumnientur aduerſarij, vt quiduis facile in calumniam rapiunt. Iam & cōtra id,quod toties ante aſſeruimus. Velle Deū omnes ſaluos fieri: eo fine ab æterno diſpoſuiſſe vniuerſam indiſtincte rationalem naturam condere,quo ſuæ beatiſſimæ bonitatis eſſet particeps:nec ex ea quoſdā ſimpliciter elegiſſe quos ſaluare vellet,& nō alios, ſed diſcretionē Dei de hoībus,ad præſcientiā diſcriminis,quod in ipſis videt & non fecit,referri oportere:alioq̃,quod ex ipſo eſt,pium ſe patrē æqualiter prębere oībus,nec perſonas accipere. Aduerſus hæc,inq̄,oīa, occurrunt multa,quæ maximam difficultatem videntur ingerere.

Rationes, ex quibus videtur ex Dei beneplacito perdere, vt pereant, qui pereunt, Et quod non æqualem ſe, patrem exhibeat omnibus.

Videmus liberari partē hoīm,pereunte parte altera,ſed multo maxima:quod ne poſſis aut voluntatū meritis, aut diſcrimini quod p̄uidit Deus & non fecit in ipſis hoībus aſcribere, vt malos neglexiſſe gratia, bonos elegiſſe videatur,reſiſtit nobis innumerabiliū cauſa populoꝝ,quibus per tot ſæcula,nullā cœleſtis doctrinæ annunciationē fecit. Qui in præteritis ḡnationibus dimiſit oēs gentes, ſuas vias ingredi : & vnū ex omnibus,quaſi nō æque ad ſe p̄tinerent cæteri,ſibi peculiarē populū elegit,quē ſpecialibus ad pietatē inſtitutis, dirigeret,ſuſtineret, ſubleuaret lapſum et auerſum flagellis & bn̄ficijs erudiret et reuocaret. Quod idē, ſi præſtitiſſet alijs(q̄d de Tyro & Sidone affirmat Chriſtus)olim in cinere & cilicio pœnitentiā egiſſent. At poſt,in plenitudine tēporꝝ,reprobato illo ipſo quē ita ſpecialiter elegerat,peculiari ſibi populo,ſalutis doctrinā & gratiæ ſuæ diuitias,miſſis in orbē vniuerſum ſuæ illius tā obuiæ ſalutis nuncijs copioſiſſime effudit. De q̄bus ſcriptū eſt, Populus q ambulabat in tenebris vidit lucē magnam, & ſedētibus in regione vmbræ mortis,lux orta eſt eis. Et ad q̄s dicit Apoſtolus, Vos aūt genus electum,regale ſacerdotiū,gēs ſctā,populus acq̄ſitionis,vt virtutes annuncietis eius,q de tenebris vos vocauit in admirabile lumē ſuum. Qui aliq̄n nō populus dei,nunc aūt populus Dei, Qui nō cōſequuti miſericordiam,nunc aūt cōſecuti miſericordiā. Quæ donoꝝ dei erga genus hu-

Ex cauſa Iudæorum & Gentium.

manum tanta diuerſitas,ne poſſit aſcribi diſcrimini, quod Deus inuenit nõ fecit in illis prioribus & poſterioribus ſæculis: quaſi generoſior auis,minorꝝ ſit orta ſucceſſio, aut horꝝ meritis tributũ ſit, quod nõ meruere priores, ſed ex vnius diuinæ voluntatis bñplacito dependere indubitatum ſit,ipſa cõuincit rei euidentia.Nam quales mores eius ſæculi,quo aduenit operari ſalutem humani gñis, inuenerit Chr̃s, probauit Iudaici furoris impietas,& quã apta,ſi ipſam per ſe expendas, fuerit Euangelio Chriſti illa generatio, non ſolum populi ſed etiam ſcribarꝝ & principum ac ſacerdotum corda docuerũt:quibus parꝝ fuit,in agnum illum Dei tollentẽ pctã mundi,contra teſtificationẽ legis, cõtra oracula prophetarꝝ,contra diuinarꝝ experimẽta virtutum, ſeditionibus,contumelijs,ſputis,colaphis,lapidibus, flagris, ad poſtremũ crucis atrocitate ſæuijſſe,niſi etiã teſtes reſurrectiõis eius,eadem perſequerent̃ inſania.Ita vt ad manifeſtandam dei gratiam,quæ ex æterno eius incõmutabiliq; conſilio in ſalutem oĩm gentium diſponebatur,non priora ſæcula deuitata,quaſi incapacia,ſed iſta electa videri poſſint,quæ tales populos edidere,Quorꝝ ferox & voluntaria iniquitas,non conſulendi affectu, ſed ſæuiendi propoſito perſiſteret facere,quæ manus Dei & conſilium decreuerunt fieri.Et quo mirabilior appareret dei gratia,& potentia,q̃ de tam duris animis,tam tenebroſis mẽtibus, tã inimicis cordibus fecit ſibi populum ſubditũ,fidelem,ſctm̃.Hoc certe nemini obſcurũ eſſe põt, quæ hoĩm merita inuenerit Chriſtus:quos mores ſubiecerit ſibi: quæ ad ſe corda conuerterit,qñ venit mederi,nõ ſanis, ſed malehabentibus, & vocare nõ iuſtos,ſed pctõres:qñ gentium populis qui in tenebris ſedebant,& in regione vmbræ mortis habitabant, lux illa ſalutaris diuinitus illuxit:qñ frementibus gentibus,iraſcentibus populis, ſæuiẽtibus regibus, poteſtatibus contradicentibus, ſuperſtitionibus & erroribus totius mundi vna cum ſuo principe reluctãtibus, tamen roborabatur fides & vincebat veritas:imo & de reſiſtentibus,furentibus,perſequentibus,populũ ſuum Chriſtus augebat.Aperta vis hæc erat diuinæ gratiæ,& nõ merita hoĩm:imo quæ ſub grauiſſimis peccatis hoĩm vi ſua efficacius operata eſt,& clarius enituit: vt vbi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia.Quo igitur pacto verum eſt,deum cõmunem patrẽ ſicut & cõditorem ſe oĩbus exhibere:q in præteritis gñationibus tã parce effudit ſuã gratiã:poſt aduentũ aũt in carnẽ ſui filij, ineffabiliũ donorꝝ ſuorꝝ fluminibus vniuerſum mundũ adeo copioſe irrigauit?

Ex paruulorum vniuerſali multitudine.

Iam etſi ad vniuerſalem multitudinẽ paruulorꝝ reſpicias,quo pacto idem tibi videri poterit?Qñquidem in illis, excepto eo,quo in dãnationẽ naſcit̃ genus humanũ,delicto, nec p̃terita poſſunt merita nec futura cẽſeri.Oẽs eñ ij,añ vllũ intelligẽtiæ vſum,añ liberꝝ volũtatis arbitriũ,alij ad æternã beatitudinẽ regñati,alij ad ꝑpetuã miſeriã tranſeũt nõ renati. Si ad originis culpã reſpicis,oĩs nũerus in reatu eſt: ſi moralẽ innocẽtiã

quæ

quæris,omnis ſumma ſine vitio eſt,Non inuenit quod diſcernat dei iuſticia:attñ eoſdem diſcernit diuina electio,Cui vni aſcribendum videt̃, quod iſti ſalui fiant renati,iſti pereant non renati.Nam cui hæc alteri aſcribi poterunt,quam vni illi ſub cuius prouidẽtia & omnipotentia eſt ſpūs vniuerſæ carnis? in cuius manu oīs viuentis anima? ſine cuius voluntate nec folium ex arbore decidit? Per quem fit,vt multis ſæpe quos ſuorꝫ impietas deſeruit,alienorꝫ cura ſeruauerit: & ad regenerationem venerint per extraneos,quæ eis non fuerit prouidenda per proximos, Et quo modo oēs homines Deus ſaluos fieri voluerit,qui non oībus,illud tempus impartit,in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ capaces ſint? Quod ſi inſuper & ad exitum hominū tam varium q̃ eſt paſſim cernere,quis dirigat mentis oculos,vt hic transferatur a deo, quo tempore in via mandatorꝫ eius fideliter ambulat,ne ſi inter pc̃tõres viuat diutius,aut malitia mutaret intellectum eius , aut fictio ipſius animum deciperet:ille totam pene vitam in timore dei exigens,permittitur tandem in pc̃tm̃ cadere,in quo decedens perpetuę fit damnationi obnoxius.Contra alter,inter innumera pericula,ſceleratiſſimam vitam longo tempore ſecurus exigens,tandem gratiam inuenit:& in ipſo vitæ fine,atq; adeo extremo halitu ſacramento baptiſmatis Chriſti renouatus,ſine vllo bonorꝫ operum ſuffragio , in cœleſte regnum transfertur.Si,inquam,ad hunc tam varium hinc exitum hominum quis dirigat mentis aciem , quonam pacto credere poterit Deum velle oēs ſaluos fieri , & omnibus , quod ad hoc attinet , æquum ſe & benignum patrem exhibere:& non potius,erga hos,affectum paternum oſtendere,quos vult ſaluos fieri,& velut ad id ſpecialiter electos omni cura ſeruat,gubernat,dirigit,quo ad ſalutem perueniant , dimiſſis alijs abire in ſenſum reprobum, quaſi ad ſe non pertineant?

Ex tam vario hominū exitu,quā eſt paſſim cernere.

Et quanq̃ ita dicat Apoſtolus,deum velle abſq; diſtinctione oēs ſaluos fieri,& ad agnitionē veritatis venire,hoc tñ non ita ſimpliciter intelligi poſſe,niſi velimus oēs quoq; ſaluos fieri.Cū nō minus diuinus hoc ſpūs per ſcripturam affirmet,perfeciſſe illum omnia q̃ voluit,Aeque et oēs ſaluos fore,dicit dn̄s per Hieremiā,Ecce dies venient dicit dn̄s,& ſeriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum . Et hoc erit pactum quod faciam cum domo Iſrael,Poſt dies illos dicit dn̄s,dabo legem meam in viſceribus eorꝫ:& in corde eorꝫ ſcribam eam,Et ero eis in deum, & ipſi erunt mihi in populum,Et nō docebit vir vltra proximū ſuum, & vir fratrem ſuum,dicens,Cognoſce dn̄m,Omnes em̄ cognoſcēt me, a minimo vſq; ad maximum,ait dn̄s:quia propiciabor iniquitati eorꝫ, & peccati eorum nō memorabor amplius , Et dabo eis viam alteram, & cor aliud , vt me timeant omnes dies in bonum ipſis & filijs eorum poſt eos : & conſtituam illis teſtamentum æternum , quod non auertam poſt eos : & timorem meum dabo in cor eorum , ne diſcedant a me:

De illo Apoſtoli, Qui vult omnes ſaluos fieri.

Loci ſcripturarum, ex quibus videtur omnes ſaluos fore.

a me:et viſitabo eos,vt bonos eos faciam. Et per Eſaiam. Per meipſum, inquit,iuro,aut,In memetipſo iuraui,egredietur de ore meo iuſtitię verbum,& non reuertetur,quia mihi flectetur omne genu,& confitebitur omnis lingua Deo. Si ergo impoſſibile eſt iſta nõ fieri, quia nec incerta præſcientia Dei eſt,nec mutabile conſilium,nec inefficax voluntas, nec falſa promiſſio,omnes iſti de quibus hæc prędicta ſunt,ſine cuiusꝗ exceptione ſaluantur,Nam ſi hoĩs confirmatum teſtamentum, vt Apoſtolus loquitur,nemo ſpernit aut ſuperordinat,quõ fieri poterit,vt vlla ex parte diuina reſoluatur promiſſio: pręſertim ꝗ iureiurando interpoſito confirmata eſt? Credituros eñ promiſit, qui dixit, Et non docebit vnuſquiſꝙ proximũ ſuum:& vnuſquiſꝙ fratrẽ ſuum,dicens,Cognoſce dñm,quia omnes cognoſcent me a puſillo eoꝝ vſꝙ ad magnũ. Reconciliandos promiſit,ꝗ dixit,Propitius ero iniqtatibus eoꝝ,& pc̃toꝝ eoꝝ memor nõ ero. Obedituros promiſit,ꝗ dixit, Dabo illis viã alterã, & cor aliud,vt timeãt me oĩbus diebus. Perſeueraturos promiſit, ꝗ dixit,Timorem meum dabo in cor eoꝝ,ne diſcedãt a me,& viſitabo eos, vt bonos eos faciam. Poſtremo oẽs ſine cuiusꝗ exceptione ſaluos fore promiſit qui dixit,Per memetipm̃ iuro,niſi exibit de ore meo iuſtitia,et verba mea nõ reuertentur, Quia mihi flectetur omne genu & confitebitur omnis lingua deo. Hic ſi dicamus non fieri,quod fore, imo quod ſe facturum iurauit Deus,falſitatẽ deo,quod abſit,& mendaciũ aſcribimus veritati,Si aũt,vt pietas fideſꝙ pſuadent, Dei verba nõ excidunt, & fit omnino,quicquid voluit,quicqd ſtatuit, quõ nobis veracis promiſſionis firmitas apparebit,cum multa adhuc hoĩm milia dæmonijs ſeruiant,& idolis genua flectãt,niſi huiuſmodi denunciationes Dei, ſecundum illam infallibilem ſcientiam in qua apud illum iã vniuerſitas hominum diſcreta eſt:& velut duæ,altera bonorum,altera maloꝝ conſtitutæ vniuerſitates ſunt,æditas nouerimus:ita vt ſiue de bonis,ſiue de malis loquat̃,ita vnius partis meminit, quaſi neminem hoĩm p̃mittat. In quẽ modũ,cum dicit Apoſtolus, Vetera tranſierunt,ecce facta ſunt oĩa noua,nunquid nõ oẽs homines videt̃ dixiſſe renouatos? Aut cum dicit,Quia in ipſo cõplacuit oẽm plenitudinem habitare,et per ipm̃ reconciliari omnia in ipſo:nunquid ita loquitur,quaſi neminẽ velit exortẽ huius recõciliationis intelligi? Similiter cũ ait,Nouiſſimis his diebus loquutus eſt nobis in filio,quem conſtituit hæredẽ vniuerſorũ, nunqd aliud ſonat forma ſentẽtiæ,quã oẽs homines,in Chr̃i hęreditate a patre eſſe tranſſcriptos,ſecundum prophetiam Dauid dicẽtis, Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam & poſſeſſionem tuã,terminos terræ? Dicente quoꝙ dño,Si exaltatus fuero a terra,oĩa trahã ad me:nõne vniuerſorum videtur promiſſa cõuerſio? Aut cũ de eccleſia prophetatur & dicit̃,Oĩs vallis implebitur, & oĩs mons & collis humiliabit̃: & erunt praua in directum, & aſpera in vias planas: nunqd vllus hominum

Formulæ, ſecundum quas vniuerſales in ſcripturis elocutiões pleraſꝙ intelligi oporteat. Multa eius exempla.

num videtur omiſſus,qui nõ ſignificatus ſit Chriſto ſubdẽdus: Quid cum dicitur,Et veniet omnis caro in conſpectu meo,vt adorẽt in Hieruſalem dicit dñs? Aut illud,Effundã de ſpũ meo ſuper oẽm carnem. Et quod dicit Dauid? Alleuat dominus omnes qui corruunt,& erigit omnes eliſos:Nunquid non ita pronũciata hæc ſunt,quaſi ab hoc Dei munere nemo diſcretus ſit? Quæ tamen,vt dictũ eſt,de altera tantum illa vniuerſitate,bonorum videlicet,& Dei populi,qui in mente diuina ſuam plenitudinem ſuis finibus tranſcriptam habet,neceſſario intelligenda ſunt. Et q̃uis pars hoĩm multo maxima,ſaluantis gratiã aut repellat aut negligat,in electis tamen & præſcitis, atq; a diuerſa gñalitate diſcretis,ſpecialis quædã cenſetur vniuerſitas:vt de toto mundo,totus mundus liberatus,& ex oĩbus hominibus oẽs videanẽ aſſumpti. Proinde & cum de impijs ſermo eſt,ita loquutionem ſuam diuinus ſtylus ordinat,vt ea q̃ de quadã parte dicuntur,ad omnes hoĩes pertinere videanẽ. Quale eſt illud quod apud Iohannẽ ait ille Baptiſta,Qui de cœlo venit,ſuper oẽs eſt:& quod vidit & audiuit hoc teſtatur:& teſtimonium eius nemo accipit:hoc ſane,nemo, ſuã illam impiorꝫ vniuerſitatẽ reſpicit:cum de altera illa piorꝫ vniuerſitate dicatẽ, Dabo legem meã in viſceribus eorum,& in corde eorꝫ deſcribam eam. Et non docebit vnuſquiſq; proximum ſuũ,& vnuſquiſq; fratrem ſuũ,dicens, Cognoſce dñm,quia omnes cognoſcent me a minimo eorꝫ vſq; ad maximũ. Quam ipſam vniuerſitatem,reſpicit etiam illud q̃d citatis nunc verbis continuo ſubiunxit. Qui aũt accepit teſtimoniũ eius,ſignauit,quia Deus verax eſt. Iam continuo dixerat,teſtimonium eius neminẽ accipere, Quod neceſſe eſt,vt ſuam aliq̃ vniuerſitatem reſpiciat, de qua negatur vniuerſa,quod eius teſtimonium acceperit. Proinde quod ſubdit,Qui aũt accepit teſtimonium eius,ad aliam vniuerſitatem neceſſario ꝑtinet, Sic & hinc dicĩ a Chriſto veritatis ꝑconibus, Et eritis odio omnibus hominibus propter nomẽ meũ. Inde vero ab eius Apoſtolo,Apparuit gratia ſaluatoris noſtri Dei omnibus hoĩbus. Et cum eſſent alij qui oderant,alij qui odijs perſequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione oĩm hominum priuabatur:habente quidem ſalutis ſuę dãnum rebellium portione,ſed obtinente plenitudinis cenſum fideliũ dignitate. In hunc modũ,& hæ loquutiones accipiendæ ſunt, Omnes, quæ ſua ſunt,quærũt. Et quod pſalmus Dauidicus canit,Dñs de cœlo proſpexit ſuper filios hominum,vt videat ſi eſt intelligens aut requirẽs Deum,Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt,non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum. In quibus & ſimilibus, quæ innumera paſſim in ſcripturis occurrunt, niſi diſtinctas illas in mente diuina,velut duarum contrariarum ciuitatum vniuerſitates & quodq; ſuam,reſpicere intelligamus,neceſſe erit,vt ſępenumero,pro parte totum poni accipiamus:vt pro parte mundi,totũ mundũ:pro parte hominũ

omnes

omnes homines nominari. Quorum tamen diſcretionem plerunque ſcriptura cito aperit, vt ſenſus legentis, ab vniuerſitatis appellatione, ad partem quæ intelligenda eſt, transferatur. Sicut eſt illud Apoſtoli dicentis, Prædicamus Ieſum crucifixũ, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus aũt ſtultitiã, Ipſis vero vocatis Iudæis atq; Græcis, Chr̃m Dei virtutem & dei ſapientiam. Nunquid iiſdemipſis, Chriſtus eſt virtus, qbus eſt ſcandalum: aut ipſis ſapientia, quibus ſtultitia? Sed quoniam quidã ex eiſdem iuſtificabuntur fide, quidam aũt ſua impietate obdurabuntur, vnum credentium & non credentium genus ſub vocatorum appellatione diſcreuit: vt quos a fide ſignificabat alienos, eos quanuis audiſſent Euangelium, oſtenderet vocationis extraneos. Secundum quã regulam, etiam illud Eſaiæ neceſſario intelligendum eſt, Educam cæcos in viam quam non noſcunt, & in ſemitis quas ignorauerũt ambulare eos faciam: ponam tenebras eorum coram eis in lucem, & praua in recta. Hæc verba feci eis, & non dereliqui eos, Ipſi autem conuerſi ſunt retrorſum. Hoc, inquam, Ipſi autem cõuerſi ſunt retrorſum, ad partem quandam generis ipſorum, neceſſario referendum eſt, non vero ad eos de quibus ait, Non derelinquam eos, In his, inquam, & pleriſq; aliis locis, quæ de vno hominum genere ſimpliciter proferuntur, aliis perſonis, priora: aliis, poſteriora conueniunt. Apud Apoſtolum quod in parte populi agitur, ſub totius populi nuncupatione narratur, & in reliquiis plenitudo cenſetur. Cum enim de Iudæorum obcæcatione diſſereret, & quoſdam ex ipſis gratia ſaluos fieri demonſtraret, Dico ergo, inquit, nunquid reppulit Deus populum ſuum? Abſit, Nã & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abraam, de tribu Beniamin. Non reppulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. Plebs ergo præſcita & non repulſa, hi ſunt, qui in Chriſto iuſtificati ſunt, Non ergo omnis Iſrael reprobatus, nec omnis electus eſt: ſed partem cæcitas voluntaria auertit, partem ſibi illuminatio gratuita reſeruauit, Et tamen ita de eis ſermo habetur, vt & in his qui pereũt, & in his qui ſalui fiunt, nulla totius generis facta videatur diſcretio. Secundum Euangelium, inquit, inimici propter vos, ſecundum electionẽ autem dilecti propter patres. Quæ loquutio ita ſonat, tanquã eoſdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginem Apoſtolus ipſe deterſit continuo, dicendo, Quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit: Vt vnũ genus in duas ſpecies intelligeremus eſſe diuiſum: & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Iſraelem, nõ ſemper ad vnitatem, ſed plerunq; ad partem eſſe referendum. Inter quas formulas loquutionum, etiam illa in ſcripturis obſeruanda occurrit, qua id, quod ad diuerſorum temporum homines pertinet, ita ponitur, quaſi de vna eiuſdem ætatis generatione dicatur, Cuius inter multa vnum hoc exemplum eſto, quod B. Petrus ſcribens, ſui & futuri temporis gentibus, ait, Vos autem genus electum,

regale

regale ſacerdotium,gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius,Qui de tenebris vos vocauit,in admirabile lumen ſuũ.

Ex quibus omnibus videtur,neque ex dictis Apoſtoli verbis, Qui vult omnes ſaluos fieri &c. recte aut efficaciter confici ex Deo non deeſſe quo minus ſaluentur omnes, & quod eo fine ab æterno cõſtituerit vniuerſam indiſtincte rationalem naturã condere,quo ſuæ beatiſſimæ bonitatis eſſet particeps, Et proinde, diſcretionem Dei de hominibus ad præſcientiam diſcriminis quod in ijſdem vidit & non fecit, referri oportere. Et hæc fere occurrunt,quæ etiam pijs,hac in re magnam difficultatem ingerunt,& præaſſertæ a nobis catholicæ ſententiæ aduerſari videntur,vt quæ ad pietatis regulam ſane intelligenda ſint, deinceps explicare conabimur.

Diuinarum ſcripturarum nunc inducta loca, ad pietatis regulam explicare.

Caput II.

Cur diuinus ſpiritus pleroſq; locos perplexis obſcuritatibus inuoluerit.

MAgnus ille Baſilius rationem reddens cur in primordijs eccleſiæ multa ſine ſcripto tradiderunt Apoſtoli, ex quibus pleraq; commemorat: feciſſe hoc illos affirmat, quo in occulto ſilentioque myſterijs ſuam dignitatem ſeruarent, Neq; enĩ,inquit,omnino myſterium eſt, quod ad populares aut vulgares aures effertur. Et hanc eſſe rationem dicit, cur quædam citra ſcriptum ſunt tradita, ne videlicet dogmatum nimis expoſita cognitio veniret in contemptum,Eſt quoq;, inquit, ſilentij inſtar & obſcuritas qua vtitur ſcriptura:mentem ad cõtemplationem dogmatum inhabilem exercẽs, idq; ad vtilitatem verſantium in ſcripturis, Quæ,vt etiã tibi inde contingat eas lege atq; excute diligenter,ſed humiliter, nec ſis in oculis tuis ſapiens,ſed paruulus,Siquidem hæc a ſapientibus abſcondita ſunt, & reuelantur paruulis.Confiteor,inquit ille,tibi pater domine cœli & terræ quoniam abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, Ita pater,quoniam ſic placitum fuit ante.

Quomodo vtiliter inueſtiganda eſt obſcuriorum ſcripturę locorum intelligentia.

Deinde & hoc perpetuo fac memineris cum in inductos ante,aut ſimiles,obſcuriſſimos ſane difficillimosq; ſcripturarum locos, incideris, vt intra tutiſſimam ſtationem,hoc eſt,fidem catholicæ eccleſiæ te contineas,Certum habens, hoc vnum eſſe verę & orthodoxum quicquid cõmuniter tenet,ſentit,& credit illa columna,illud firmamentum veritatis,catholica,inquã,eccleſia. Eius ſenſum & conſenſum,eſſe eam pietatis atq; orthodoxæ fidei claram,certam, atq; inobliquabilem regulam, quam alibi demonſtrauimus, Cui quicquid tibi repugnare videbitur, certo crede,te non aſſequi quod dicitur: ſed quam diuini ſpiritus con-

ſilium,ad excitandam intẽtionem fidelium obſcuritatibus inuolutam tectamq; eſſe voluit, latentem ſub myſterio veritatem adorabundus venerare. Ante omnia vero caue ne vlla tibi ſubrepat indigna optimo, benigniſſimo, miſericordiſſimoq; Deo cogitatio: nihil, vnde non iuſte moderari omnia, non æquiſſimis diſpenſationibus, cuiq; pro ſuis cuiusq; meritis et demeritis retribuere, Alioqui quę cauſa foret, vt ij illum amare deberent (quod debet omnis rationalis creatura) ſi quos ad ſupplicium cõdidiſſet, quibus alioqui nunq̃ conditos fuiſſe melius foret? Si, quo minus ſalutem qui poſſent conſequi, per ipſum, nõ per illos ſtaret? Et quę foret iuſtitia, aliquem punire pro eo, quod impoſſibile factu non faceret: hoc eſt, hominem, quod auis inſtar non volaret? aut natiuitate cæcum quod non videret? loripedem quod nõ recte incederet? Sit parentum aut incuria aut culpa talis, quid hoc ad miſerų hũc pertinet? Nunquid ideo, pro hac ſua calamitate etiã ſupplicio & non potius miſericordia dignus eſt? Quæ ꝑmaneret hoĩbus erga Deum religio, quis timor, quæ ſolicitudo procurãdæ ſalutis ſuæ, ſi illis perſuaſum foret, immutabili diuini conſilij decreto, electione, ac propoſito, nullo reſpectu meritorum noſtrorų aut operum, ſed vno meroq; eius beneplacito & arbitrio, ab æterno conſtitutum, qui ſaluari debeant: nempe & omnes & ſolos, quos beneplacito voluntatis ſuę ſaluari voluerit: et qui dãnari: cæteri nempe, quos ſaluari eodem ſuo beneplacito, aut noluerit aut non voluerit. Ex quo recepto, neceſſario conſequens foret, quæcunq; cõtra ſubterfugia quærantur, fruſtra ad ſalutem niti homines, Quandoquidem ea nec volentis nec currẽtis, ſed vnius Dei ſecundũ æternum illud ſuæ electionis propoſitum miſerentis foret, quod a nobis immutari impoſſibile eſt, Quis inexorabili ad preces mortalium Deo ſupplicaret, ſi perſuaſum omnibus foret, oĩa abſoluta atq; ineuitabili neceſſitate contingere? Quod probe intelligẽs ille q̃ extinctã ſemel ex mentibus hoĩm religiõnem vniuerſam ſe cupere palam demonſtrare videtur, recte iecit hoc fundamentum vniuerſæ doctrinæ ſuæ impijſſimæ.

Quid ante omnia, in explicatione inducto rum locorų ſcripturæ difficilium præſupponendum.

Vt itaq; inductum ex Paulo ad Romanos locum de Eſau et Iacob, de Pharaone, & figulo, maſſa lutea, atq; eius figmento, & quæ illorum occaſione dicuntur ab eodem, ad pietatis regulam explicemus, hoc inprimis de eodem admonuiſſe te conuenit, Eſſe hunc vnum, atq; adeo præcipuum, ex illis difficilibus intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant ad ſuamipſorum perditionem, De quibus Petrus, de eiuſdem Pauli epiſtolis loquens, nos admonet: ne & nobis ſint erroris occaſio. Hoc certe videmus, orthodoxos patres noſtros, illos doctiſſimos ſanctiſſimosq; omnes, in hoc Pauli loco, vt omnium difficillimo, ſudaſſe & laboraſſe plurimũ, Quorum & nos inſiſtentes veſtigijs, repetẽdum hoc eſt ante omnia, & conſtituendum ſub oculos, cuius gratia eadem ab Apoſtolo inducta ſunt: ad quod reſpicientes, etiam horų verum intelle-

Explicatio loci Pauli ad Rom. de Eſau & Iacob, Pharaone, figulo, atq; eius figmẽto &c.

tellectum facilius & verius aſſequemur. Quandoquidē Paulo propoſitum hic fuerat componere gliſcentia quæ intellexerat, ſcandala in illa Romanorꝝ(quæ ex Iudæis & gentibus coagmentata erat)eccleſia,ex illorum præcipue ſupercilio & ſuperbia,qua ſe velut electum a Deo ſpecialiter & ſanctum populū efferebant ſuper gentes,quas ducebant pollutas,& ſuo indignas conſortio, perinde quaſi ad Deum nihil pertinerent,ſed ille ipſorum tm̄ eſſet Deus proprius. Cum,inquam,hæc ſcandala amoliri & extinguere,& illam ex Iudæis & gentibus eccleſiam, in vnius corporis vnitatem coniungere in vniuerſa hac epiſtola propoſitum fuerit Apoſtolo,& oſtendere Deum perſonas non accipere,apud eum in Chriſto non eſſe Iudæorum & gentium differentiam,ſed eundem creatorem & dominū omnium, diuitem in omnes qui inuocant ipſum,amoliturus hic obiectiones quaſdam,quas pro Iudæis,velut electo ſpecialiter populo,lege diuina ſingulariter illuſtrato, ad quos teſtamentum proprie pertineat,cui,non vero gentibus,promiſſiones factæ ſint,inducturus fuerat,Ne,quæ ea occaſione neceſſario illi dicenda erāt, aliter ac deberent,ab ipſis acciperentur Iudæis,præmuniuit ſibi de principio aditum:& quo illa ipſa minori cum offenſione eorum poſſet dicere,& ad audiendum diſcendumq; paratiores eoſdem haberet,quanto ipſe amore,quo ſtudio procurandæ atq; optandæ ſalutis ferretur erga ipſos, velut cognatos ſuos ſecundum carnem,quodq; magno animi ſui dolore ac mœrore genus ſuum,a ſummo illo bono, quod oſtentatum illi & propoſitum inprimis fuerat,pertinacia quadam duriciaq; animi & mentis errore ſeduci abalienariq; cerneret, magnis teſtibus, nempe Chriſto,& conſcientia ſua & ſpiritu ſancto confirmaret: addēs ex eiuſdem charitatis atq; inde nati doloris de perditione ſuorum,per quos nomini ſancto Dei, & libero proceſſui gloriæ illius impedimentum quoddam præſtari ipſi videbatur, impotentia ac vehementia ſe paratum,ſemet totum,impendere fratribus & Chriſti gloriæ, & optare,vel ſe abdicari a Chriſto,quo illi reciperentur: velut eiuſdem Chriſti gloriam,& multorum ſuorum ſalutem,ſuæ vnius ſaluti præferens,ſi illam procurare potuiſſet,vel propriæ diſpendioſe fieri pro illis anathema a Chriſto, non præuaricatione, ſed deuotione. Erga illos,inquam, amoris affectum illum quem audiſti,& charitatis vim inauditam, qua dictum eſt ratione explicans,ſubiūgit ea,ex quibus oriebatur, quam amoliri cupiebat, obiectio, Qui ſunt,inquit,fratres mei ſecundum carnem,Quorum adoptio eſt filiorum,& gloria,& teſtamentum,& legiſlatio,& obſequium,& promiſſiones. Pars,inquit ille,domini, populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius, Eſt ergo illorum adoptio in populum peculiarem, in hæreditatem domini, in filios. Eſt quoq; & gloria: ſed eius,de quo idem dicit Apoſtolus.Si enim quod euacuatur, hoc eſt,vetus teſtamentum,per gloriam eſt, multo magis quod manet,

Cuius gratia, aut quorſum, illa inducta fuerint ab Apoſtolo.

Euangelij videlicet prædicatio,in gloria eſt, Eſt & teſtamentum : illud nempe,quo in hæreditatem aſcripti ſunt: & legiſlatio : & obſequium: hoc eſt, ſacerdotium deputatum ſingulariter diuino obſequio:& promiſſiones, quæ patribus illorum factæ ſunt: quorum intuitu, gratia ac merito, tam multis hos beneficijs proſequutus eſt, Ex quibus & Chriſtus promiſſus ac natus eſt, ſecundum carnem, Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.

Promiſſiones diuinas nõ excidiſſe, tametſi reprobatis ob incredulitatem Iſraelitis, in partem eorum gentes receptę ſint

Promiſſiones ſiquidẽ illas pertinere, nõ ad carnis oẽs, ſed electionis filios.

Quoniam autem ex his videri poſſet, ſi Iudæis ob incredulitatem ſuam reprobatis gentes in partem eorundem ad ſalutem a Deo admiſſæ eſſent, factam irritam fidem Dei & promiſſionum quæ ad illos factæ ſunt in ipſorum quam tantopere indolebat, perditione. Obiectionem eiuſmodi preueniens deinceps excludit Apoſtolus, docens eiuſmodi promiſſiones quæ ad patres eorum factæ ſunt,non pertinere ad omnes ſecundum carnem Abraæ aut Iſraelis filios: ſed ad electos tantum,qui eorundem fidem ſequuturi eſſent & opera, Quodipſum veteris ſcripturæ authoritate & exemplis confirmãs.Non aũt,inquit,q̃d exciderit verbum Dei. Non eñ omnes qui ex Iſrael,hi ſunt Iſraelitæ: neq; qui ſemen ſunt Abraæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen:id eſt,non qui filij carnis,hi filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine. Non titubauit proinde Dei fides,nec verbum eius excidit,ſed in ſua veritate in æternum permanet, Ad Iſraelem quidem Dei promiſſa pertinent,Sed non omnes,inquit, qui ex Iſrael ſunt, hi veri ſunt Iſraelitę. Iſrael nanq;,Deum vidẽdo cognominatus eſt, Vidi,inquit,dominum facie ad faciem,& ſalua facta eſt anima mea, Et q̃a vidit Deum,Iſrael appellatus eſt,Ergo quiſquis Deo claudit oculos,& ſua culpa excæcatus, illum videre non poteſt, vere Iſraelita non eſt:nec ad illum, Iſraeli promiſſa pertinent, Abraæ quoq; & ſemini eius,hæreditatis promiſſio facta eſt,Sed non omnes qui carnis filij,hi Dei filij:ſed qui electi ac promiſſionis ſunt filij æſtimantur in legittimo ſemine, cui deſtinatur hæreditas, Promiſſionis enim verbum hoc eſt, Secundum hoc tempus veniam,& erit Sarræ filius. Eandem rationem & in Iacob conſtare affirmans. Nam & Rebecca,inquit, cum ex vno concubitu Iſaac patris noſtri cõcepiſſet geminos,priuſquam partu ederentur, aut operibus diſtinguerentur, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret,non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei. Quia maior ſeruiet minori, Quod per Malachiam, & poſt illum, per Apoſtolum ita explicatur,quaſi iam tum conſtitiſſet, & ex electione confirmata eſſet beneuolẽtia Dei erga Iacob,atq; eadem auerſa fuiſſet ab Eſau,perinde, quaſi dixiſſet,Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Per hæc euidenter comprobans,non ad carnis omnes, ſed electionis filios, diuina illa promiſſa pertinere. Et quod proinde verbum Dei non exciderit, quanuis Iſraelis pars multo maxima ſua incredulitate ſe perderet, & gentes

Probat in Iſaac, & Hiſmael.

Iacob & Eſau.

ad ſa-

ad ſalutem magna alacritate concurrerent. Hos enim eſſe, non illos, vere Iſraelitas & Abrahæ filios, quicunque eius fidem imitarentur & opera, Quemadmodum & Chriſtus eiſdem illis iactātibus ſe patrem Abraam habere, Si Abrahæ, inquit, filij eſtis, opera Abrahæ facite. Et idē Apoſtolus affirmat, illum patrem omnium credentium, etiam in præputio.

Quanquam ijſdem his exemplis (quod ſæpe facit) plus innuat, quā explicet: hoc nempe, non ignoratam Deo Iudæorū excæcatæ mentis aduerſus ſalutē ſuam obſtinationem, & quod propterea, ipſis reprobatis, prima & præcipua gratia in gētes deſcenſura erat. Quinimo & apertis hoc vaticinijs per prophetas prædictum, figuris quoque atque etiā rerū geſtarum hiſtoria haud obſcure admonuiſſe. Ita in ipſis Iudaici nominis & generis principibus, hoc eſt, patriarchis & ducibus fere vſu venit, vt qui primogeniti parentibus ſuis fuerant, e capite generis excluſi, minoribus natu fratribus, loco et honore primi ordinis cederent. Sic Iſaac Iſmaeli, quis añ edito, loco & honore prælatus eſt. Sic Iſaac, duobus filijs geminis vno fœtu ſibi natis, eū qui poſterior exierat primū hęredē conſtituit, atque illi priorē ſubiecit. Sic & Iacob, Iudā, Ruben primogenito in benedictionibus prætulit, Et poſt, morti vicinus, ſenex, & captus oculis, cū filios Ioſeph, Ephraim & Manaſſen adoptaret in filios, & ſuis oībus euentura prædiceret, formatis in crucis modū brachijs, & dextra manu ſuper caput Ephraim, qui minor natu erat, eique ſiniſter aſtabat, poſita & ſiniſtra ſuper Manaſſen promogenitū Ioſeph ad dextrū latus translata, per illā crucem, ordines graduſque permutans, ſigno clariſſimo futurarū rerū, ita minorem filium in benedictionibus prætulit, vt mirabili illo velut vaticinio aperte oſtenderet, poſteriores Dei filios, quos crux illa diſtinxiſſet, multo maiore in honore & gratia apud Deum futuros.

Innuere Apoſtolum in dictis exemplis ſignificaſſe ſpīm ſanctū vt olim reprobatis Iudæis primo genitis præcipua gratia deſcenſura eſſet in gentes.

Quod vero de Iacob & Eſau ſingulariter addidit, nempe de nondū natis, & priuſquam boni aliquid egiſſent aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum Rebeccæ. Quia maior ſeruiet minori. Et quod iā tum beneuolentia Dei erat erga vnū, quæ non erat aduerſus alterū: hoc ipſo, duo añ a ſe cōſtituta cōfirmat Apoſtolus, & in memoriā reuocat: nēpe & ſecundum electionē, propoſitū Dei manere: & quod electio eiuſmodi meræ ſit diuinę gratiæ, de qua, vt iniuſta, nemo quęri poſſit aut debeat: quæ nihilominus ex præſcientia dei dependeat, quemadmodū ſupra demonſtrauimus: præſciētia, inquam, eius, qui grate accepturi eſſent oblatam ipſis gratiam: æque tñ eſt & permanet mere gratuita Dei electio, qua dignatus eſt oēs illos tanto ſuo beneficio & munere quoſcunque illud ipſum nō reiecturos repulſuroſque præuideret. In quibus iā illud cōpletur, quod paulo ante idē Apoſtolus præmiſerat: videlicet, vt quos præſciuit, eoſdem & prædeſtinauerit. Et quos prædeſtinauit, eos & vocarit, & iuſtificarit, & glorificaturus ſit, Hinc tñ conſequens non eſt, in nobis ſitum non eſſe, vt æſtimemur in ſemine, aut inter Dei filios, ſed ex vnius hoc

In exemplo Iacob & Eſau, declarare Apoſtolum, & quod ſecundum electionem, propoſitū dei maneat & quod electio, meræ ſit diuinæ gratiæ. Eandem nihilominus ex pręſcientia dei dependere, & in nobis ſitum, vt æſtimemur in ſemine.

Dei electione, propoſito ac voluntate pendere: imo dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, niſi mentiatur ille Euangeliſtarum Coryphæus: ſed nõ oẽs vtuntur poteſtate illa, Nec cõtra facit, horum ab æterno facta electió, illorũ vero reprobatio. Qñquidem electio illa, ex præſcientia dependet, præſcientia vero, præſcitorum cauſa nõ eſt, ſed contra potius: non quidem præſcientiæ in ſe, ſed quod hoc aut illud præſciatur: neq; eñ ideo futurum erit, quia præſcitum eſt: ſed contra potius ideo præſcitur aliquid, quia futurum eſt, Itaq; quia hoc aut illud libere facturus ſum, ideo prænoſcit Deus, quod hoc ipſum facturus ſum: & liberi arbitrij mei eſt & fuit, vt hoc aut illud facturus præſciar a Deo, Quemadmodum Iudæ fuit, quod præſciebatur traditurus Chriſtum, Ab eiuſmodi autem præſcientia cum & electio noſtra & reprobatio dependeat, æque manifeſtum eſt, vtrunq; in nobis conſtitutum eſſe: nempe, vt ſimus ab æterno electi aut reprobi: nec hos abſolute elegiſſe, illos reprobaſſe abſque vllo noſtri reſpectu prævio, Sed de his mox pluribus.

Vtrunq; in nobis conſtitutum, vt ſimus ab æterno electi, aut reprobati.

Obiectio lectori occurrens, ex verbis Apoſtoli, de Iacob & Eſau, & diuinam iuſtitiam, velut in quæſtionem reuocans.

Videns itaq; Apoſtolus qd ex verbis præmiſſis poſſet aĩo audiẽtis aut legẽtis occurrere, ſtatim eiuſipſius cogitationẽ ſubiecit, Quid ergo, inqt, dicemus? Si ex vno Dei propoſito, electione, & voluntate pendet, vt hi æſtimentur in ſemine, illi minime: ſi de nondũ natis & priusq̃ boni aliqd feciſſent aut mali, vt ſecundũ electionẽ propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictũ eſt, Quia maior minori ſeruiet, & Iacob dilexi, Eſau aũt odio habui, nunquid iniquitas eſt apud Deum, quod hunc electione dignatur, illum minime, ſi ex parte illorum nulla ſit apud Deum vel præſcita diſtinctio? Eſto, non ex operibus, ſed ex vocante, & priusq̃ naſcerentur, dictum ſit, Iacob dilexi, Eſau tñ vt oderit priusq̃ naſceretur, nullo demeriti eius reſpectu, nõ pati videtur diuinæ æquitatis & iuſtitiæ ratio. Quod eñ fecerit Deus, ea quæ diligeret, nulla quæſtio eſt, Sed ſi dicamus eum feciſſe quæ odiſſet, non admittit infinitæ bonitatis ratio: & ſcriptura redarguit. Neq; eñ odio habens, inqt, aliquid conſtituiſti: & nihil odiſti eorum quæ feciſti aut conſtituiſti, Dilexit ille omnia quæ condidit, qm̃ vidit quia bona ſunt: tametſi varijs excellentiæ gradibus ordinata fecerit: quia ita boni vniuerſi requirebat ratio, Solem illuſtriorem nobilioremque Luna & ſyderibus cæteris, De quibus tamen non vere diceret, Solem dilexi, Lunam autem & cæteras ſtellas odio habui, Vt itaq; odiſſet Eſau, niſi iniuſtitiæ merito, palam iniuſtum videtur, Quod ſi verum eſt: quo modo non ex operibus? Quid ergo, inquit, hic dicemus? Nunquid iniquitas eſt apud Deum? Reſpondet, ea quæ a ſe prædicta ſunt, veriſſima equidem eſſe: quodipſum ex ſcripturis comprobat, At humanam cogitationem ex eiſdem non ſane intellectis (vt quæ ad diuinorum iudiciorum nobis inperſcrutabilem abyſſum pertinent) diuinam iuſtitiam in quæſtionem vocantem, cum increpatione digniſſimæ exclama-

Vt Apoſtolus non ſoluat, ſed rejiciat obiectionem eiuſmodi.

tionis

tionis repellit,dicens,O homo tu quis es, qui contra reſpondeas Deo?
Neq; aliter dignatur hic ingeſtam difficultatem diſſoluere,quã quod
hoc nobis de diuina voluntate,in quam iſta hic refert,ſemper ſtatuen-
dum ſit, quod iniuſta ea eſſe non poſſit, tametſi nos ipſa diuinorum
conſiliorum ratio lateat. Tametſi eandem ipſam,quod ad ingeſtam dif
ficultatem attinet(quemadmodum indicabimus) explicauerit alibi.
Quod aũt de nondum natis,& priuſq̃ boni aliqd feciſſent aut ma-
li,non ex operibus,aut merito operꝶ,ſed ex vocante aut electionis diui-
næ propoſito Iacobum prædeſtinauerit,atq; illũ fratris dñm conſtitu
erit,ordinariq; ad benedictionẽ,hereditatem & gloriã. Quod,inquã, Electionẽ
vniuerſum hoc:& quod nos elegit ante mũdi initiũ, vt eſſemus ſancti, & prædeſti
& pdeſtinauit in adoptionem filioꝶ per Ieſum Chrm in ipſum,ſecun- nationem,
dum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ:item q miſericordiæ eſſe.
nos vocauit in tẽpore,& præuenit ad vniuerſa,ſua gratia:quod iuſtifi-
cauit,& in iuſtitia cõſeruauit ad exitum:q tãdem nos coronet, quem-
que pro meritis,eius fit mĩæ,ex inductis verbis Dei ad Moyſen cõpro
bat,Moyſi em̃ dicit,inqt,Miſerebor, cui miſertus ſum, & miſericordiã
præſtabo,cui miſerebor,Miſerebor,inquã,illum vocando in tẽpore,cui Ex verbis
miſertus ſum, & quem ab æterno gratuita electione dignatus ſum, & ad Moy-
miſericordiã præſtabo, cuius miſereor, Præſtare, præmiũ & mercedẽ ſen, Miſerebor cui
retribuentis vox eſt, ea ipſa, nihilominus miſericordia eſt: procedens miſereor, &c.
ex abundantibus diuitijs eius ſup nos gratiæ,qua coronat in nobis ſuã
ipſius etiã miſericordiam,et iuſtificationis gratiã, Vt veriſſime ſubiun
gat,non eſſe volentis neq; currentis, ſalutem aſſeq:hoc eſt, non deberi
eam vllo noſtro conatui,vllis operibus,ſed miſerentis Dei eſſe:hoc eſt,
miſericorditer & gratuito eandẽ nobis donari,Quod ipſum etiã dixit Nõ eſſe pro
alibi,& vbiq; inculcat, Nõ equidẽ ex operibus iuſtitiæ, q̃ fecimus nos, inde volentis neq; cur
ſed ſecundum ſuam mĩam ſaluos nos feciſſe. Gratiæ ergo et miſericor rentis, ſed
diæ diuinæ eſt,ſalus noſtra:& non ex nobis,noſtro curſu, noſtro cona vnius miſericordiæ
tu:quis nõ ſine nobis, poſtq̃ noſtri eſſe cœpimus. Quemadmodũ qd Dei, ſalutẽ
in Pſalmis Dauidicis legit. Niſi dñs ędificauerit domũ,in vanũ labora aſſequi.
uerunt q ædificant eam, Niſi dñs cuſtodierit ciuitatẽ, fruſtra vigilãt q Non tamẽ,
cuſtodiunt eam,nõ hoc ſignificatũ, vt nobis ceſſantibus vniuerſum ex- ſine nobis. Nota ſimi-
pectetur a dño,ſeu ædificãda domus,ſeu cuſtodiẽda ſit ciuitas: ſed ſine lia.
illo,nihil nos poſſe facere ſignificatũ:illi deniq; acceptũ referri oportere,
etiã hoc ipſum,q nos potuerim⁹ et fecerimus aliqd. Ad quẽ modũ. Si
graui obſidiõe circundatã vrbẽ viderimus, minaces inferri machinas Simile.
muris,ignes tectis,vallo,telis, cũctiſq; excidio intẽtis vrgeri belli inſtru
mẽtis et artibus,ſi repelli et fugari hoſtẽ cõtigerit; digne meritoq; libe-
ratæ ſalutem a Deo præſtitam nihil dubitamus dicere,Nec tamen per
hoc vigilum excubias defuiſſe vrbi,nec procinctum iuuenum,nec ci-
uium propugnatorumq; diligentiã et fortitudinem deſignamus. Etſi

Aliud. q̃n naue iactata & conquaſſata vi tẽpeſtatum,ventorꝫ & fluctuum,ad portum tandem peruenerit, q̃uis multo nautarꝫ labore, gubernatoris ſtudio,induſtria,atq; omni nauticę artis opere res acta ſit, nemo tñ qui ſapit,dicet,Ego nauẽ ſaluaui: ſed Dei miſericordiæ nauis ſalutẽ referet, Non,ꝙ ſentiat,ad eam nihil cõtuliſſe artem nauticã, gubernatoris induſtriam,ſtrennuos labores nautarꝫ, Sed ꝙ ſalutis illi ſumma debeat: atq; etiã hocipſum,ꝙ in tanto diſcrimine ſe ſtrennuos præſtare potuerunt & induſtrios, ſine quo adiuuante, nec illa q̃dem profuiſſent oĩa.

Aptatio. Ita etiã in nr̃æ vitæ curſu a nobis quidẽ dependendus labor,& ſtudiũ atq; induſtria adhibenda ſunt,Qui vero laboris noſtri fructus q̃ritur, a Deo ſperanda expectandaq; ſalus eſt,Ad quam ꝑficiendam,ſola voluntas humana nõ ſufficit,nec valet mortalis curſus aſſeq̃ cœleſtia, nec illam palmã ſupernę vocationis dei in Chr̃o Ieſu attingere, niſi hęc ipſa nr̃a,diuino et iuuenẽ & muniantur auxilio:adeo, vt noſtrꝫ id ,quicq̃d eſt,quodipſum tñ ex nobis non eſt,ſi ad id conferas, q̃d nihilominus a Deo nobis eſt neceſſarium,merito,nihil,dixeris.Ego,inq̃t ille,plantaui, Apollo rigauit,ſed Deus incrementũ dedit,Itaq; neq; q̃ plantat,eſt aliquid,neq; q̃ rigat,ſed q̃ incrementum dat,Deus. In hũc ſane modũ, Si q̃s dixerit,non volentis,neq; currentis,ſed miſerentis eſſe Dei, ꝙ ſalutẽ aſſeq̃mur,veriſſime dixerit.Hoc tñ ille neceſſe eſt vt ſimul intelligat,illam miſericordiã nemini ex Deo deeſſe,q̃ vult oẽs ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:imo,quod ex ſe eſt, condidiſſe vt ſaluarent̃ oẽs.Nec,ꝙ qui reprobantur,ex ipſo,ſed ex nobis eſſe,q̃ recuſamus oblatam nobis gratiã,et miſericordiam . Ille ſtat ad oſtium cordis noſtri & pulſat,ſed nos illud ip̃m non aperimus eidẽ,ſed obiecto peſſulo claudimus.Si q̃s aũt aperuerit mihi,inquit,ingrediar ad illum.Cuperet ille (quod ſæpe inculcandum nobis eſt)ad nos oẽs ingredi, ſed nõ oẽs dignamur illũ recipere,ſed ingredientẽ excludimus.Quos ſe recepturos ab æterno vidit,illos quoq; ante conſtitutionẽ mũdi elegit,Quos vero obſtinate ipſum excluſuros,illis et merita p̃parauit ſupplicia:ſed vellet poſſe,ſalua nobis libertate nr̃i arbitrij, et lege diuinæ iuſtitiæ oẽs eligere,q̃ vt dixi vult oẽs ſaluos,nec ex ip̃o deeſt,q̃ minus ſaluet̃ quiſpiã.An nõ Chriſtus hoc tibi ſignificaſſe videt̃, q̃ ita Hieroſolymis exprobrat. Hieruſalẽ Hieruſalem, q̃ occidis prophetas,& lapidas eos q̃ ad te miſſi ſunt,quoties volui cõgregare filios tuos quemadmodũ gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti ? Vides pĳſſimũ erga nos oẽs affectũ miſericordiſſ.dñi, Vides ꝑ illũ non ſtare q̃ minus cõgregemur ad ipſum,q̃ minus electi ſumus, Vides q̃d ipſe vellet,ſed nos nolumus:noluiſti,inq̃t. Vt itaq; erga electos ipſa electio, p̃deſtinatio, & quæcũq; eandem ſequunt̃,diuinę erga nos beneficẽtię opera, vocatio,iuſtificatio, glorificatio,gratuitę ſunt Dei miæ & gratiæ. Ita ergo reprobos, reprobatio ipſa,deſtinatio ad ſuppliciũ, et ipſius ſupplicĳ prępatio,diuinę

ſunt

ſunt iuſtitię opera:q̄ nihilominus ordinauit in ſuā gloriā,& electorꝶ ſuorū vtilitatē,commendationēq́ꝫ ſuæ erga eoſdē miſericordiæ et gratię: vt ex his certo conſtet veritas reſponſionis apoſtolicę,ꝙ in his,nulla ſit apud Deum iniq̄tas, Quodip̄m et ex alijs ſcripturę verbis de Pharaōe cōprobat. Quæ erat efficaciſſima aduerſus Iudæos, a q̄bus hæc ingerebantur,cōfutatio. Dicit em̄,inq̄t, ſcriptura Pharaoni. Quia in hocip̄m excitaui te, vt oſtendam in te virtutē meam, et vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra, Quorumipſorꝶ tn̄ verborum intelligentiam, Hebraica lectio non paulo clarius nobis aperit,Quę(vt teſtantur eius linguæ periti) habet in hunc modum,Propterea feci ſtare te,vt oſtenderem in te fortitudinem meā, & narretur nomen meum in vniuerſa terra. Quod ipſum Chaldaica interpretatio, nuper Reuerendiſſ. Archiepiſcopi Toletani, S. R. E. Cardinalis latine reddita, hoc pacto expreſſit, Veruntn̄ propter hoc ſuſtinui te, vt oſtenderem tibi fortitudinē meam,& narrent potentiā nominis mei in vniuerſa terra, Cui cōſonant vetuſtiſſima pleraq́ꝫ et correctiſſima,q̄ multis locis inueniūtur, huius epiſtolæ ad Romanos exemplaria,quæ habent in hæc verba. In hocipſum ſeruaui te. Quō etiam Sebaſt.Munſterus,hunc Exodi locū vertit(Et vtiq́ꝫ ob id cōſeruaui te,vt oſtenderem,&c.)Perinde ac ſi diceret,Merebaris tu quidem infrunita animi tui obſtinatione et malitia tua iamdudum cadere, iamdudum interfici, tamen propterea te ſtare feci,te adhuc ſeruaui, ad hoc,vt tibi euidētius fortitudinem meā oſtenderem. Quod tametſi tibi ob impœnitentis cordis duritiā bono nō erit,ſaltē alijs exēpli terrore proderit: & vt annunciet̄ nomen meū in vniuerſa terra, Vtq́ꝫ & in alios irroget̄ vtilis ac fructuoſa correctio,& in teip̄m ad poſteritatis exemplū famoſiſſimus cōferatur interitus. Quēadmodū cū rex aut iudex, inſigniter ſceleratū aliquē,et multas mortes, multa ſupplicia cōmeritum,nō ſubito interimit, ſed necē eius procraſtinat,vt diuerſis ante cruciatibus affectum exēplo et terrori proponat cæteris, & ſuppliciorꝶ acērbitate alios a patrādis ſimilibus abſterreat.

Quid probet p̄ ſcripturā inductā de Pharaone.

Intelligentia de eo verborum Apoſtoli.

Verꝶ intelligens Apoſt.nec hic quieturā infidelium, aut eorꝶ q̄ non didicerant humiliter ſapere,nec intellectum ſuū captiuare in obſequiū fidei,curioſitatē temerariam,ſed dicturos ſibi. Si eſt, quod aſſeruiſti, ſi miſeretur cui miſertus eſt,ſi nō eſt volentis neq́ꝫ currentis,vt ſalutē aſſequatur q̄s,ſed miſerentis Dei,ſi etiam Pharaonem in hoc conſtituit, vt in ipſum fortitudinem ſuam oſtenderet,& nomē ſuum celebraret, Ergo cuius vult miſeretur,et quem vult indurat:præſertim cum & hocipſum de Pharaone affirmet ſcriptura. Indurabo cor Pharaōis, Quid igitur adhuc conqueritur? Quid adhuc pro peccatis redarguimur, ſi quod ipſe vult,hoc facimus? voluntati enim eius quis reſiſtit?

Obiectio, quam præuidebat in fidelīū,ad ſua verba, Apoſtolus

Horꝶ obiectionem,hic diſſoluendam non putabat Apoſt. vt diſcerent ante humiliter credere,q̄ rationes diuinorꝶ iudiciorꝶ inueſtigarēt,

Vt cū obiurgatione repulerit

& in-

obiectorē eiuſmodi, magis quā obiectionē ſoluerit.

& ingrererent:q̄ nemo recte intelligere poteſt,niſi ante crediderit: ſed velut proteruū atq; importune irrumpentē aliquem in interiora cubiculi aulæ regiæ,cum exclamatione obiurgationis grauiſſimę repellit aſperius, dicēs.O homo,tu q̄s es qui reſpōdeas Deo?Nunq̄d dicit figmentū ei q ſe finxit,q̄d me finxiſti ſic?An nō habet poteſtatē figulus luti,ex eadē maſſa facere,aliud quidē vas in honorē,aliud vero in cōtumeliā?

Legimus in Euangelio,qui proterue et infideliter requirebāt a dn̄o, in qua poteſtate ea q̄ faciebat,faceret, & quis ei dediſſet hanc poteſtatē, ne reſponſione quidem dignos habitos,ſed mutua quæſtiōe repulſos. Quem hoc loco imitatus eius Apoſtolus,aduerſus inſolentē,quā audiſti quæſtionem,per ea q̄ reſpondet,proponentis primum cōfundit ſuperbiam,& contumaciam: deinde pro humiliter, fideliter ac diligēter inueſtigantibus ſolutionem magis innuit q̄ explicat,O homo,tu q̄s es

Reſponſio apoſtolica.

qui reſpondeas Deo?Perinde,ac ſi cui dn̄o videatur fieri quid debere, & ſeruo ſuo,ſed nequā & contumaci,hoc ipſum imperet,quod & rationis & vtilitatis plenū ſit,is aūt operari detrectans,quod iubet dn̄s,diſcutere incipiat,& ab illo requirere,ad quid hoc opus fieri iubes? quid hoc prodeſt?cui neceſſarium eſt?Inſolentis contumaciſq; eiuſmodi, q̄ erit tam digna reſpōſio,q̄ vt ei dicatur,Tu quis es qui tam ſuperbe cōtra reſpondeas dn̄o?Tibi ſatis ſit,ita placere,ita videri domino,de quo tibi debes perſuadere,quod ipſi,non niſi vtilia ac plena æquitatis,& rationis placeant, Tui proinde eſt officij, mandata eius fideliter exequi, non arroganter ac temerarie diſcutere.In hunc modū,infideliter & petulantius de æquitate diuinoꝝ iudiciorum interrogantes refellit Apoſtolus,Tu q̄s nam es,inquiens, qui tam ſuperbe & audacter, velut par pari,reſpondeas Deo?De quo hoc tibi perſuadere certiſſime debuiſti, optimo,ſapientiſſimo,& iuſtiſſimo,niſi bona,rationis & æquitatis plena,q̄uis tibi non appareant,placere non poſſe. An hoc mō figulum in-

Vt inducat ſimilitudinē de figulo.

terrogant fictilia?Cur me non honeſtum,neq; exornatum vas,ſed incomptum,deſpicabileq; feciſti?Nonne figuli eſt poteſtas ex eodem luto fingendi vas cuiuſmodi velit, ſiue menſis illud paratum eſſe velit,ſiue ſterquilinijs?Enimuero Deus præ te multo maior eſt,quam præ luto figulus.Quæ te ergo temeritas aduerſus Deum concitat?

Apud Hieremiā prophetā tale aliquid legimus, vbi iubetur a Deo introire in domū figuli,atque illum videre ſua vaſa fingentem, & q̄ de manibus ſuis collapſa fuerant recolligentem & fingentē pro ſuo arbitrio,Et factus eſt,inq̄t,ſermo dn̄i ad me dicens. Nunquid ſicut figulus iſte non potero vos facere domus Iſrael?Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos domus Iſrael in manu mea dicit dominus.Habet ergo noſtri poteſtatem Deus,ſicut & figulus luti, vt faciat ex eadem maſſa humani generis,hæc quidem vaſa in honorem,illa in contumeliā:Cur vero quodq; ita vt facit,fecerit, tibi inſolenter te opponenti ac reſpōdenti

Deo,

Deo,tibi ſeruo nequam, infideli, atque arroganti aperiendum non fuit:ſed hoc audiſſe ſuffecerit, Tu quinam es, qui ſic contra reſpondeas domino?Ita illi placet, ita viſum eſt: cui nihil placet, niſi quod æquitatis & rationis plenum eſt.

Non puto tamen, quod ſi fidelis ſeruus & prudens, admirans dñi ſapientiam,& eandem intelligere deſyderans, humiliter inquirat diuinorũ rationes iudiciorum, & cur ille & quo pacto faciat, ex eadem illa maſſa humani generis,hæc quidem vaſa in honorẽ,illa vero in contumeliam,ne forte ex ipſo deſit aut defuerit, quo minus vas in honorem ſit. Non puto, inquam, ſeruum eiuſmodi, hæc fideliter atque humiliter inquirentem auditurum: Tu quis es? Neque enim Daniel propheta, vir ille deſyderiorum,cum voluntatem domini deſyderaſſet cognoſcere, audiuit. Tu quis es?Sed angelum ad ſe mitti meruit, qui de diuinis ipſum edoceret,iudicijs,ac diſpenſationibus. Proinde & nos ſi viri deſyderiorum ſumus,ſi recondita dei iudicia in diuinis ſcripturis inſerta occultius deſyderamus cognoſcere, iubet dñs eaſdem ſcrutari: iubet petere,quærere,pulſare,promittens inuenturos eoſdẽ quod querunt,accepturos quod petũt, ſi non infideliter,non arroganter, nõ oſcitanter, non perfunctorie, ſed captiuato intellectu in obſequium fidei, humiliter,recto ſimplicique corde,iugi indefeſſoque labore, ſtudijs & vigilijs, cum implorata diuina gratia ſcripturas ſcrutati fuerint. Humiliter & fideliter inquirentẽ, cũ deus ex eadẽ humani generis maſſa, hæc quidẽ vaſa in honorẽ, illa, in cõtumeliã fecerit, non ita repelli, a diuina ſcriptura, ſed accipere rationẽ quã quærit.

Et vide an illic, quod hic quæritur, aperuerit diuina ſapientia, vbi dicit, Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio. Audis enim,etiam hic, vaſa figuli:audis vaſa in honorem, nempe homines iuſtos: audis & fornacem in quo probantur atque excoquuntur, fiuntque vaſa in honorem aut etiam in contumeliam:nempe tentationem. In qua ſi iuſtus conſtans in iuſtitia & pietate fuerit, ſit vas ad honorem: ſi vero molliter ignauiterq́ ceſſerit,& declinauerit a pietate & iuſtitia,ſit vas in cõtumeliam, At ſui cuiuſq́ eſt,arbitrij, cum diuinæ gratiæ omnibus paratæ adiutorio, vt fortis & inuictus in tentatiõe perſeueret:aut ignauiter molliterq́ ſuccumbat.Neq́ enim ille figulus et plaſtes, ſi Apoſtolo eius credimus, nos tentari permittit, ſuper id quod poſſumus, ſed facit, ſi nos nitamur pro viribus, ſi fecerimus cum eius omnibus parato adiutorio quod poſſumus, cum ipſa tentatione prouentum:faciet, nos vaſa in honorem, Alioqui ſi nos ceſſerimus, nec ad ipſum,quanuis pie reuocantem reuerſi fuerimus,nos faciet vaſa iræ,in contumeliam & interitum: ſed noſtra culpa,non ſua illa abſoluta voluntate faciet. Vbi diuina ſapientia, fidelibus aperuerit quæſtionem propoſitam. Vaſa illa figulina, vt fiant ad honorem, aut contumeliam.

Quin & apud Hieremiam ſupra inducto loco,ſi diligẽtius perſcrutatus vniuerſa fueris, videbis vaſa illa figuli, vt fiant hæc quidem in honorem,hæc autem in cõtumeliam.Nam poſt præmiſſa illa quæ ſupra induximus verba, Nũquid vt figulus iſte, nõ potero vobis facere

domus

domus Iſrael? ait dñs. Ecce ſicut lutum figuli, ſic vos domus Iſrael in manu mea, Ita ſubiungit. Repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei, & ſubito loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud. Sin fecerit malum in oculis meis vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam & ego ſuper bono quod loquutus ſum, vt facerem ei, Vides vt non ſine nobis plaſtes ille & figulus, ex eadem luti maſſa faciat aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam: & quod ipſe quidem quod in ſe eſt, ſalua arbitrij noſtri libertate, vniuerſos nos, vellet vaſa in honorem facere: ſed noſtræ illi voluntatis reſiſtat malitia, Id quod adhuc apertius in his quæ conſequenter ſubiungit, explicat. Nunc ergo, inquit, Dic viro Iuda & habitatori Hieruſalem, dicens, hæc dicit dominus. Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem. Reuertatur vnuſquiſque a via ſua mala, & dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra. Perinde ac ſi diceret. Cogunt quidem me veſtra ſtudia, vt vos iræ vaſa in contumeliam & interitum faciam: vt eradicem, deſtruam, diſperdam vos: ſed mallem vos ædificare & plantare: mallem vaſa in honorem facere, Quod quo mihi per vos liceat, Reuertatur vnuſquiſque a via ſua mala, & dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra. Qui dixerunt, Deſperauimus. Poſt cogitationes noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus. Idcirco hæc dicit dominus, &c. Audis vt figulus ille & plaſtes noſter ex illa maſſa lutea inuitus, vt ſic dicam, & noſtra malitia velut coactus, nos faciat vaſa iræ in contumeliam & interitum. Audis in noſtra ſitum poteſtate & arbitrio, vt quiſq; reuertatur a via ſua mala: vt vias ſuas et ſtudia ſua dirigat: ad quod alioqui non ſolum fruſtra, ſed etiam ſtulte et ridicule nos adhortaretur Deus: vt, inquam, quiſque fiat vas miſericordiæ in honorem, non vas iræ in contumelim & interitum.

Vt non ſine nobis ille plaſtes et figulus ex eadẽ maſſa faciat, aliud quidem vas in honorem, aliud in cõtumeliam.

Vt ille figulus & plaſtes noſter, noſtra malitia velut coactus nos faciat vaſa irę, in contumeliam.

Et nunquid alio loco idem non docet ille diuinorum ſecretorꝫ conſcius Apoſtolus, tametſi nunc inducto loco, iſtiuſmodi velut proterue infideliter & arroganter ingerentes & diuina iudicia velut in diſceptationem iuſtitiæ reuocantes digna cum obiurgatione repulerit? In magna autẽ domo, non ſunt, inquit, tantummodo vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & alia quidẽ ad honorem, alia aũt ad contumeliam. Si ergo quis emundauerit ſemetipſum ab his, erit vas ad honorẽ ſanctificatum, & vtile dño ad omne opus bonum paratum. Audis Apoſtolum diſtuliſſe in locum & tempus oportunum, non cœlaſſe hoc tm̃ regis myſterium, cũ nobis cognitu eſſet vel inprimis neceſſariũ: & aperuiſſe nobis, vbi ſibi hoc congruum atq; oportunũ viſum eſt: non vbi inſultaret Deo, arrogans, temerarius & proteruus contradictor aliquis:

Vt eãdem quęſtionẽ, ſimiliter & clariſſime, q̃uis alio loco, explicauerit Apoſtolus.

quis:etiã diuerſitates vaſoꝝ explicans, Nam ibi vaſa ſola fictilia cõme-
morat,hic & aurea dicit eſſe,& argentea,& lignea,& fictilia,et alia qui-
dem eſſe ad honorem,alia vero ad contumeliã.Similiter & hic rationẽ
expreſſit,quam ibi tacuit, cur alia vaſa ad honorem, alia aũt ad contu-
meliam fiant. Si eñ, inquit,quis emundauerit ſemetipſum ab his pec-
cati ſordibus, erit ad honorẽ vas ſanctificatum, & vtile dño, ad omne
opus bonum paratum.Reſtat igitur,vt q ſe non emundauerit,nec per
pœnitẽtiam, peccati maculã abluerit,ſit vas ad contumeliam:Quod ſi
auxerint inſuper malitiam,& ad reuocantem miſericorditer dñm con
uerti per mentis duritiam,et cor impœnitens omnino contempſerint:
ſi dixerint,vt illi apud Hieremiã. Deſperauimus, poſt cogitationes no
ſtras ibimus,vnuſquiſq; prauitatẽ cordis ſui mali faciemus: erit iã,non
ſolum vas minus honeſtũ,& deſpicabile,ſed etiã vas iræ.Ita ergo ratio
nem,quã ibi irreuerẽter, temerarie atq; infideliter velut extorquẽtibus
claudit,hic humiliter et fideliter requirentibus et pie deſyderantibus pã-
dit,Per quã,etiam illud q̃d paulo ante de Iacob et Eſau propoſuit,aper
tius explanatur. Vt eñ Iacob eſſet vas miſericordiæ ad honorẽ ſanctifi
catum,aĩa eius emundauerat ſemetipſam:cuius ergo,aut merito,factus
eſt vas in honorẽ.Quod ipſum,etiã priusq̃ naſceretur,videns ille apud
quem facta ſunt, oĩa q̃ futura ſunt, etiam Eſau fratri illum præpoſuit,
vtiq; ad emundationẽ eius,q̃uis futuram,velut præſentem reſpiciẽs:&
abundantiori etiam gratia,velut digne ea vſurꝫ, præuenit & circunde
dit:vt et in illo cõpletum intelligatur, quod paulo ante idem ſtatuerat,
& docuerat Apoſt.nempe,vt quos præſciuit, grate excepturos ſua do
na gratuita,& diligenter fideliterq; vſuros eiſdem,hos & prædeſtina-
rit conformes fieri imaginis filij ſui,Quos prædeſtinauit,eoſdem et vo
carit,& iuſtificarit,ac demũ etiam glorificarit.Alioq nõ eſt apud illum
perſonaꝝ reſpectus,Oẽs animæ eius ſunt, Omnium æque creator eſt:
omnium dñs:omnium pater:ſuauis vniuerſis, cuius miſerationes ſu-
per omnia opera ſua,diues in omnes qui ipſum inuocant, Omnes vo-
lens & cupiẽs ſaluos fieri,quod in ipſo eſt,ſalua tñ homini libertate ſui
arbitrij,qua nõ ſolum in ſe,ſed etiam vtitur & abutitur in alijs.Ad quã
etiam fere refertur, quos his paruuloꝝ adhibetur ſalutis remedium, il-
lis minime:quemadmodũ & quod hi eoꝝ ſuffocentur,extinguantur-
ve,ſeu vi,ſeu morbo,parentum voluntaria culpa,cõtracto : q̃uis hic il-
lis terminus a Deo præſtitutus nõ fuerat , ſed ſecundũ naturalẽ ſuã pe
riodum potuiſſent diutius viuere:relinquens,vt diximus, hominẽ,in-
ter homines, quo eſſet homo,in manibus conſilij ſui.Sed obiter iſta.

Ratio, cur alia vaſa ad honorẽ, alia ad contumeliam fiant.

Vt per hãc explicatã rationẽ,etiam illud rectius intelligatur,q̃d de Iacob et Eſau propoſuit.

Non eſſe perſonarũ reſpectum apud Deũ, ſed omnes æque animas eius eſſe.

Si qs ergo,inquit,emundauerit ſemetipſum ab his,erit ad honorem
vas ſanctificatum,Emundauit ergo ſe & Iacob,vt vas ad honorem eſ-
ſet,Ad quam emundationem reſpiciens:Quem præſciuit,etiam elegit,
ac prædeſtinauit Deus,et fratri prætulit,quod eſt ipſum dilexiſſe eun-

Emũdaſſe ſe Iacob, vt eſſet vas in honorẽ, ad quã e-

mundationem reſpiciẽs Deus, quẽ præſciuit, etiã elegit, & prædeſtinauit, & fratri ꝑtulit.

Aeque tamen, nõ ex operibus, ſed ex vocante.

Aeque nõ eſſe volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei.

dem Iacob. Aeque tñ verꝫ eſt, quod non ex operibus, ſed ex vocante. Neq; em̃ ex operibus iuſtitiæ q̃ fecimus nos, ſed ſecundũ ſuam miſericordiam ſaluos ille nos fecit, & ad ſalutẽ ante mundi conſtitutionẽ elegit. Aeque etiam verꝫ illud, quod nõ ſit volentis neq; currentis, ſed miſerentis Dei vniuerſum, Quantulũ em̃ hoc eſt, ſi totum debentes Deo & quod ſumus, et quod poſſumus, non ſolũ ob paternam culpam, ſed etiam nr̃am erga illum ingratitudinem atq; inobedientiam, eius irã atque indignationem promeruimus, et æternæ damnationis mortiſque rei effecti ſumus, indoleamus de eaipſa noſtra miſeria: pœniteamus offendiſſe pijſſimum & miſericordiſſimum dñm: imploremus eius veniam, miſericordiam et gratiam: quanq̃ etiam hocipſum vt poſſimus & faciamus ex eius dono ſit. Quantulũ, inquam, iſtudipſum eſt noſtrꝫ velle, noſtrꝫ verſus ipſum currere: nunqd non æque eſt gratuitæ eius miſericordię, & ſolius gratię, ſi ita nos volentes, ita pœnitentes, ita ad ſe currentes benigne excipiat: ignoſcat offenſam: æternæ mortis debitũ remittat: imo, ſi etiã hęredes ſuos nos ſcribat, et adoptet in filios: Quod ſi inſuper idẽ hic pius & miſericordiſſimus dñs, multis ſuis pari dãnationis ſorte aſtrictis ſeruis, erga oẽs viſcera infinitæ ſuæ pietatis aperiat, oẽs adhortetur, vt ſuæ erga ipſum ingratitudinis & offenſæ ex animo pœniteant, & ex ſyncero corde a ſe petant veniam, eandem offerens & promittens oĩbus, inſuper & ſuam amicitiam, & filialem gratiam, ſint aũt, vt ſunt inter nos, proh dolor, pars multo maxima, q eãdem aut nolint, aut negligant, & tam pie reuocantem nos oẽs dñm cõtemnant, ſint & alij meliori ſorte & ingenio, q hanc tam obuiam, tam liberalem benignitatem dñi gratiſſime acceptent, ad illũ currant, illi ſe humiliter proſternant, eius veniam et gratiam humiliter implorent. An non hos volentes & currentes excepturus atq; electurus eſt in filios: Non eqdem ꝙ hoc mereatur horꝫ velle & currere, ſed qa ille pius eſt, bonus & miſericors, & cupit ſuę creaturę benefacere. An & illos recuſantes, q̃uis vocatos & benigne inuitatos, venire ad ſe, & nolentes, imo contemnentes oblatam ſuam gratiã non reprobaturus eſt, & deſtinaturus merito dignoq; ſupplicio: Quid, ſi hocipſum in æternitate faciat, cui pręſens eſt vniuerſa ęternitas, an hic nõ intelligimus, cur hos eligat, illos reprobet: hos vaſa miſericordiæ in honorem præparet, illos vero, vaſa irę in contumeliam: Attamẽ non ex operibus, ſed ex vocante eliguntur hi: neq; eſt hoc voluntatis aut curſus eorꝫ, ſed vnius diuinę miſericordiæ: q̃uis & voluntas exigatur, & curſus, in his qbus & volendi & currendi facultas eſt, & ſeipſos mala voluntate & auerſo curſu fecerunt dãnationi obnoxios, Quanuis ex operibus illorꝫ ſit, q̃d reprobentur ipſi: hoc em̃ demeriti eſt: ſicut illud gratiæ, Hoc iudicij & iuſtitiæ: ſicut illud miſericordiæ, Proinde, quod dicit Apoſt. de Iacob et Eſau loquens, Cũ nondum nati fuiſſent, aut boni aliqd egiſſent aut mali, vt ſecundũ electio-

Nota.

Nõ ex operibus, ſed ex vocãte eligi hos.

Vtrique tñ ex operibus reorobari alios.

nem propoſitũ Dei maneret,non ex operibus,ſed ex vocante dictũ eſt ei.Quia maior ſeruiet minori,ſicut ſcriptũ eſt,Iacob dilexi, Eſau aũt odio habui,Hoc,inquã,(vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret,non ex operibus,ſed ex vocante dictũ eſt,&c.)ſolum Iacob,& factã cum eo gratiam diuinam ,non vero ipſius Eſau reprobationẽ aut odium reſpicit,Neqꝫ eñ ex Dei electione & propoſito,neqꝫ ex vocãte Deo pẽdebat aut pendet,huius,aut cuiuſq̃ reprobatio aut odium, ſed ex electione,prædeſtinatione,& vocatiõe, pendent eius erga nos dona gratiæ & miſericordię:q̃bus,& hic nobis miſericorditer remittit æternæ mortis debitum:ex ſeruis irę et dãnationi obnoxĳs amicos facit:in filios adoptat:hæredes ſcribit,Hæc Dei electionis,propoſiti,& vocationis ſunt,Non vero,vt quenq̃ odio habeat,Neqꝫ eñ odio habens aliq̃d conſtituit,aut quicq̃ odiuit eorꝫ q̃ fecit:ſed dilexit vniuerſa q̃ condidit, Vt itaqꝫ odiſſet Eſau niſi iniuſtitiæ merito,iuſtitiæ & bonitatis eius ratio non patitur,Hunc itaqꝫ ex operibus odio habuit,Iacob non ex operibus,ſed miſericordi ſua electione dilexit:dilecturus & Eſau,niſi noluiſſet diligi.

Eſau ex operibus odio habuit Iacob,non ex operibus,ſed miſericordi ſua electione dilexit.

Proinde D.Auguſtinus in hoc pelagus liberiore ſepius curſu inuectus, tametſi ad oẽm vndecunqꝫ exorientem ventum diſputationis vela pandat,nec certum inſtitutumqꝫ aliquem curſum proſequatur et teneat,ſed explorabundus vagetur quocũqꝫ impetus tulerit,nũc hic impingens,nunc illic,& nonnunq̃ quæ parum digna diuinæ erga nos omnes bonitati videntur , vi diſputationis adactus dicat, libro tamen ad Sanctum Simplicianum, hanc ipſam quæſtionem & varię & diligenter euẽtilans, q̃uis vbiqꝫ ipſa rei difficultate perplexus teneatur, nihilominus, vi ipſa veritatis coactus , in noſtram hanc concedit ſententiam . Siquidem præmittens electionem Dei,noſtram iuſtificationem non præcedere,ſed contra, hanc,illam, Nemo enim eligitur, inq̃t, niſi iam diſtans ab illo qui reĳcitur. Vnde quod dictum eſt, Quia elegit nos Deus ante conſtitutionem mundi,non videre ſe dicit , quõ dictum ſit,niſi præſcientia:iuſtificationis, inquam, velut electione prioris in præſcientia,Quam iuſtificationem cum ex Dei miſericordia, nõ noſtro merito pendere demonſtraſſet , & proinde ex vocante Deo , non operante Iacob ſcriptum,Iacob dilexi, De Eſau vero conſequenter inquirens, cur illi miſericordia ea ſubtracta ſit , vt non ſic vocaretur ſicut Iacob,vocatoqꝫ inſpirareť fides,& credens miſericors fieret,vt bene operaretur? An forte,inquit,quia noluit? Subiungens deinde,ſine vocatione,quæ ſolius Dei eſt,non poſſe quenq̃ credere, quẽadmodum nec inuitum aliquem credere, Nemo itaqꝫ credit, inquit, non vocatus: ſed non omnis credit vocatus,Multi enim ſunt vocati, pauci autem electi: vtiqꝫ ĳ,qui vocantem non contempſerunt, ſed credendo ſequuti ſunt, volentes aũt ſine dubio crediderunt, Quid ergo ſequitur? Igitur non volentis,neqꝫ currentis,ſed miſerentis eſt Dei.An quia, nec velle poſſumus,

Auguſt. libro ad S. Simplicianum, vt explicatę ſubſcribat ſententiæ.

mus,niſi vocati: & nihil valet velle noſtrum niſi vt perficiamus adiu=
uet Deus. Opus eſt ergo & velle & currere, Non tamen volentis neq;
currentis,ſed miſerentis eſt Dei,vt & quod volumus adipiſcamur, &
quo currimus perueniamus. Noluit ergo Eſau & non cucurrit. Sed
etſi voluiſſet & cucurriſſet,Dei adiutorio perueniſſet: qui ei etiam vel
le & currere vocando præſtaret,niſi vocatione contempta reprobus fi
eret. Hactenus Auguſtinus, Cui tametſi in eo non conſentiamus,quod
affirmat priorem eſſe in Dei præſcientia iuſtificationem,quam electio
nem noſtram, cum nos contra non dubitemus cum Apoſtolo, ex ele=
ctione pendere Dei propoſitum,de nos iuſtificando in hac vita,& co=
ronando in gloria,& non cōtra,ex propoſito aut decreto eiuſmodi ele
ctionem, Neq; eñ elegit nos iam iuſtos & ſanctos, ſed elegit nos ante
conſtitutionẽ mundi, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu e=
ius. Electio enim, huius cauſa pronunciatur ab Apoſtolo & nō cōtra.

Quid improbandū videatur in dicta Auguſtini ſententia.

Et quanuis nemo eligatur niſi iam diſtans ab illo a quo reijcitur,nō
tamen oportet diſtantiam illam ex iuſtificatione eſſe: imo,vtrique ap=
prehenduntur:ex ea peccatorų & infecti humani generis maſſa:vtriq;
carere iuſtificationis gratia:ſed diſtantia in eo intelligitur, quod hi vo=
cantem ad eandem gratiam audiunt & ſequuntur, illi obaudiunt &
contemnunt,Quanq̃ nec in audiendo,nec in ſequendo vocantem,nec
in currendo ad ipſum, ſed in vna Dei ignoſcente miſericordia, poſita
ſit noſtræ iuſtificationis gratia.Quanq̃,inquam,in hoc non conſentia=
mus huic Auguſtini ſententiæ.In ea tñ plane noſtra eſt.Quod vocati=
onis contemptum,reprobationis cauſam affirmat, Ex noſtra malitia,
non ex Deo,illa prorſus depēdeat.Sed etſi voluiſſet,inquit,de Eſau lo=
quens,& cucurriſſet,Dei adiutorio perueniſſet,Qui ei etiā velle & cur.
rere vocando præſtaret,niſi vocatione contempta reprobus fieret. Vi=
des etiam hunc affirmantem nobiſcum,reprobationis cauſam,eſſe vo
cationis contemptum,quem infinito illo mentis ſuæ oculo, ab æterno,
velut præſentem intuitus eſt ille,cui velut factum eſt, quicquid futurũ
eſt,Nec vocationem Dei cuiq̃ deeſſe,ſed ſibi deeſſe homines qui aures
cordis ſui obturant vocanti. Et hæc de vaſis vt a plaſte illo noſtro ex
eadem lutea maſſa fiunt, alia quidem in honorem, alia autem in con=
tumeliam, mihi abunde ſufficere videntur.

Peroratio de vaſis a plaſte illo noſtro, ex eadẽ maſſa factis in honorẽ & in contumeliam.

Nunc & illud ad pietatis regulā,quo ſane intelligi poſſit,expenden
dum eſt,q̃d dictū a Deo,non vno loco ſcriptura cōmemorat, Ego in=
durabo cor Pharaōis,Si eñ induratus a deo deliqt Pharao,et in hoc in
duratus eſt,vt in ipſo oſtenderet̃ diuina potentia, nō ſibiipſi delicti ſui
cauſa fuiſſe videtur,nec habuiſſe arbitrij libertatẽ. Proinde nec cæteri,
ex rationis conſequētia ſibi vident̃ ſuę pditionis cauſa exiſtere. Quod
ſi eſt,iniuſtum eſſe Deum neceſſe eſt,qui punit in eis,non ſolum quod
vitare non potuerunt, ſed etiam quod idemipſe in eis operatus eſt.

Quō intelligendū ſit quod toties dicit ſcriptura, Deū induraſſe cor Pharaonis.

Sed

Sed nos q̄ non ſolum iuſtum ſed et bonum Deum confitemur,qui per Moyſen locutus eſt,quō bono iuſtoqꝫ conueniat, ꝙ induraſſe cor Pharaonis dicitur,conſequenter inquiramus. Quodipſum nec erit inuentu difficile,ſi conſideremus vno eodemqꝫ diuinæ benignitatis officio,dum benignitate ac patientia ſua ęqualiter erga oēs vtitur,alterum ad pœnitentiam conuerti,vt miſericordiæ eius dein particeps inueniatur:alterum contra indurari, qui eius benignitate & patientia ad contemptum abutitur, Quodipſum aptiſſimo exemplo, quo in epiſtola ad Hebræos vſus eſt Paulus apoſtolus, reddetur illuſtrius.

Vt eodē officio diuinæ benignitatis (qua æqualiter erga omnes vtitur) cōuertatur vnus & induretur alter.

Terra eñ,inquit,ſępe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam oportunam illis a quibus colitur,accipit benedictionem a Deo. Proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt & maledicto proxima:cuius conſummatio eſt in combuſtionē. Audis quid dicat ille:vno codēqꝫ diuinę benignitatis opere,quo imbrē terrę infundit atqꝫ elargitur cōmuniter,aliam quidem, vtpote cultā diligēter, fructus bonos afferre:aliam vero, q̄ inculta eſt, proferre ſpinas & tribulos. Et q̄uis imber, & fructuum bonoꝵ, et ſpinaꝵ tribulorumqꝫ cauſa fuiſſe videatur:cū pluuiæ beneficio,vtroſqꝫ terra produxerit:non tñ imbribus merito aſcribetur diuerſitas germinis: ſed ad illos iure noxij germinis culpa reflectetur,qui cum poſſent frequenti aratro terram ſcindere,raſtris grauibus torpentes glebas vertere, & noxij germinis vniuerſas radices ſuccidere atqꝫ amputare,cunctiſqꝫ quos cultus ille depoſcit laboribus ac ſtudijs purgata exculataqꝫ noualia venturis imbribus præparare,hoc facere negligentes,deſidię aptiſſimos fructus, ſpinas & tribulos metunt. Ita, vt ſuper omnem terram æqualiter effuſa imbrium bonitas,quod ex ſe eſt,vniuerſam æque fœcundet: tamen ſola q̄ diligenter exculta eſt, ſuis cultoribus vtiles fructus cum benedictione proferat:quæ vero cultoris deſidia obduruit,ſpinas ac tribulos germinet.

Nota exēplum, quo Apoſtolus ad Hebręos vtitur.

Proinde,Quod a Deo induratus Pharao dicitur,ſi eo ſermonis tropo dictum accipiat,quo ad ſeruos nequā benigniores dñi,quoꝵ multa manſuetudine inſolentiores improbioreſqꝫ euaſerunt, vti ſolent ac dicere. Ego te talē feci,ego te mea patientia ꝑdidi,huius ego tàm duræ tuæ ac peſſimæ inſolentiæ cauſa exiſto, qui te non ſtatim per ſingulas culpas pro merito delictorum punio, Hanc,inquam, ſermonis figurā in dictis Dei de Pharaone verbis,ſi aduertamus,nec Dei bonitati iniurij erimus,nec verbo ſcripturæ inferemus calumniam, Intelligemus enim, & illum ſua benignitate ac patientia nos ad pœnitentiam adducere:& nos eiſdem abutentes,à nobiſipſis noſtraque culpa indurari,& theſaurizari nobis iram in die iræ & iuſti iudicij Dei, Quemadmodum ad hos etiam dicit Apoſtolus. An diuitias,inquit,bonitatis ac patientiæ & longanimitatis eius cōtemnis? Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & im-

Tropus, ſecundū quē dicitur a Deo induratus Pharao.

patiens cor tuum, Theſaurizas tibi iram in die irę & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; ſecundum opera eius.

Nota, vt Apoſtolus in obduratiõe noſtri, opus Dei, ab opere noſtro diligenter diſtinguat.

Et vide vt diligenter opus Dei ab opere nr̃o diſtinguat, Ille diuitijs bonitatis, patientię, & longanimitatis ſuę oẽs ad pœnitentiã conat̃ adducere, Nobis aſcribit cordis nr̃i duritiã atq; impœnitentiam, Noſtri p̃terea operis eſt, theſaurizare nobis irã: vt ſciamus nulli hæc imputanda q̃ nobis. Quæ equidẽ Apoſt. verba nihil minus in Pharaonẽ, q̃ in eiuſdẽ notę alios congruũt. Theſaurizauit & ille ſibi irã in die iræ & reuelatiõis iuſti iudicij Dei, p̃ impœnitẽtis cordis ſui duritiam: q̃ ab ipſo, non vero a Deo, niſi prædicto ſermonis tropo, fuiſſe, vere dici poteſt.

Quõ etiam illud prophetę ex perſona peccatorũ, q̃bus ſe cõnumerat, ſed culpam ac miſeriam ſuam agnoſcentiũ, & diuinam miſericordiã implorantiũ, accipiendũ eſt, Vt quid, inquit, dñe errare nos feciſti a via tua? Quare induraſti cor noſtrũ, vt non timeremus nomen tuum? Cõuertere propter ſeruos tuos, propter tribus hereditatis tuæ. Similiter et illud Hieremiæ, Seduxiſti nos dñe, & ſeducti ſumus: tenuiſti, & potuiſti. Itaq; quod ait, Ad quid dñe induraſti cor noſtrum, vti non timeremus nomen tuum? dicta illa atq; vſitata locutionis figura accipiendũ eſt: perinde ac ſi diceret, Vt quid in tantũ pepercisti nobis, vt per hoc increſceret malũ, & animaduerſione ceſſante inſolentius efferretur peccandi licẽtia? Nam vt equus niſi aſſidui rectoris ſeſſoriſq; patiatur calcaria, & frenis ora ferratis obteratur, fit contumax, durus, atq; intractabilis, & pueritia niſi paternæ diſtrictionis ſæueritate & plagis curuetur, inſolentem ſimul & præcipitem iuuenem reddit, Sic non multo tempore ſine repeccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij iudiciũ eſt, inquit ille, & veriſſime inquit, Nam quos ſibi relinquit Deus & negligit, correptione iam indignos iudicauit. Quos & relinquendo negligendoque etiam indurare dicitur.

Similia. Apratio.

Vt nos nobis relinquendo deus indurare dicatur. Abſolutio inductæ ſententiæ apoſtolicæ

Recte ergo aduerſus eos q̃s indigna Deo, ex his q̃ de Iacob & Eſau, Pharaone, & verbis Dei ad Moyſen induxerat, intelligebat ſentire de Deo, et obijciẽtes induxerat, ſtomachi & indignatiõis plenã reſponſionẽ proſequẽs, poſtq̃ exẽplo figuli et luti os illis impudẽs & blaſphemũ occluſerat, ſubiecta interrogatiõe iniquã eorũ ſentẽtiam coarguit. Quã tñ (q̃d indignantiũ eſt propriũ) hiulcã imperfectamq; relinq̃t, Quod ſi, inq̃t, Deus volens oſtendere iram, & notã facere potentiam ſuã, ſuſtinuit in multa patiẽtia vaſa iræ apta in interitũ, vt oſtẽderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ q̃ p̃parauit in gloriam, (nunquid ex hoc peccatis tuis excuſationẽ prætendendam tibi ex voluntate Dei exiſtimas?) Hoc eñi deeſt ſententiæ, in q̃ indignationis ſuæ affectũ aduerſus eos demonſtraret, q̃ tam impie ſentiebant de optimo Deo, vt Deũ malorũ atq; impietatum ſuarum authorem auderent facere, abrupta ſentẽtia, ſupplendũ auditori lectoriq; reliquit. Perinde ac ſi diceret, Quod

ſi Deus

ſi Deus Pharaonem & qui eius notæ ſunt ſimiles,iã longe ante accõmo dantes ſe vt fierent vaſa ignominiæ & iræ,& ſemetipſos concinnantes ad interitum, poſtq̃ ſæpe & multum ad ſanam illos mẽtem reuocaſſet, & magna patientia,quod in ſe erat,ad pœnitentiam eos adducens,ſuſti nuiſſet ac pertuliſſet,videns iamdudum contemni ab illis ſuæ bonitatis & miſericordiæ diuitias,& aliorum eruditionem & exemplum, & ſui nominis gloriam requirere vt producantur in ſpectaculum, tanquam in harenam,dignis ſupplicijs damnatos,velut feris obijciat, quo & declaret omnibus vim ſuæ poteſtatis & magnitudinis,vt metuatur ab improbis,& diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præpara uit in gloriam patefaceret,notasq; redderet, nunquid habes, quod tu illum iniuſtitiæ arguas ? quod queraris de illo, quaſi aut tibi aut cuiquam alteri perditionis author fuerit, quod tua malitia & peccato ad aliorum vtilitatem & ſui nominis gloriam vtitur ? Non ipſe tibi peccati author eſt: ſed cum te profligatum penitus perditumque cognoſcit,vt vaſe proiecto atq; inutili, nihilominus ad bonum vtitur, Quæ infinitæ eius bonitatis eſt commendatio.

Reducens deinde Apoſtolus orationem ad ſuum principium, vnde in hæc digreſſus fuerat, Vaſa illa miſericordiæ,quæ ex æterno præparauit Deus ad gloriam,non carnis ſed promiſſionis filij, verique Iſraelitæ ſunt. Hocipſum confirmans Oſeæ teſtimonio. Et hactenus quidem inductus aduerſus arbitrij libertatem Pauli locus,qui vniuerſos tractatores torſit,& magnis multos perplexitatibus inuoluit,pleriſque etiam fuit & eſt, lapis offenſionis & petra ſcandali, ad pietatis regulam,ſatis, ni fallor, dilucide a nobis explicatus eſt, In quo tantiſper immorari mihi viſum eſt operæpretium. Nec puto quod te Lector legiſſe pigebit.

Peroratio, de inducto loco Apoſtoli ad Romanos.

Quod vero in confirmationem ingeſtarum ex eodem difficultatũ, de diuina,ex æterno, electione, prædefinitione aut prædeſtinatione, ac decreto erga nos,inducitur ex eodem Apoſtolo,tanquam inde pendeat, q̃ & vocemur in tempore,& iuſtificemur,& tandem glorificemur etiam,& proinde nihil eius ſit noſtræ poteſtatis, noſtrive arbitrij, Supra a nobis ſatis explicatum eſt,& demonſtratum, vt hæc non tollant nobis ad hæc omnia noſtri facultatem arbitrij: imo nec ad hoc quidẽ, vt ex æterno electus prædeſtinatusq; ſis. Quandoquidem electio & prædeſtinatio eiuſmodi,ex præſcientia dependeat,Et in æterno hoc,nihil tranſeat in præteritum,ſed vniuerſum ſemper præſens ſit, Proinde quemadmodum nulla hac in re difficultate teneremur, ſi imaginaremur,præſcientiam Dei rem ipſam non præcedere,ſed tm̃ intueri præſentia:atq; ita quos videret obtemperantes vocationi ſuæ & oblatam gratiã grate acceptantes,& ea gnauiter ad finẽ vſq; pſeueranterq; vtentes,dirigeret ad ſuam gloriã:contẽptores vero ſuæ vocationis & oblatę

Quomodo facile intelligatur in noſtra poteſtate ſitum eſſe, quid ab æterno de nobis conſtituerit Deus.

gratiæ, deſtinaret ad ſupplicium & interitum. Ita nulla merito maiori difficultate teneberis, ſi cogites, infinitum illum diuinæ mẽtis oculum, immenſa illa ſua perſpicacia ac vi viſoria per vniuerſam ſe æternitatem extendere, & intueri omnia vt præſentia, & quæ fuerunt, & quæ ſunt, & quæ futura ſunt, Quæ vniuerſa illi ſunt, tanquam iam facta & præſentia, Quemadmodum ſupra pluribus explicauimus. Itaq; quanuis iuſtificetur ac glorificetur nemo niſi vocatus ſecundum electionem, propoſitum, prædefinitionemq; æternam: ex hoc conſequens non eſt, nihil eius, ex nobis pendere: quaſi noſtræ poteſtatis non ſit, quid de nobis ab æterno conſtituerit dominus, Nam cum nihil conſtituerit, niſi ex eorum quæ circa nos futura erant, præſcientia, & in poteſtate noſtra ſit & maneat, quid ab æterno de nobis præſciuerit, quemadmodum ſupra luculentiſſime demonſtrauimus. (Dependet enim ex re præuiſa præſcientia, & non econtra. Neq; enim ideo aliquid erit quia præſcitur: nec ideo eſt, quia eſſe ſcitur: ſed econtra, ideo ſcitur, aut præſcitur, quia eſt aut erit) manifeſtum eſt, in poteſtate noſtra manere, quid ab æterno de nobis cõſtituerit. Fallit aũt hac in re prioris & poſterioris imaginatio, Quã ſi tollas, & intelligas (quod re vera eſt) diuinę mẽtis oculo vniuerſa quæcunq; in vniuerſitate ſunt, eſſe æque pręſentia, & ex pręſentium intuitione ipſum conſtituere de quoq; ſecundum ea q̃ in vnoquoq; intuetur, facile intelliges, noſtrę poteſtatis eſſe, qđ de nobis cõſtituat, ſi noſtræ poteſtatis eſt, quid nos facientes aut omittentes videat,

Quid rationem humanam fallat hac in re, & obſcuritatem illi iniiciat.

Quomodo nos elegerit Deus in Chriſto, vt eſſemus ſancti, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, &c.

Quod nos elegit in Chriſto, nihil dictis contradicit, ſed per omnia conſonat. Neq; enim propter opera iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed propter miſericordiam ſuam, & intuitu meritorꝵ filiȷ ſui ſaluos nos fecit, atque etiam elegit, poſtq̃ in origine lapſos nos vidit, ad ſalutem: nõ tñ nihil ad eam facientes, quibus faciendi facultas data eſt, quemadmodum ſupra demõſtrauimus. Elegit itaq; nos in ipſo: nullo quidẽ noſtro merito, quod cauſa eſſet electionis eiuſmodi: tñ, quia locum præuidit fore ſuæ in nobis expoſitæ oĩbus gratiæ elegit nos vt illi cooperantes, per eã eſſemus ſancti: & quia per eam futuri eramus ſancti: cum etſi ſola illa nos ſanctificet, non tamen, ſine nobis, poſtq̃ noſtri facti ſumus nos ſanctificat: Elegit deniq; ex omnibus: quia quod in cõmune propoſitum erat omnibus, noſtrum peculiariter fore præuidit. Elegit autem ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ: quod eſt & erat eiuſmodi, vt eos eligeret, de quibus præſciebat futurum id quod dictum eſt.

Falſum eſt itaq; nulla in conſiderationem venire noſtra aut opera aut merita, vbi hoc regnat Dei beneplacitum. Hoc eñ Deo placet, vt obuiam eius benignitatem & gratiã amplexemur: atq; eius adiutorio ſancte pie & iuſte viuamus in hoc ſæculo: atq; hoc ipm̃ facientibus dare ſuæ beatitudinis conſortiũ, Sanctificatio & puritas, electiõis effectus eſt; cũ tota a diuina gratia pendeat, Sed quia illa, alioqui ex ſe propoſita

com-

cõmuniter omnibus,etiam in nobis & ex nobis requirit aliquid vt nos ſanctificet:eius præſcientia,electionis cauſa haud incõgrue dici poteſt.

Elegit itaq; nos,ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, quod propoſuerat in ſemetipſo:quod perinde valet, ac ſi dixiſſet, ex infinita ſua bonitate & nulla cauſa alia,Sed quia ex eadem bonitate & eodem propoſito,rationabiles ſuas creaturas,quibus ob hocipſum, liberum dedit voluntatis arbitrium, volebat ſuæ bonitati conformari, ad hocipſum omnibus offerens ſuæ gratiæ paratum adiutorium, quos eidem non defuturos præſciebat,prædefiniuit conformes fieri imaginis filij ſui,& ad ſuæ beatitudinis deſtinauit conſortium. Propoſuit itaq; in ſemetipſo:hoc eſt,in ipſo erat ratio,cur hoc proponeret: nempe, infinita eius bonitas,vt dictum eſt:attamen illudipſum eius propoſitũm eo reſpiciebat,vt ſuas creaturas, ad voluntariam bonitatem prouocaret:propoſito eius præmio, ſuæ,inquam, beatitudinis & gloriæ:ad cuius conſortium prædeſtinauit, quos præſciuit.

Quod addit Caluinus prædictis verbis ſubiungi ab Apoſtolo, eo pertinere totam electionis noſtræ ſummam,vt ſimus in laudem diuinæ gratiæ,non male diceret,ſi nõ male ſuumipſius dictum intelligeret, Eo haud dubie ſpectat noſtræ electionis ſumma, vt ſimus ſancti & immaculati per diuinam gratiam: vt idem affirmat Apoſtolus, Quod cum ſumus,in laudem ſumus diuinæ gratiæ:quia ea laus eſt diuinæ gratiæ, quæ nos ſanctificat & immaculatos facit: vt laus eſt præceptoris, virtus & doctrina diſcipuli.

Quo vere ſpectet noſtræ electionis ſumma.

Quod dicit inſuper, gratiam,laudem non mereri,ſi gratuita non ſit, rectius dixiſſet gratiam non eſſe,ſi gratuita non ſit, Nam laudem multa merentur,etiamſi gratuita non ſint, Laudatur magiſter ex doctrina diſcipuli, quanuis gratis eum non docuerit, Laudantur orationes Ciceronis & Demoſthenis,tametſi nõ gratis elaboratæ ſint,ſed (quod de hoc haud infeſtiue nec minus vere dictũ eſt) argentina laborauerint, Laudantur Apellis, Phidiæ & Policleti opera,vt in qbus artis ſuæ vim mirabilem & pene abſolutam expreſſerunt: quemadmodum & oĩm excellentium artificũ in re quacunq; abſoluta opera. In quibus in conſiderationem non venit,quam gratis facta,ſed quam abſoluta & perfecta ſint.Non minus laudatur boni & benigni domini in ſuos ſeruos liberalitas,eo ſpectans,vt frugi eos & ſui ſimiles,bonos & ſtudioſos faciat:ſi obſequentibus ſibi,proponat virtutum præmia:nequã vero,contumacibus & rebellibus pœnas,& ſupplicia, Nec ideo minus liberalis, minusq; commendanda eius illa in ſibi obſequentes benignitas,quam ſi eandem quibuslibet, etiam ſeruis nequam, abſq; vllo virtutis reſpectu obtruderet:quin potius tanto laudatior, quo hæc ad emendationẽ & virtutem ſeruorum ſpectat,quo illa non ſpectaret.

Vt inepte dicat Caluinus, Gratiã laudem nõ mereri, ſi gratuita non ſit.

Merito laudari multa etſi gratuita nõ ſint.

Laudatiorem benigni domini in ſeruos ſuos liberalitatem, quæ virtutis reſpectu confertur,quã ſi eius nullum reſpectum haberet.

Reſtat nunc, vt eandem pietatis regulam ſequuti,eorum qui etiã ex

Explicatio locorū difficilium, qui ex Euangelĳs aduerſus arbitrĳ noſtri libertatem inducti ſunt.

Euāgelĳs inducti ſunt,locorum ſane difficilium atq; obſcurorū,ſanam orthodoxamq; intelligentiam explicare conemur:illi fidentes,qui promiſit inuenturos,humiliter,fideliterq; quærentes:nec deſtituet.

Vt vnus ſcripturæ locus illuſtret alium.

Cur eādem ſalutis noſtræ peractam in terris hiſtoriā, a quatuor Euangeliſtis explicari nobis voluerit ſacer ſpiritus.

Hoc autem inprimis meminiſſe te conuenit, vt noſtræ vtilitati conſulens, & piæ exercitationi materiam ſubminiſtrans diuinus ille ſpiritus,ita temperarit ſuorum linguas & calamos,vt quod ab vno,aut vno in loco eſt dictum obſcurius,id alio loco,idem, aut alter explicaret apertius.Ita enim fieri, vt vnus ſcripturæ locus illuſtret alium. Cuius rei,in his explicandis quæ a Chriſto in terris inter homines conuerſante,& viam ſalutis nos docente,& peragente myſterium,dicta geſtaque ſunt, admirabilem quandam rationem mihi habuiſſe videtur: dum eadem,velut quatuor ſcribis ac notarĳs fidelibus,nobis reddidit, Non ſolum vt ſua ſibi conſonantia, alter alteri indubiæ veritatis teſtimonium perhiberet: ſed etiam, vt vnius,ſi qua incidiſſet,obſcuritas, alterius collatione clareſceret.

Verba Chriſti in explicata diſcipulis ſeminantis parabola vt ea explicet Marcus Matthæus.

Proinde quod apud Marcum legitur diſcipulis dictum a domino, cum ſeminantis eiſdem parabolam diſſereret, Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei:illis aūt qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant,& non videant,& audientes audiant & non intelligant,ne quando cōuertantur & dimittantur eis peccata. Illud,inquā, ipſum videamus quo pacto Matthæus plenius & clarius enarret.

Poſt dictam a Ieſu ſedente in nauicula ad turbas quæ foris ſtabant illam ſeminantis parabolam, accedentes, inquit, diſcipuli dixerunt ei, Quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens ait illis, Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorū:illis autem non eſt datum, Qui enim habet,dabitur ei & abundabit. Qui autem non habet, quod habet,auferetur ab eo,Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident,& audientes nō audiunt,neq; intelligūt. Vt impleatur in eis prophetia Eſaiæ dicentis, Auditu audietis & non intelligetis: & videntes videbitis,& non videbitis,Incraſſatum eſt eīm cor populi huius,& auribus grauiter audierunt,& oculos ſuos clauſerunt,ne qn̄ videant oculis,& auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & ſanem eos.

Vt a Matthæo clare illuſtretur iniecta ex Marco obſcuritas.

Qui extra eccleſiam ſunt incapaces eſſe diuini ſermonis intelligentiæ.

Hactenus Matthæus, a quo vides clariſſime illuſtrari obſcuritatē ac difficultatem ex Marci verbis ingeſtam, Inprimis ad clariorem huius loci intelligentiam facit,quod vterq; ſcribit Euangeliſta, & in naui reſediſſe docentem dn̄m,& turbas foris ſtetiſſe, Ad quas tunc in parabolis loquens,ſignificabat illoipſo facti ipſius gn̄e, eos qui extra eccleſiā poſiti ſunt,incapaces eſſe diuini ſermonis intelligentiæ: vt vel hinc mirum nō ſit,etiam eos aduerſus quos agimus,agi ſpiritu erroris & vertiginis:vt & in ipſis cōpletum videamus,q̄d in eiſdē & ſimilibus futurę Chriſtus ſuis prædixit Apoſtolis, Vt,inq̄,videntes non videant,& audientes non audiant,nec intelligant,Nauis enim eccleſiæ typum præ ſe fert,

fert, Intra quam verbum vitæ poſitum & prædicatum, hi qui extra ſunt, intelligere nō poſſunt. Quod ipſum Marcus paulo clarius innuit dicens, Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: vobis, inquam, fidelibus, meis diſcipulis, eccleſiæ filijs. Illis aūt qui foris ſunt, extra illam nauem myſticam, in parabolis omnia fiunt, Quare? Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit, Qui aūt non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo, Regni cœleſtis myſteria fides percipit, Niſi enim credideritis, inquit ille, non intelligetis, Hæc, in quibus fuerit, proficiet: & incrementis profectus ſui abundabit. In quibus vero non fuerit, etiam quod habēt, auferetur ab eis: damnum videlicet & rationis naturalis, & legis, ex inopia fidei declarans. Quam fidem Iudæi non habentes, etiam legem quam habuerunt, perdiderunt, & ante ſibi fecerant inutilem. Et ideo fides Euangelica, donum perfectum habet, Quia ſuſcepta nouis nos fructibus ditat: repudiata vero, etiam veteris ſubſtantiæ opes detrahit. Ideo, inquit, in parabolis loquor eis. Quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt, Non ideo in parabolis loquebatur illis, ne viderent aut intelligerent fidei veritatem ipſis neceſſariam, Sed quia videntes non videbant, & audientes non audiebant nec intelligebant.

Cur vero non viderent, nec intelligerent, vt conuerterentur ad ſalutem, Eſaiæ verbis de illis ipſis longe ante prædictis explicat. Incraſſatum eſt enim, inquit, cor populi huius: & auribus grauiter audierunt: & oculos ſuos clauſerunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. Audis cur non viderint, nec intellexerint ad conuerſionem & ſalutem ſuam, Quia noluerunt. Quia clauſerunt oculos ſuos, quia indurauerunt corda ſua.

Proinde, Quod poſt redditam cauſam, cur his qui foris ſunt loqueretur in parabolis, quia videlicet videntes & audientes non videbant nec intelligebant, ita ſubditur, vt impleatur in eis prophetia Eſaiæ: non hoc ſignificauit, Eſaiæ prædictionem illis fuiſſe incredulitatis ſuæ cauſam, Cum hoc, illud ipſum Eſaiæ citatū teſtimonium redarguat, quod ipſiſmet, incredulitatis ſuæ cauſam attribuit. Quia videlicet noluerunt videre, ſed clauſerunt oculos ſuos, Deus enim futurorum præſcius, per prophetam ſuum prædixit Iudæorum incredulitatem, non fecit. Non propterea Deus quenq̄ ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit. Ipſorum enim præſciuit peccata, non ſua. Quæ ſua eſſent, non ipſorum niſi ſua ipſorum culpa & obſtinatione increduli eſſent Iudæi: quod futurum prædixit, quem nihil latet. Nō igitur (vt) hoc loco cauſale eſt, ſed euentus indicatiuum: aut vt dicam ſignificantius, conſequutiuum atq; illatiuum eſt, Perinde ac ſi dixiſſet, Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, &c. vt impleatam intelligas

Vt, quomodo ſubinde nō cauſale fit, ſed indicatiuum, conſequutiuum atq; illatiuum.

gas Eſaiæ prædictionem. Hoc enim ex illo conſequens eſt, Non enim quia hoc prædixit Eſaias, non crediderunt: ſed quia non erant credituri, ideo Eſaias prædixit, & horum incredulitas veritatem illius prædictionis comprobauit.

Apud Marcum vero, idem, vt, cauſale eſt: ſed impropriè poſitum, pro, quia: vt videlicet cauſam efficientem indicet, non finalem: quam alioqui propriè diſignat, Et poſitus eſt illic modus pro modo, coniunctiuus pro indicatiuo: vt eadem ſit apud eundem ſententia, quam Matthæus proprijs, ſignificantibus, & clariſſimis verbis expreſſit: perinde ac ſi dixiſſet, Illis autem qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt, Quia videntes non vident, & audientes non audiunt, Quod in diuinis ſcripturis haud eſt inſolens, vt modus pro modo, & tempus ponatur pro tempore. In pſalmis Dauidicis hæc vox Chriſti ad patrem de inimicis ſuis legitur, Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet a dextris eius. Cum iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. In memoriam redeat iniquitas patrum eius, & peccatum matris eius non deleatur, fiant contra dominum ſemper, Et alia pleraque eiuſmodi. Attamen certum eſt Chriſtum non optaſſe inimicis ſuis malum: quin potius in cruce pendens patrem pro eiſdē orauit, qui ſe crucifixerant, vt ipſis ignoſceret, quia neſcirent quid facerent. Proinde, dicta illa, non tam execrantis aut imprecantis affectu, quam prædicentis ſpiritu neceſſario accipienda ſunt, Itaq; & in Hebraica veritate, per verba indicatiui, non imperatiui aut optatiui modi hæc explicata leguntur. Ita enim in eadem legitur. Conſtituet ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtabit a dextris eius, &c. Quin & in hoc ipſo a Chriſto citato, quem tractamus, Eſaiæ loco, idem vſu veniſſe inuenies, Apud Eſaiam enim, iuxta Hebraicam veritatem, ita legitur. Vade & dices populo huic, Audite audiētes, & nolite intelligere, videte viſionem & nolite cognoſcere, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde intelligat, & conuertatur & ſanem eos. Quem, ſi Matthæo credimus, ita explicauit & expreſſit diſcipulis ſuis Chriſtus, Auribus audietis & nō intelligetis: videntes videbitis, & non videbitis, Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt: & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligāt, & conuertantur & ſanem eos. Itaq; veritate ipſa exponente & docente, verba illa quæ apud Eſaiam in imperatiuo modo leguntur, nihil tamen aliud quam prædicentis ac denunciantis important affectum. Proinde & Paulus apud Lucā in actis, eiſdem fere quibus apud Matthæum Chriſtus, hunc ipſum Eſaiæ locum, verbis citat, dicens ad Iudæos. Quia bene ſpiritus ſanctus loquutus eſt, per Eſaiam prophetam, ad patres noſtros dicens, Vade ad populum iſtum & dic, Aure audietis, &

tis,& non intelligetis: videntes videbitis & non perſpicietis, Incraſſatum eſt enim cor populi huius: & auribus grauiter audierunt: & oculos ſuos compreſſerunt,ne forte videant oculis,& corde intelligant, & conuertantur & ſanem eos. Vides etiam hoc magiſtro atq; interprete Apoſtolo, eſſe verum quod diximus. Itaq; Marcus ad Eſaiæ verba, vt apud Hebræos leguntur,reſpiciens, verbis ſimilibus Chriſti verba expreſſit, Matthæus vero,qui ipſum Chriſtum coram diſſerentem audierat,ipſiſſima etiam Chriſti verba nobis reddidit,quibus & prophetici ſermonis intelligentiam ſuis, clarius expreſſit: & pietatis regulam ſubindicauit, ad quam ſimilia quæ in prophetis & pſalmis leguntur, nobis ſane intelligenda ſunt, Et hæc quidem ad difficultatem ex Marci Euangelio inductam obiter nobis hic iſta tractantibus, abunde ſufficere videntur. Per quæ etiam ad alteram diſſoluendam ex Iohannis Euangelio inductam,magnus nobis gradus iactus eſt.

Explicatur locus ex Iohanne difficilis.

Inprimis,Quod cum admiratione quadam dicit in Saluatorem noſtrum non credidiſſe Iudæos,q̃uis tanta ſigna feciſſet coram eis,vt ſermo Eſaiæ impleretur,quē dixit, Domine quis credidit auditui noſtro: & brachium dñi cui reuelatū eſt? Vt,coniunctio,non cauſalis,ſed indicatiua,aut potius illatiua eſt, queādmodum in memorato Marci loco, & vbicunq; aliquid factum dicitur,vt impleretur ſcriptura.

Nota, quā diuerſimode idem ſcripturæ locus ſcriptus legatur loco proprio, Et efferatur a Christo apud Matthæum, & apud Marcum, Efferatur denique et a Iohanne & a Paulo.

Quod vero conſequenter ſubiungit, Propterea non potuiſſe illos credere,quia iterum dixit Eſaias. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum,vt non videant oculis,& non intelligant corde, & conuertantur & ſanem eos,multis nominibus magnā nobis difficultatem ingerit. Primum,hoc plane falſum videtur,quod non poterant credere. Deinde,vt non potuiſſent,hoc ſane falſum eſſet, propterea non potuiſſe,quod prædixiſſet Eſaias. Poſtremo, non inuenit̃ hoc prædixiſſe Eſaiam quod illi aſcribit Euangeliſta. Locus enim quem citat,is ille eſt, qui citatur & a Saluatore apud Matthæum, & a Paulo in Actis, nempe cap. VI. qui apud Hebræos legitur,quemadmodum ſupra explicauimus,vbi non dicitur Deus excæcaſſe oculos eorum,& induraſſe cor eorum,ſed hæc verba Dei ſunt ad prophetam. Vade & dices populo huic. Audite audientes & nolite intelligere, videte videntes & nolite cognoſcere, excæca cor populi huius,& aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, &c. Hæc itaq; verba imperatiua,ſunt ad prophetam vt ille cor populi Iudaici excæcet, aures aggrauet,oculos claudat. Quæ quoniā illius nō ſunt, cum nō potuerit Eſaias excæcare corda populi ſui,nō aures aggrauare,nec oculos claudere, certum eſt verba illa ad prædictionem tantū pertinere: & iuſſus eſt ille excæcare cor populi ſui,hoc eſt,prænunciare excæcādum: aggrauare aures,& claudere oculos,hoc eſt,prędicere,quod clauſuri eſſent oculos,aggrauaturi aures,obduraturi corda ſua,Quemadmodum & Chriſto et

Paulo fideliſſimis interpretibus, (quorum ille apud Matthæum, hic apud Lucam in Actis eundem locum, ſed verbis, vt audiſti, apertioribus, & captui noſtro commodioribus, nempe, ſolam prædictionem infidelitatis & obſtinationis Iudaici illius populi, quæ ex ipſo, non ex Deo cauſam ſuam haberet, citantes expreſſerunt) clariſſime demonſtrauimus.

Vt dicta concilietur pugnantia.

Quid ergo dicemus? An forte mentitus eſt ille veritatis Euangeliſta? Abſit a nobis eiuſmodi blaſphemia, Quin potius, diuini ſpiritus conſilio factum nihil dubitandum eſt, vt ille prædictionem Eſaiæ aliter quam apud Hebræos legitur, aliter etiam quam citata eſt, & a Chriſto, & a Paulo apoſtolo efferret, Quod ſi forte non aſſequimur, latentem nihilominus & abſconditam nobis veritatem venerabimur: ſemper tamen firmiter innixi illi ſacræ anchoræ, illi pietatis regulæ. Quam præ oculis habentes, & ad eandem hunc Euangeliſtæ locum excutientes, quod ab eodem dictum eſt, Iudæos, etiam viſis tot & tantis a Chriſto ſignis, non potuiſſe credere, mihi eiuſmodi videtur, quale eſt illud apud Hieremiam. Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum, Quibus vtique verbis, non impoſſibilitas, ſed difficultas bene agendi illis exprobratur, haud aliunde, quam ex propria eorum inueterataque malitia proueniens, Cum, inquit, didiceritis malum, atque aſſueueritis malo. Quo loquendi genere, etiam vulgo vtimur, cum dicimus, Non poſſum amare illum, non obliuiſci illatæ iniuriæ, non veniam dare offenſionis in me factæ. Non vtique impoſſibilitatem ſignificantes, ſed difficilem ad id animi inflexionem, propter vehementem affectum (cui habenas permiſimus) in contrarium. In hunc modum, Cum excæcatio & obduratio Iudaici illius populi reddidiſſet ipſos ad credendum difficillime diſpoſitos, hinc dicti ſunt, non poſſe credere, Sed ideo non potuerunt, quia noluerunt: quia obdurauerunt corda ſua, clauſerunt oculos ſuos, & excæcauit eos propria malitia.

Non poſſe, difficultatẽ nõ impoſſibilitatem ſæpe ſignificare in ſcripturis.

Poteſtatis nomen, pro voluntate, ſæpe poni in ſcripturis.

Quin & poteſtatis nomen crebro vſu ſcripturæ pro voluntate poni videtur. Quemadmodum cum ait dominus in Euangelio. Qui poteſt capere capiat, Id eo ſermone ſignificãs, quod qui vult amplecti hoc vitæ inſtitutum, quo ſemetipſum caſtrans propter regnum Dei eunuchus fiat, amplectatur ipſum. Ad quod neminem aſtringit præcepto, ſed ſolum conſulit: ſimul admonens ipſum eſſe ſublime atque arduum, & iccirco in cuiuſque relinquit arbitrio. Similiter & in illo quod etiam dicit Chriſtus. Non poteſt mundus vos odio habere, Per mundum homines mundo viuentes ac deditos intelligens. Quos illo verbo ſignificat nolle odio perſequi ſui ſimiles, & fere non accidere, vt hoc accidat: non vero impoſſibile eſſe vt fiat.

Quod autem velut cauſam reddens obſtinatæ illius infidelitatis Iudai-

Iudaicæ dicit. Propterea Iudæos non potuiſſe credere, quia iterum dixit Eſaias, Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum, &c. ita accipiendum eſt, vt prædictum ipſum, & non prædictionem, eius cauſam innuere voluerit, perinde ac ſi dixiſſet, Propter hoc vero non poterant credere, quod etiam ab Eſaia prædictum eſt, hoc, inquam, Quia excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt excæcatio & obduratio eorum, intelligatur ipſis fuiſſe infidelitatis cauſa, & non prophetæ prædictio. Quanquam autem ſupra clariſſime demonſtrauerimus noſtræ excæcationis atque obdurationis ex nobis, non ex Deo, cauſam eſſe: mos tamen eſt ſcripturæ, etiam hæc ipſa, velut a Deo in pœnam peccatorum inflicta, ſignificare. Quemadmodum Solis radijs ad hoc omnibus lucentes, vt omnibus viſum præſtent, lippientes tamen, aut alio morbo laborantes oculos perſtringunt, & eiſdem cæcitatem inferunt, non ſua, ſed oculorum culpa. Quem morbum cum in oculis mentis noſtræ, vt ita afficiantur a diuinæ illuſtrationis radijs, nos ipſi faciamus: nobis merito imputatur, quod Sol ille aciem noſtram hebetet, & excæcet, & terram cordis noſtri non ſubactam & excultam ſalutaris pœnitentiæ vomere, non imbre fidelium lachrymarum ſubinde irrigatam, & vt diuinæ gratiæ pluuiam intra ſe recipere poſſit, diſpoſitam, non ſolum non fœcundet, ſed induret etiam. Quo ſenſu etiam illud dictum demonſtrauimus. Et indurabo cor Pharaonis. Aeque & illud Pauli ad Romanos: Propter quod tradidit illos Deus in deſyderia cordis eorum, in immunditiam, vt contumelia afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium. Tradidit, inquam, illos Deus, iure merito deſerens, qui veritatem quam eodem reuelante cognoſcunt, in indignitate detentant, Et per hoc quod deſeruntur, traduntur, hoc eſt, permittuntur deſyderijs cordis ſui: quæ hæc erant, vt immunditia & contumelijs afficerent corpora ſua in ſemetipſis. Vt quali iudicio erga diuinitatis vſi ſunt rationem, dum Dei incorruptibilis gloriam, ad fœdas & indignas deducunt hominum aut animalium formas, tali etiam erga ſemetipſos vtantur vice, vt rationales homines viuant more irrationabilium beluarum. Quæ traditio ac deſertio, quo pacto fiat, vt clarius intelligas, ita cogita, quaſi in domicilio aliquo, vna cum carne & ſpiritu, velut cum duobus conſiliarijs contraria ſuadentibus, habitet anima: pro foribus autem eius domicilij aſtare, hinc Chriſtum, pietatem, atque omnes vna virtutes: inde, principem nequitiæ in cœleſtibus, omneſque ſecum luxuriarum ac libidinum formas: atque expectare animæ nutum, quem ex duobus introduci ad ſe deſyderet, quem repelli. Nonne ſi ſpiritui obtemperans, & meliori vſa conſiliario, pietatis & pudicitiæ ad ſe aduocauerit

Quō excæcatio et obduratio noſtra ex nobis, & quo modo a Deo ſit. Simile.

Vt Deus tradat nō-nunq̄ peccatores in deſyderia cordis eorū, &c. ipſos nempe deſerendo.

Quo pacto intelligendum ſit traditionem ac deſertionem illam fieri.

uerit chorum, ille aduerſarius repudiatus diſcedet? Si vero carnis vſa conſilijs, impietatis ad ſe libidinis introduxerit turmam, omnis illa ſanctitatis & pietatis corona, iuſta cum indignatione recedet, & dicet, Curauimus Babylonem & non eſt curata: venite derelinquamus eam. Nonne relinquens eandem in deſyderijs cordis ſui permittet, vt ignominia & contumelijs afficiat corpus ſuum in ſemetipſa, quæ commutauit veritatem Dei in mendacium, & introducens ad ſe impietatis atque infidelitatis principem, ſeruit creaturæ potius quam creatori? Hoc ſane pacto iuſtiſſime deſeruntur a Deo, & traduntur, hoc eſt, permittuntur aduerſarijs virtutibus homines, vt vel ad hunc modum ipſa experientia edocti, eorum quæ concupierant abſurditatem & turpitudinem effugerent.

Quomodo ab Apoſtolo dicitur Deus excæcare mētes infidelium. In eundem ſane modum, idem etiam Apoſtolus Deum excæcare affirmat mentes infidelium huius ſæculi. Quod ſi, inquit, opertum eſt Euangelium noſtrum, in ijs qui pereunt, eſt opertum: in quibus Deus, huius ſæculi infidelium mentes excæcauit, vt non fulgeat in illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, Si oculum aliquem intelligas, Nota ſimile liberi arbitrij facultate præditum, per quam in poteſtate habeat integra ſanitate valere ſi voluerit, conatuſque fuerit: aut lippitudinis vitio, aliove grauiori morbo laborare, Hunc ſua culpa lippientem, quemadmodum excæcarent incidentes ſolares radij, qui tamen vt viſum præſtent, omnibus lucent, Ita, a Deo excæcari mentes infidelium intelligendæ ſunt: non vlla Dei (qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire) ſed vltroneæ infidelitatis eorum cauſa. Ille lucet, vt omnes videant: hos, ſuaipſorum culpa, veritatis lumen excæcat. Ita Chriſti, inquit ille, bonus odor ſumus, & in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt: attamen, ſicut illis odor vitæ in vitam, ita his odor mortis in mortem, Omnibus ſemper idem odor, bonus: qui tamen pereuntibus eſt mortiferus. Non equidem ex ipſa boni odoris natura, qui de ſe ſalutaris eſt: ſed ex ipſa pereuntium malitia.

Recte ergo ab Euangeliſta dicuntur Iudaici illius populi excæcati a Deo oculi, atque indurata corda, Recte quoque illa ipſa excæcatio atque obduratio, obſtinatæ ac prodigioſæ infidelitatis cauſa memoratur.

Cur vero idem illud Eſaiæ vaticinium adeo diuerſimode citetur atque efferatur & a CHRISTO, & a Iohanne Euangeliſta, & a Paulo Apoſtolo, & a nemine horum, vt legitur in Hebraico: ea fortaſſis cauſa eſt, quo ille, qui poſuit in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali, per ſpiritum ſanctum ſuum, offenſionem & ſcandalum lectionis propheticæ, per quam dubiæ mentes offendi videntur, diligentius quærentibus, clarius ac certius aperiret. Proinde a Chriſto,

ſto,& a Paulo eius apoſtolo, citatur atque effertur verbis tantum prænunciatiuis: & talibus, ex quibus clariſſime intelligeremus excæcationis atque obdurationis noſtræ cauſam, ex nobis noſtraque arbitrij libertate,non ex Deo eſſe.

A Iohanne vero Euangeliſta ita effertur, quaſi etiam Deus excæcaret atque obduraret corda noſtra: conſueto illo, quem demonſtrauimus,ſcripturæ more. Quo metueremus eo nos demittere ac præcipitare,in impietatis barathrum, vt iam iuſto Dei iudicio traderemur, ac relinqueremur nobiſipſis,in ſenſum reprobum: deſerti ab eo,ſine quo nihil poſſumus bene agere, multo minus ſalutem aſſequi. Vt de his dicat,Quod iam non poſſint aut credere, aut ex profundo illo impietatis emergere: eo tamen ſenſu quem ſupra indicauimus. Ipſa vero prophetica lectio, innuit illam ipſam quoque ſcripturam propheticam, fuiſſe lapidē offenſionis illis incredulis,quibus diuinæ ſcripturæ menſa facta eſt in laqueum,in retributionem, & in ſcandalum, Itaque verbis diuinis ad prophetam dicitur, Excæca cor populi huius, aures eius aggraua, & oculos eius claude.

Et hactenus diuinarum ſcripturarum locos illos obſcuros qui libertati arbitrij noſtri, & his quæ de prouidentia diuina, prædeſtinatione, ac reprobatione ſuperius a nobis diſſerta ſunt, aduerſari videntur, & omnes equidem torquent, multis etiam ſunt petra ſcandali, obiter quidem, ſed prolixius quam pro inſtituto, & ſatis ni fallor luculenter,ad illam pietatis regulā explicauimus.

LIBRI NONI FINIS.

DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO ET DIVINA gratia Liber X.

Inducta capite primo ſuperioris libri argumenta difficilia pleraque ex quibus & malorum eſſe autorem Deum videtur, nec ipſum velle omnes ſaluos fieri, pertractantur hoc libro, & diſſoluuntur.

VNVM HOC, VEL EX PRAECIPVis fuiſſe ter execrandi Simonis illius magi blaſphemiæ plenorum dogmatum, quod Deus autor eſſet, etiam malorum in nobis omnium: & quantopere pij orthodoxiq́ꝫ ab initio omnes, idipſum execrati ſint: in prioribus huius operis a nobis euidens factum eſt, Itaq́ꝫ pertractanda nunc ſunt, excutiendaq́ꝫ argumenta, quibus eandem ſui patris ac magiſtri, tot ſæculis exploſam ab eccleſia impietatē, Caluinus cum ſuo Luthero, conātur reducere, & reuocare ab inferis. Quorſum, quod ab illo Caluino de Ioſeph citatur, vt q vniuerſum id quod a fratribus contra ſe admiſſum erat ſceleris, diuinæ voluntati aſcripſerit, ita eoſdem cōſolando affatus, Non vos eſtis, qui me vendidiſtis in Aegyptum, ſed Dei voluntate præmiſſus ſum ante vos, vt vitam vobis conſeruarem, Vos quidem cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonū, Non ſic habet ſcriptura, vt ab illo citatur: neq́ꝫ aliud ſignificat, quam quod Deus eorꝫ malitia, tametſi contra propriam eorum voluntatem, in bonum vſus ſit, Vos, inquit, cogitaſtis de me malum: ſed deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis: & ſaluos faceret multos populos, Non dicit Deum fuiſſe autorem, vt cogitarent de ſe malum, ſed eorum malitia ipſum q̄uis contra eorundem voluntatem vſum ad exaltationem Ioſeph, pro multorum ſalute, Vos, inquit, cogitaſtis de me malum: veſtrum hoc erat ſtudium, & non dei: in meam quidem perniciem, ſed irritas fecit ille veſtras in me machinationes, veſtra conſilia: quibus deus ad meam exaltationem vſus eſt. Itaque diligēter diſtinguit ſcriptura Dei opus bonum, ab opere malo hominum, q̄uis in eodem opere. Ab his libera, ſed mala voluntate perpetratum eſt malum: ab illo impeditum, ne ſortiretur, quem intendebant in eo, effectum: imo vt plane recideret in contrarium, Ita quoque & in calamitate a Sabæis & Chaldæis ſancto Iob illata, quam ille eodem citat, eſt diſtinguere opus Dei bonum, a malo opere hominum,

De Ioſeph, vt Caluinus ſcripturam adulteret.

Vt diligenter diſtinguendum ſit dei opus bonum ab opere hominum malo in eodem opere.

Iob.

Sabæi

Sabæi & Chaldæi, interemptis illius paſtoribus, gregem hoſtiliter deprædantur, In quo eorum extat facinus improbum: Nec ceſſat, ſed ſuas in eodem etiam partes agit Satan, a quo totum id prouenire narrat hiſtoria, Ipſe autem Iob domini quoq; opus in eodem recognoſcit opere, quē dicit abſtuliſſe ſibi, quæ erepta erant per illos improbos. Itaq; in eodem opere, tres operantes vides: ſed diuerſo fine, reſpectu, & modo. Chaldæi cum Sabæis ex re aliena, præter ius & fas, lucrum quærere affectant. Cuius malæ & iniuſtæ in eiſdem voluntatis, dominus autor non eſt: ſed iamdudum prauos illorum animos, & quo peiores illos faceret, & ſanctum virum ex patientiæ gradu deturbaret, venenatis ſuis ſuggeſtionibus ad perpetrandum id flagitium, Satan inſtigat. Dei conſilium fuit, illorum malo opere vti ad bonum: & ſerui ſui patientiam, eodem exercere, & conteſtatum facere, & velut exemplū proponere hominibus. Quod intelligēs vir ſanctus, ſemetipſum pulcherrima illa ac memorabili ſententia conſolatus eſt, dicens, Dominus dedit, dominus abſtulit, ſit nomen domini benedictum.

In eodē opere tres operantes, homo malus, ſatan, Deus, ſed diuerſo fine, modo, reſpectu.

Idem intellexiſſe atq; eodem reſpexiſſe Dauid, conuitijs ac lapidibus impetitus a Semei, cum ſuos a prohibenda retaliandaque iniuria prohibens, diceret, Sinite eum, quia dominus pręcepit ei, vt maledicat Dauid, intelligendus eſt, Erat enim grauiſſimorum peccatorum ſuorum, homicidij crudelis, & adulterij in Vriam Etheum, ſibi conſcius: quorum ergo & merito, iuſtiſſimo Dei iudicio, intelligebat ſe affligi, ac perſecutionem pati, etiam a filio proprio, Quod ſi quem moueat præcipiendi verbum quo vtitur, dicens, Quia dominus pręcepit ei vt maledicat Dauid: Is ille contra perpendat, quod alia affirmet ſcriptura, Deum nulli mandaſſe aut præcepiſſe impie agere. Inique autem atq; impie egiſſe illū Semei, & peccaſſe in Deum & in Chriſtum eius regē ſuum, ex propria ipſius conſtat recognitione & pœnitentia. Ne repu tes, inquit, domine mi iniquitatem, neq; memineris iniuriarū ſerui tui, & rurſus, Agnoſco enim ſeruus tuus peccatum meum, & quāuis Dauid, ob hanc pœnitentiam iuraſſet illi impunitatem: moriturus tamē, ſuper eo mandauit Salomoni filio, ne illud ipſum peccatum impunitū tranſiret, ob exempli perniciem: ſed vt deduceret canos eius cum ſanguine ad inferos, Quod non vindictæ, ſed iuſtitiæ zelo feciſſe virum ſanctum, in ipſo maxime mortis articulo indubitatum eſt, Proinde, præcipiendi verbum, hic improprie vt accipiatur neceſſe eſt, ne ſcriptura ſit ſcripturæ euidenter contraria, Nemo enim peccat in eo, in quo præcipienti domino obſequitur, Sed opus Dei iuſtum, hoc eſt, correctionē iuſtam, & iuſtum flagellum, in iniuſto opere hominis iniuſti, ea ipſa loquendi forma ſignificat, Quibus vt inſtrumentis ſuę iracūdiæ, & flagellis, in correptionem ſuorum, nonnunquā etiam, ad virtutis & patientiæ eorundem exercituum, vtitur dn̄s, ſicut iam dictū eſt:

Dauid.

Quō intelligendum quod dicitur, Dominum præcepiſſe Semei vt malediceret Dauid.

vt mirum non ſit ſi retia,& ſecures, & gladij eius,in ſcripturis dicātur.

De Chriſti paſſione et morte, q̄modo eam Deus voluerit, vtque in eadē inueniatur bona volū tas Dei, & mala volū tas hominum.

Quæ vero inducuntur ex ſcripturis ad hoc, quod Deus voluerit Chriſtum pati,crucifigi, & mori pro ſalute humani generis: Quaſi ex eo conſequi videatur, voluiſſe ipſum,vt eadem pateretur ab his, a quibus & paſſus eſt: voluiſſe proinde,vt illi eaipſa peragerent: Cuius voluntati cum non poſſent reſiſtere, peccati illius ſui omnium grauiſſimi,& damnationis quam ex eodem incurrunt,Deum autorem habuiſſe, apparentiorem difficultatem videntur ingerere.

Quo modo, atq; ordine ab æterno diſpoſuerit deus,vt redimeretur genus humanum, morte Chriſti in crucis patibulo.
Non obſeruatus aut inuerſus ordo diuinorum cōſiliorū & voluntatum, vt magnis nos perplexitatibus implicet.

Pro cuius diſſolutione,repetendum ac ſupponendum eſt id, quod ſupra non ſemel aſtruximus. Voluntatem diuinam, quāuis ſimul omnia in æternitate voluerit,ea tamen quæ vult,ordine quodā velle, Propter quod enim vult alia, hocipſum quaſi prius velle indubitatum eſt,Prius dico, non tempore, ſed ordine quodam naturæ, Quem vbi non aſſequimur,nec animaduertimus,aut propter æternitatem,immēſitatemq; Dei,in eius conſilijs,cogitationibus,voluntatibus(vt humano more,quāuis ex vſu diuinarum ſcripturarum de Deo loquamur) nō putantes eſſe ordinē huiuſmodi,aut ſi putamus,eundem tñ peruertimus,quod prius eſt, apprehendentes vt poſterius, aut cōtra, magnis nos ſępe abſurditatibus,difficultatibus et perplexitatibus inuoluimur, & indigna Deo de Deo cogitamus ac dicimus. Neq; enim æternitas earum quæ in mente diuina ſunt diſpoſitionum cogitationūq; omnium,huic ordini vllo impedimento eſt,Quemadmodum,inter ea q̄ tēpore ſimul ſunt,ordinē nihilominus eſſe indubitatum eſt, atq; in ipſa rei natura prius & poſterius, Vt tēpore ſimul ſunt,ſol et lumen productum ab ipſo:attamen ſol,ſuo lumine,velut cauſa ſuo effectu prior eſt.

Nota hunc ordinem.

Hunc itaq; nos ordinem,quod ad rem propoſitam attinet,diſpoſitionum,cogitationum,conſiliorū,voluntatumq; intelligimus in Deo, Nempe,ipſum ante omnia voluiſſe verbum ſuum ex prælecta ad hoc virgine matre carnē aſſumere,atque hominem fieri: non vt redimeret aut a peccato(cuius eatenus nulla in mente diuina verſabatur conſideratio:eatenus dico,non ad tēporis,ſed ad illum quaſi naturæ ordinērēſpiciens)liberaret, ſed vt dignificaret atq; exaltaret hominē: atq; vt in humana natura, vnigenitus ille ſuus,Deus homo,ſuper oēm,quam cōdere diſpoſuerat,rationalē creaturam,regnaret in regno illo quod præparabat,cœleſtis Hieruſalē.Cuius conciuibus, angelis, iam ante creatis & conditis,hunc deinceps ſenſibilem mūdum creare diſpoſuiſſe, quo procrearentur & homines,eiuſdem quoq; regni futuri conciues: vtq; certa ſucceſſione & linea deueniretur tandem ad illum,quem ſibi vniturus erat ipſum illud Dei verbum: & conſequenti inſuper ordine compleretur humanæ in ſuppoſitis ſuis naturæ perfectio. Quam vniuerſam, prima illa, quod ſæpe diximus, intentionis ſuæ ordinatiōe ideo cōdere diſpoſuerat,vt in regno illo cœleſti, ſuæ foret beatitudinis

conſors

conſors & particeps: tamen ſub conditione, ſi ipſi, infinito et ſuo bono, amore adhæſiſſet, & mandatorum ſuorum humili fideliquè obedientia ſeruaſſet originalem illam, quam vocant, rectitudinem, et iuſtitiam: quam, vniuerſæ, dedit in ſuo origine ac ſtipite, Congruum nanq; fuit, vt aliquo obedientiæ merito ſibi ſalutem procuraret: quo poſſet merito coronari, ſi legitime decertaſſet, Quam ob cauſam, nec angelos ſuos coronauit, ante obedientiæ experimentum, certamen, & victoriam. Aeternis itaq; diuini conſilij regulis conſtitutum hoc, ordinatumque mihi videtur, etiam prius ſuo illo modo, quam præuaricaturus homo videretur. Vidit deinde, qui videt omnia, cuius immenſa ſcientia in vniuerſam æternitatem extenditur, & attingit a fine ad finem fortiter, vidit, inquam, poſt illud incommutabilis conſilij ſui decretum, ex arbitrij ſui libertate præuaricaturum hominem, ſeq; cum vniuerſa poſteritate priuaturum regni illius cœleſtis hæreditate, vitæq; beatæ conſortio. Et qui ſuauiter, miſericorditerque diſponit, ac moderatur omnia, ſuum illum vnigenitum, Deum hominem, quem ante, vt diximus, regem illius cœleſtis Hieruſalem, & caput ſuper omnem rationalem intellectualemque creaturam præordinauerat, redemptorem ſaluatoremque lapſo generi humano, velut tertio ſigno (vt ſic ordinem diuinarum ordinationum qualitercunque exprimamus) fore decreuit: & iam in carne mortali ac paſſibili (qui alioqui immortalis veniſſet, vt cæteri hominum) illumipſum venire voluit: & in ea nobiſcum & pro nobis perferre omnes humanæ naturæ miſerias, præter tamen ignorantiam: (nam peccatum non oportet excipere, cum non ſit naturæ conditio) noſque viam ſalutis docere, ſacramenta ac remedia peccatoribus oportuna inſtituere, & in his omnibus ſibi obedientem fore etiam ad iniurias, perſecutiones, cruciatus, mortem denique etiam acerbiſſimam & ignominioſiſſimam, ſi inferretur a ſceleratis & impijs: quam impedire noluit, ſed eos ea in re, permittere poteſtati ſui arbitrij, Deinde, & velut in ſigno illius ordinis quarto, eodem illo immenſo mentis ſuæ oculo, vidit Iudæorum, quibus prædicaturus erat, obſtinatam cæcamque malitiam: vſque ex odio aduerſus eundem, ob liberam veritatis ſalutiſq; doctrinam pluſquam diabolico, in eius necem conſpiraturi eſſent: & morti turpiſſimæ dedituri vitæ ſalutiſque autorem, adacturique in crucis patibulum. Atque in hunc modum, iam præuiſam eius paſſionem & mortem, ex illa eiuſdem tam fideli obedientia, acceptauit in noſtræ redemptionis reconciliationiſque pretium: eumq; non iam, tantum illa obedientia in prædictis ad mortem vſq;, ſed illa ipſa paſſione & morte redemptorem ſaluatoremq; eſſe voluit, In hunc modum ego intelligo, & puto quod non impie intelligam, ab æterno diſpoſuiſſe Deum, vt redimeretur genus humanum Chriſti morte in crucis patibulo.

Siqui-

Siquidem quam mortem & permiſit,& præſciuit infligendam a ſcele ratis & imprjs,in ſalutem redemptionemq́ humani generis acceptauit:atq́ eius intuitu, noſtri miſertus, & his qui eandem præceſſerunt, & qui ſubſequuti ſunt omnibus, ſyncere tamen peccatorum ſuorum remiſſionem ab ipſo requirentibus,eadem miſericorditer remiſit.

Quō deus pater pro nobis in mortē tradiderit filium ſuum.

Sed hic iterum nobis occurret quiſquam, Quod ipſe pater dicatur pro nobis tradidiſſe in mortem filium ſuum: affirmāte hocipſum Apoſtolo,Qui proprio, inquit, filio nō pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit illum, Similiter & ipſe Chriſtus oblatus dicitur, quia offerri voluit, Videtur ergo Deum patrem non tantum permiſiſſe,ſed etiam voluiſſe paſſionem et mortem filij ſui:imo,in eandem,ipſum tradidiſſe atque obtuliſſe. Quemadmodum etiam hic,offerri,tradi,pati,crucifigique voluit,Atque ita relabimur in difficultatem priſtinam.

Sed hæc præmiſſis minime aduerſantur: nec demonſtrāt mortem Chriſti aut a Deo patre, aut ab ipſo Chriſto ſimpliciter & abſolute fuiſſe volitam, Satis tradidit filium ſuum pro nobis, qui ipſum volebat mandata ſibi noſtræ redemptionis ſalutiſq́ myſteria perficere, etiamſi mors turpiſſima ob idipſum obeunda illi foret:quiq́ eandem ipſam a furentibus & excæcatis odio Iudęis infligendam, ni prohiberet,vidēs, infligi permiſit, cum prohibere nutu potuiſſet:qui illā inſuper ipſam, vnicum noſtræ ſalutis fecit medium, et aduerſus damnationem remedium,Ita quoque & Chriſtus ipſe oblatus dicitur,quia voluit:nō quidem abſolute & ſimpliciter,ſed quia non fugit,non ceſſit,non impediuit,quanuis potuiſſet,ſed proditori & ſe quærentibus proceſſit obuiam. Noluit tamen illum,ſe prodere:noluit ſacrilegos furenteſq́ Iudæos inuolui illo ſacrilegij horribili crimine. Sub illorum tamen impietate & ſcelere ſuam demonſtrauit obedientiā in implendis q̄ ſibi a patre ſuo mandata fuerant:ſuā patientiam, fortitudinem, conſtantiam. Vis

Simile.

ſcire quō Deus paſſionem Chriſti et mortem voluerit? ad exemplum calamitatis Iob,ipſi inflictę a Chaldęis,quod paulo ante explicauimus, reſpice:in qua,& illi, & Satan,et Deus, quiſq́ operabatur q̄d ſuū erat.

Vt deus autor malorū hoc eſt,peccatorū noſtrorum nō ſit, vtq́ nolit peccata fieri.

Omnium orthodoxorū certa eſt, & indubitata ſententia, Deū non eſſe autorem malorū:hoc eſt,peccatorū,impietatum,et ſcelerum,quę vere mala ſunt:nolle peccata fieri, Quæ nihilominus & fieri ſinit, cū ſuæ creaturæ rationali liberum dederit voluntatis arbitrium : ad bonum quidem,ſed quo poſſet etiam flagitia committere,& auerti a bono: alioqui,eodem,nec libere poſſet adhærere bono, vnde ipſi foret eiuſdem boni aſſecutio & poſſeſſio. Itaque Deus quanuis nolit homines abuti

Vt ſinat tamen illa fieri, & bona eliciat ex malis quæ non vult.

ad malum, quam ad ſummi boni aſſecutionem & participationē ipſi dedit,libertate arbitrij,ſinit tamē, quo libertas ſit:et præuidit quo quiſque pacto eadem vſurus aut abuſurus ſit, & præuidendo hominū impietates & ſcelera, eaipſa, ad bonum aliquod ordinat:& mirabili infinitaq́

nitæq́

nitæque bonitatis ſuæ potentia, ex malis bona elicit, vultque vt eaipſa mala,in bonum cadant, vel aliorum, vel etiam illorumipſorum qui ea commiſere aut commiſſuri præuidentur: videlicet,vt humilientur ex caſu,& experimento diſcant,quam ſint fragiles homines,alijſque in di gnitate conſtituendi, ac præficiendi, diſcant compati:præterea, vt ex comparatione ad vitia virtutes agnoſcant verius:vt ſuos flagellet alio rum malitia,aut virtutem patientiamq; eorundem exerceat,celebret,et exemplum documentumq; alijs prębeat: Vt doceat, quanta poſſit hu mana fragilitas adiuta ipſius gratia:q̃ ſit inefficax impiorum aduerſus pios furor & crudelitas:vt ſibi ipſis,non illis noceant,aduerſus quos in ſaniunt: quos perſequuntur: quibus nocuiſſe maximopere cupiunt. Hæc,inquam,atq; alia eiuſmodi multa,ex malis quę noluit,Deus elicit bona quæ vult:& quæ fieri non voluit, ſed permiſit,in bonũ ordinat.

In hunc modum,Chriſto mortem ab impijs ſacrilegiſq; Iudæis in ferri non voluit,permiſit tamẽ, vt poſſent impiam illam ſacrilegamq; aduerſus illum voluntatem ſuam explere & perficere. Non quidem ſemper,quando hocipſum voluerunt facere:ſed conſtituto pręordina toque tempore:poſt curſum prædicationis eius impletum: poſt perfe cta miracula,cæteraq; quæ ſalutis noſtræ cauſa,illi conſtituta fuerant. Proinde, comprehendentibus ſe dixit Chriſtus. Quaſi ad latronẽ exi ſtis cum gladijs et fuſtibus: Cum quotidie vobiſcum fuerim in tẽplo, non extendiſtis manus in me:ſed hæc eſt hora veſtra et poteſtas tene brarum. Cum,inquit,quotidie vobiſcum fuerim in templo,non exten diſtis manus in me:nõ quia voluntas,ſed qa poteſtas defuit: quia hoc ipſum non fuerat permiſſum vobis deſuper, Nunc autem eſt hora ve ſtra: & poteſtas tenebrarum peſſimæ ac diabolicæ voluntatis veſtræ, ſibi iam permiſſa eſt, Nunc, non vt dudum, aufugio aut ſubterfugio: nõ recuſo capi,& quæcunq; volueritis pati,mori deniq;, ſed paratum me ad omnia vobis offero, Vos ſciens ad hoc venturos, hic vltro expe cto:venientibus obuiam proceſſi:Profeſſus eum me eſſe quem quæri tis Ieſum,verbo in terrã proſtraui, vt intelligeretis me offerri, quia vo lui:nec vos habituros in me poteſtatem vllam,niſi vna cum patre per mitterem:niſi vobis datũ,hoc eſt, permiſſum eſſet deſuper, Agite nũc proinde pro veſtro arbitrio:explete veſtrũ in me odium:veſtrã volun tatẽ malignã ac diabolicã:qa hæc eſt hora veſtra,et poteſtas tenebrarũ.

In hunc igitur modum permiſſam præuiſamq; illorum execrabili impietate inferri Chriſto, paſſionis & mortis ignominioſiſſimæ iniu riam,eandemipſam,in omniũ noſtrũ bonum ordinauit et contulit, Ex illorum in vitę autorem deteſtabili ſacrilegoq; parricidio, ſalutem om nibus oriri voluit, Diuinæ bonitatis & ſapientiæ hoc eſt inſigne, vt ex malis bona,atq; adeo valde bona eliciat. Mors illa Chriſti, ex ſe, nulli, bono fuit:nec ipſi,nec infligentibus,nec nobis deniq;:ſed obedietia illa ad

Mors Chriſti, ex ſe, vt nulli, bono fuerit: ſed obediẽtiã eius, & patiẽtiam in eadẽ per ferenda, de ſe bonam fuiſſe, & Deo patri acceptiſſi mam.

ad mortem, & mortem eiuſmodi, atque in eadem perferenda patientia, fortitudo, conſtantia, illa de ſe bona erat, & Deo patri merito acceptiſſima & gratiſſima. Attamē eiuſdem bonitas & miſericordia, mortem illam pretioſam fecit: bonam ac ſalutarem, nobis omnibus incorporādis Chriſto, atq; illi cōiungendis vt capiti: pro quibus acceptauit eandem, vt redemptionis noſtræ, & debiti mortis æternæ pretium: & quo deleretur ſcriptum illud aduerſus nos decreti chirographum: atque ipſi patienti, eius ergo, nomen dedit, quod ſuper omne nomen eſt, Vides itaque, vt mortem vnigeniti ſui, noſtrę ſalutis cauſa voluerit pater, Vides quoque vt eandem ipſe voluerit Chriſtus: & oblatus ſit, quia offerri voluit: non equidem abſolute, cum mors illa ſua, vt iam dictum eſt, nullam in ſe boni rationem habuerit: nec infligi potuit ſine damnabili peccato occidentium. Sed quomodo dictum eſt, et quia inflictam Deo patri pro noſtra omnium ſalute obtulit.

Vt Dei bonitas & miſericordia mortem illam pretioſam fecerit & ſalutarē nobis omnibus.

Et voluiſſe igitur, & noluiſſe mortem ſuam Chriſtum, æque teſtantur diuinæ ſcripturæ & Euangelicæ: imo idem ipſe Chriſtus teſtis eſt: qui rogabat patrem, vt auferret a ſe paſſionis calicem, & ſuam voluntatem a diuina voluntate, diuerſam profeſſus eſt: ſalua tamen ſua ad eamipſam etiam perferendam obedientia. Itaque imminente iam morte, vt homo, eſt vehementer contriſtatus: & cœpit, inquit, tædere, pauere, cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe: triſtitiam ſuam præſentibus diſcipulis ingenue profeſſus eſt. Triſtis eſt, inquit, anima mea vſque ad mortem. Orabat vt homo. Pater, omnia poſſibilia tibi ſunt, transfer calicem hunc a me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu. Non mea voluntas, ſed tua fiat, Reſpiciebat humana voluntas, qua nolebat paſſionem ſuam, & mortem, reſpiciebat, inquam, eandem, vt malum ſuum: & vt execrabile peccatum infligentium, Reſpiciebat eandem diuina voluntas, (quæ eadem nihilominus illi cum patre fuerat) non ſimpliciter, vt eſſet, aut fieret: ſed vt malitia hoīm (quā ſuæ poteſtati ſinebat) inflicta, eſſet noſtrę ſalutis redemptioniſq; pretium. Proinde, et ſuam voluntatem humanam, vſq; ad mortem obediens, diuinæ ſubijcit, Neque abſolute voluit, aut petijt a ſe transferri illum ſuæ paſſionis calicem, ſed velut optando, ſi poſſet fieri. Quæ tñ noſtræ magis eruditionis gratia, ita & geſta & expreſſa ſunt: vt diſceremus nihil ita ſimpliciter a Deo petere, ſed noſtram volūtatem diuinæ ſemper & in omnibus voluntati ſubijcere, Nam, quod ad Chriſtum attinebat, nō ignorabat ipſe diuini de ſe decretum conſilij, & hactenus quidem, argumētis, quæ de ſcripturis inducuntur, vt Deum malorum, hoc eſt, peccatorum noſtrorum autorem faciant, mihi abunde reſponſum videtur.

Et voluiſſe, & noluiſſe mortē ſuam Chriſtum.

Nunc ad ea quoque reſpondeamus quibus in dubium vocari videtur id, quod velut indubitatum ſupra toties aſſeruimus: nēpe, Deum velle oēs ſaluos fieri, nec ex ipſo deeſſe, quo minus ſaluetur quiſq̄.

Demōſtratur Deum velle oēs ſaluos fie-

Inprimis & ante omnia ſub oculos conſtituenda eſt apoſtolica ea de re clariſſima et certiſſima definitio, quam ad Timotheum ſcribens, his verbis explicat, Obſecro igitur primo omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiões, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptũ coram ſaluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Audis definitionẽ apoſtolicam, tam claram & apertam, vt in ea obſcuranda nullus ſit locus caligini, quam illi fruſtra nituntur ſuffundere hæretici: præſertim cum eandem, tametſi per ſe clariſſimam, adhuc magis illuſtret, illa, quam alibi demonſtrauimus & ſupra nonnuſquam inculcauimus, amuſſis infallibilis rectæ diuinarum ſcripturarum intelligentiæ: communis nempe fides & ſententia catholicæ Chriſti per orbem eccleſiæ. Quæ, cũ clariſſime demonſtret, quid intelligat in dicta apoſtolicæ doctrinæ regula, locum non relinq̃t, vt in ea, in diuerſum intellectum noſtro euagemur arbitrio. Nam cum ea præceptum contineat, dubium eſſe non poterit, quid in eodẽ intelligat, ex concordantis eidem obedientiæ ſtudio. Præcepit itaq; Apoſtolus, imo per Apoſtolum dñs, qui loquebatur in illo, fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarũ actiones, primo atque in vniuerſum pro omnibus hominibus: deinde ſpecialiter pro regibus, ac pro his qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam (quod ab horum maxime pẽdet officio) hic agamus, in omni pietate & caſtitate. Quam legem ſupplicationis, ita omnium ſacerdotum & omnium fideliũ deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi ſit, in qua a populis Chriſtianis non celebrentur orationes huiuſmodi. Et inprimis Deo ſupplicat eccleſia, pro omnibus hominibus: non tantum pro piorum & ſanctorum vniuerſitate, quanuis et ipſa (vt in obiectionibus bene demõſtratum eſt) nonnunq̃ ſignificetur in ſcripturis diuinis ſub vniuerſali illa loquendi forma, omnium, inquam, hominum, ſed ſimpliciter pro omnibus hominibus: non ſolum pro ſanctis & in Chriſto iam regeneratis, ſed etiam pro omnibus infidelibus et inimicis crucis Chriſti: pro omnibus idolorum cultoribus: pro omnibus qui in mẽbris eius perſequuntur: pro Iudæis, quorum cæcitati lumen Euangelij non refulget: pro hæreticis & ſciſmaticis, qui ab vnitate eccleſiæ, fidei, & charitatis alieni ſunt. Si interrogas, quid pro iſtis petat? Quid, inquam, niſi vt relictis erroribus ſuis conuertantur ad Deum: accipiant fidem: accipiant charitatem: & de ignorantiæ tenebris libertati, in agnitionem veritatis veniant? Quod etſi magna parte ex libero eorum arbitrio dependeat. Quia tamen malæ conſuetudinis pondere oppreſſi, quanuis volunta

ri, nec ex ipſo deeſſe, quo minus ſaluentur omnes.

Vt pro omnibus hominibus, ex præcepto apoſtolico, catholica eccleſia ſupplicet.

Quid pro illis petat.

riæ,& diaboli vinculis alligati,quibus ſeipſos vltro implicuerunt, non poſſunt iam inde ſe extricare, nec ſuas deceptiones euincere, quibus tam pertinaciter inhæſerunt, vt quantum eſt amanda veritas, tantum falſitatem diligant, non poſſunt,inquam,iſta, abſque ſingularis & eximiæ cuiuſdam Dei gratiæ adiutorio: ſupplicamus Deo, vt ipſorum a ſe alienam voluntatem ipſe præuenientis ſuæ gratiæ vi, præparet iuſtificanti ſuæ gratiæ: ipſe diſperſos & abalienatos a ſe, colligat. Supplicamus, inquam, hæc Deo, iubente Deo: vt qui hocipſum omnibus, quanuis indignis, præſtare cupit, vult tamen ſupplicari a pijs, vt præſtet impijs: vt ſi non horum merito, tamen orationis piorum reſpectu & intuitu: hoc, eoipſo ſignificans, ex infinita ſua bonitate cupere ſubuentum omnibus, omnes ſaluos fieri: & ad agnitionem veritatis venire: tamen copioſas illas ſuæ miſericordiæ & ſingularis gratiæ diuitias, ex fixo apud ſe inſcrutabilis ſui conſilij decreto non obtrudere paſſim omnibus, niſi & noſtro ad id prouocetur aliquo merito: ſi non proprio, tamen quodammodo noſtro: etſi alieno, attamen pro nobis impenſo: & vt pios, ad fraternæ charitatis in omnes officia, omnes autem ad virtutis ſtudium, conatumque ad eandem, & bonitatis illius beatificæ aſſecutionem prouocaret, Hoc, inquam, conſilio, omnibus torporem neglectumque ſalutis ſuæ excutiens, a ſuis autem, charitatis in omnes officia exigens, miſericors & iuſtus dominus, ſibi pro omnibus ſupplicari voluit, Quia cupit & vult omnes ſaluos fieri, vt qui vnus Deus, vnus creator eſt omnibus, vnus quoque pater quod equidem ex ipſo, eſt omnibus. Quia vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſemetipſum dedit redemptionem pro omnibus. Neminem tamen ſaluat inuitum: neminem, ex nolente, abſoluta illa & efficaci vi, volentem facit: & tametſi voluntates eorum præparet ad hoc vt velint, multi tamen, etiam illi ipſi miſericordiſſimæ præparationi, quæ exhortationibus, inuitationibus, comminationibus, flagellis, ac beneficijs fit, contumaci voluntate reſiſtunt, & corda ſua aduerſus hæc omnia indurant. Qualibus dicebat Chriſtus, Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Voluit ille congregare ſibi eoſdem, tribuens hoc patrum illorum merito: at illi congregari noluerunt, Volebat ille eoſdem ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: at illi noluerunt.

Cur Deus præceperit, nos ſupplicare ſibi pro omnibus.

Gratia quidem Dei, inquit ſanctus Ambroſius, in omnibus iuſtificationibus, principaliter operatur, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed tamen etiam voluntas hominis ſubiun-

Ambroſ. lib. II. c. nono, de voc. om. gen.

Vt diuinæ gratiæ opitulatio ne-

ſubiungitur ei, atque coniungitur: quæ ad hoc, prædictis eſt excitata præſidijs, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium: de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione, ſi proficit. Quæ opitulatio, per innumeros modos, ſiue occultos, ſiue manifeſtos omnibus adhibetur: & quod a multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem a multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt diuinæ & voluntatis humanæ, &c. Ipſa enim gratia, hoc omni genere medendi, & auxiliandi agit, vt in eo quem vocat, primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet, voluntatem. Nam virtus nolentium nulla eſt: nec poteſt aſſeri, vel fidem, vel ſpem, vel charitatem illis ineſſe, quorum ab his bonis conſenſus alienus eſt. Vnde ſicut animus nihil virtutis capit, niſi radium veri acceperit luminis: ita gratia nihil ei, quem vocat, confert, niſi oculos in eo aperuerit voluntatis. Trahit pater, eos qui ad CHRISTVM veniunt: vt qui in cordibus trahendorum hoc egit, vt crederent: hoc effecit, vt vellent. Sed non eſſet vnde traherentur, ſi ſequaces fide & voluntate non eſſent. Neque enim accedunt, ſed recedunt, qui diſſentiunt. Qui ergo veniunt, amore ducuntur: dilecti enim ſunt, & dilexerunt: quæſiti ſunt, & quæſierunt. Et quod eos DEVS voluit velle, voluerunt. Qui ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, vt etiam a perſeueraturis, mutabilitatem illam, qua poteſt nolle, non auferat. Propter quod nunquam debet in auribus fidelium vox illa domini non ſonare, vigilate & orate, ne intretis in tentationem, &c. Vniuerſitati proinde hominum ita multiplex atque ineffabilis Dei bonitas conſuluit ſemper, & conſulit, vt neque vlli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi veritatis lumine: neque cuiquam ſit liberum, de ſua iuſtitia gloriari: cum & illos, propria nequitia demergat ad pœnam: & iſtos Dei gratia perducat ad gloriam: ſemperque certum atque indubitatum permaneat, quod velit omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

> cessaria ad hibeatur omnibus, a multis autem refutetur.
>
> Vt gratia diuina ſibi primo voluntatē pręparare conetur.
>
> Voluntatis noſtræ, & diuinæ gratię, cōiugatio neceſſaria.

Quod vero aduerſus hæc dicitur, perfeciſſe DEVM omnia quæcunque voluit, de efficaci, abſoluta, atque imperatiua, non autem de optatiua voluntate hoc neceſſario intelligendum eſt: ne ſecum pugnet diuinus ſpiritus, affirmans Deum multa voluiſſe & velle, quæ tamen non perficiuntur: vt quæ, eadem illa ſua voluntate, ex libera hominum voluntate pendere voluit. Quam, tametſi ſecundum infinitæ ſuæ bonitatis naturam ad bonum conuerſam velit, ad quem finem, eandem dedit hominibus: non tamen cogit, quo libera voluntas maneat: ſed ſuæ libertati eandem dimittit, qua, cum ad malum abutitur, contra Dei voluntatem illud ipſum facit. Vocat

> Solutio obiectionū, aduerſus nunc aſſertam ſententiam.
>
> De qua voluntate intelligendū quod dicitur perfeciſſe Deū omnia quę voluit.

Vt vocentur oẽs a Deo, atque omnibus offeratur miſericordiſſimi domini gratia.

ille ad ſalutem & agnitionem veritatis omnes: at non omnes auſcultant, non omnes ad illum accedunt, non illum ſaluare cupientem recipiunt, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Hoc agit vox illa domini, quæ per quandam velut pietatis tubam toto orbe reſonantem, omnes homines & inuitat, & conuenit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris, Iugũ enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Vides effuſa erga omnes abſque vlla exceptione, diuinæ miſericordiæ viſcera: eandem laborantes & oneratos omnes ſub peccatorum pondere, ad ſe aduocare: obſequentibus & venientibus, promittere ſuæ gratiæ conſolationem & refrigerium: affirmans iugum mandatorum ſuorum ſuaue, his qui ſe illi tradiderint, & onus leue, Si quis eſt, qui oneratus non eſt, nec laborat ſub peccatorum pondere, is ille ſe non vocatum conqueratur a Deo: is ſibi non oblatam gratiam miſericordiſſimi domini & ſalutem dicat, Venit in hunc mundum, longa ignorantiæ & ſuperbiæ nocte cæcum, creator mundi, & mundus eum non cognouit. Lux in tenebris illuxit, ſed tenebræ eam non comprehenderunt: non lucis vitio, quæ quod ex ſe eſt, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſed hominum ipſorum, qui dilexerunt magis tenebras, quam lucem: dilexerunt propriæ voluntatis malitia tenebras, & lucem reſpuerunt.

A quibus, & quare ſalutarem ſapientiã abſcondat deus.

Itaque quod eadem lux illa, dictæ ſuæ inuitationi ad omnes, præmittit, Confitebor tibi pater, domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, ita pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita ſunt a patre meo: & nemo nouit filium niſi pater: neque patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare, Hæc, inquam, non eo pertinent, quaſi non omnes voluerit pater ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: aut quod non omnibus voluerit filius reuelare patrem. Sed quod ad hunc pertinet, hoc ipſum eſt, quod per Prophetam ſuum edixit, Ad quem, inquit, reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos, Sapientibus & prudentibus in oculis ſuis, hoc eſt, de ſe præſumentibus, & ſuperbis non reuelat Deus ſalutis doctrinam: nec impartit ſuam gratiam, ſed paruulis & humilibus: proinde tales vt ſimus, conari nos oportet, quo diuinæ illuminationis & gratiæ efficiamur participes, Quod cum in nobis ſit, ex nobis quoque deeſſe manifeſtum eſt, ſi minus illuminemur a patre, nec gratiam eius accipimus. Quod nemo nouit patrem, niſi cui voluerit reuelare filius, non

Ex nobis deeſſe, quo minus diuinæ illuminationis & gratiæ efficiamur participes.

hoc ſignificat,quod quibuſdam ipſum reuelare noluerit filius, imo ad eius reuelationem accipiendam omnes inuitat, continuo ſubijciens, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, Paratum vides & doctorem & magiſtrum, atque obuium omnibus, Si tibi reuelatus pater non fuerit, non doctoris, ſed tua culpa eſt, qui ad illum docendus non accedis, Scimus, inquit ille, quia mundus totus in maligno poſitus eſt: quia dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: quia dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: & proinde in ignorantiæ ſuæ tenebris permanſerunt, Et ſcimus, inquit, quia filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verum D E V M patrem, & ſimus in vero filio eius, Dedit nobis, Quibus? qui auſcultauimus vocationi & obtemperauimss vocanti, atque eidem per amorem & charitatem adhæſimus: per quam & in illo ſumus, & ipſe in nobis eſt, Vocat omnes, & ſuis præcepit, vt euntes in mundum vniuerſum docerent abſque exceptione omnes, & prædicarent ſalutis Euangelium vniuerſæ creaturæ: nullarum nationum, nullorum hominum diſcretionem fecit: neminem merito excepit, neminem ſeparauit genere, neminem conditione diſtinxit. Ad omnes prorſus homines miſſum eſt Euangelium crucis C H R I S T I, Vocat proinde omnes: tametſi nobis nota non ſit vocatio omnium, cuius, vt ſupra dictum eſt, diuerſi modi ſunt: ſed quia non auſcultant illi omnes, nec vocanti obtemperant, ideo nec omnibus dedit hunc ſenſum, vt cognoſcerent Deum verum, & permanerent in vero filio eius: quem nemini deeſſe, cui dubium aut obſcurum eſſe poteſt, qui ipſum ſe impendiſſe omnibus non dubitat? ſpiritum pro impijs & peccatoribus mortuum, a quorum numero, nemo liber inuentus eſt? Annon eſt pro omnibus mortuus etiam peccatoribus? Si enim, inquit ille, cum adhuc infirmi eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et rurſus, Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam, ſi cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multo magis iuſtificati ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Et iterum; Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Donauit ſane omnia, ad ſalutem nobis neceſſaria: & omnibus, quantum equidem ex ipſo eſt, nulli ipſe deeſt, ſed ex nobis deeſt, ſi quid nobis deeſt.

Vt filius, quod ex ſe eſt, velit omnibus reuelare patrem.

Chriſtum ſe impendiſſe pro omnibus, etiam impijs & peccatoribus.

Hoc itaque, vt beatiſſ. patris Ambroſij verbis dicam, de bonitate Dei piiſſime creditur, quia omnes homines velit, ſemperque voluerit, ſemperque voliturus ſit, ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, tamen ſecundum eas menſuras, quibus dona generalia ſpe-

Ambroſ.

cialibus nouit cumulare muneribus, Vt & qui exortes gratiæ fuerint, de ſua nequitia redarguantur,& qui eius lumine enituerint,non in ſuo merito,ſed in domino glorientur, Per quæ, etiam ea, quæ vltimo loco ad infirmandam prædictam certiſſimæ veritatis regulam inducta ſunt,mihi abunde diſſoluta videntur.

Aduerſus prædicta, obiectiões plerę; diſficillimæ.

Reſtat nunc vt diſſoluantur quæ de inæquali omnium vocatione, de paruulis item qui decedunt, antequam poſſint auſcultare vocanti, Et de tam vario exitu hominum inducta ſunt:ex quibus videtur,Deum non æqualem ſe omnibus patrem exhibere: non velle omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ſed erga quoſdam, velut ſpecialiter ad ſalutem electos, paternum affectum oſtendere, dimiſſis, quaſi ad ſe non pertineant, alijs, Nam qui in præteritis generationibus, dimiſſis vniuerſis gentibus in vias ſuas ingredi, vnum ex omnibus, quaſi non æque ad ſe pertinerent omnes, peculiarem ſibi elegit populum Iſrael, quem ſpecialibus ad pietatem inſtitutis dirigeret, ſuſtineret, lapſum & auerſum ſubleuaret, reuocaret, erudiret, & flagellis & beneficijs, quod idem ſi præſtitiſſet neglectis alijs, hauddubie egiſſent pœnitentiam, Et conuerſo modo, in plenitudine temporum, reprobato illoipſo ſpecialiter electo populo, ſalutis doctrinam, & gratiæ ſuæ diuitias, miſſis in orbem vniuerſum ſuæ illius tam obuiæ ſalutis nuncijs, copioſiſſime effudit. Quomodo poteſt dici communem ſe patrem, ſicut conditorem, exhibere omnibus, ſiue priorem illum populum Iſraeliticum, ad hunc poſteriorem reprobum, ſiue maiores noſtros ex gentibus qui hoc tempus tam effuſæ & tantæ plenitudinis gratiæ præceſſerunt, ad ſuos poſteros, in quos hæc exundauit felicitas, contulerimus? Quomodo denique? per quem videmus infantum pleroſque vel ſuffocari in materno vtero, vel hinceripi, (vt in cuius manu anima omnis viuentis eſt, ſub cuius prouidentia & omnipotentia ſpiritus vniuerſæ carnis regitur, ſine cuius voluntate nec folium ex arbore in terram decidit) antequam Chriſto per regenerationis ſacramentum incorporati ſunt: contra autem, multis, quos ſuorum impietas deſeruit,per alienos curare vt ad regenerationis ſacramentum veniant? Quomodo vult omnes ſaluos fieri, qui non omnibus illud tempus impartit, quo vel per ſe,vel alios,accipiendæ gratiæ ſint capaces & idonei? Quomodo denique qui hunc transfert, quo tempore bonus eſt, ne malitia intellectum mutet: illum dimittit,quem ſcit demutandum a malitia: Illum ſceleratiſſimum inter infinita pericula ſeruat, quo tandem ſuam gratiam vel in extremo halitu, baptiſmi ſacramento regeneratus accipiat: alterum in peccatis ſuis ſubita inopinataque morte ſuffocat, aut ſuffocari permittit.

Ad ho-

Ad horum obiectorum ſane quam difficillimorum diſſolutionem prius quam propius accedamus, hoc reuocandum eſt ad memoriam, altitudinem iudiciorum Dei, humanæ intelligentiæ penetrabilem eſſe non poſſe, De quibus, cum nobis ratio deficit, hoc certo conſtituendum ac firmiter tenendum eſt, Deum, apud quem non eſt iniquitas, & cuius vniuerſæ viæ miſericordia & veritas, vt eſt, conditor omnium, ita & iuſtum eſſe ordinatorē & moderatorem: neminem damnare indebite, neminem ſaluare debite: noſtra plecti cum punit noxios: ſua tribuere cum facit iuſtos: vt obſtruatur os loquentium iniqua, & iuſtificetur Deus in ſermonibus ſuis, & vincat cum iudicatur: nec damnati ſit iuſta querimonia, nec iuſtificati verax arrogantia, ſi vel ille dicat, non meruiſſe ſe pœnam, vel iſte aſſerat, meruiſſe ſe gratiam.

Ad obiectorum diſſolutionē. Hypoteſis prima.

Deinde & hoc admonendus es Lector, ea quæ inducta ſunt, ad occulta diuinæ iuſtitiæ iudicia pertinere: ad quæ intelligenda, verecundum nobis videri non debet, ſi nec ſapientiores ſumus, nec ſcientiores beatiſſimo illo Apoſtolo, qui in myſteriorum iſtorum ingreſſus arcanum, ijſdem, velut explicatu impoſſibilibus, ſuccumbere ſe non diſſimulauit, ſed ingenue profeſſus eſt, Cum enim dixiſſet, Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc, quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret: ſicut ſcriptum eſt, Veniet ex Sion qui eruat & auertat impietates ab Iacob: & hoc illis a me teſtamentum cum abſtulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem inimici, propter vos: ſecundum electionem vero, dilecti propter patres, Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei. Sicut enim aliquando & vos non crediditis Deo, nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis propter illorum incredulitatem: ita & iſti nunc non crediderunt, in veſtra miſericordia, vt & ipſi miſericordiam conſequantur, Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur, Cum, inquam, hæc diuinorum operum myſteria, menſuras humanæ intelligentiæ excedentia, quodam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu, totam expoſitionis rationem ad ſtuporem tranſtulit: & admirator eorum quæ protulerat, exclamauit. O altitudo diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, Ipſi gloria, Cum enim multimode per hæc ſe dediſſe quæſtioni locum non ignoraret Apoſtolus, vt variatæ per tot populos & tempora gratiæ Dei cauſa quæreretur, Cur ſcilicet anterioribus ſæculis dimiſſæ eſſent omnes gentes ingredi vias ſuas, vno tantum Iſraele excepto, & ad veritatis cognitionem electo,

Hypoteſis ſecunda.

Vt etiam Apoſtolus, ſupleriſq; huius generis quæſtiōibus, velut menſuras humanæ intelligentiæ excedentibus, totam expoſitiōis rationis ad ſtuporem trāſtulerit.

cuius

cuius infidelitas,locum tandem ſaluandis gentibus fecerit?tanquam,ſi vnus populus in fide ſui generis permaneret,miſericordia Dei, cæteris ſe nationibus præſtare non poſſet? Cur deniq; ipſi, quorum diminutio ſalus eſt gentibus, ab obcæcatione ſua non liberentur, priuſquam ingrediatur gentium plenitudo: quaſi illuminari cum omnibus gentibus nequeant, qui omnes,facta omnium gentium adoptione ſaluandi ſunt? Aut quomodo omnis Iſrael,ſublata obcæcatione ſaluus futurus ſit,cuius innumerabilis multitudo,in ſua infidelitate deficiens, ad tempora ſaluandis promiſſa non peruenit? Vel quomodo ipſarum gentium,quarum prius non eſt facta vocatio,dicatur nunc ingredi plenitudo:cum tanta promiſcuæ ætatis & conditionis hominum milia in omnibus nationibus quæ ſub cœlo ſunt, ſine Chriſti iuſtificatione moriantur? Cum,inquam,his quæſtionibus omnibus, ſuis verbis anſam inieciſſe videret Apoſtolus, non eiſdem explicandis aut rationibus earundem reddendis accingitur: ſed ſub altitudine diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, in his omnibus, iuſtiſſimæ veritatis, & miſericordiſſimæ bonitatis, ſubtractum ab humana cognitione, & abſconditum,latere docet ſecretum:ne temeraria inquiſitione irrumperemus ad diſcutiendum, quod nobis non licet aſſequi, Multa enim ſunt in diſpenſatione diuinorum operum, quorum cauſis latentibus, ſoli monſtrantur effectus. Vt cum pateat quod geritur,non pateat cur geratur: negotio in mediū deducto,et in occultum ratione ſubducta:vt eadem in re, & de inſcrutabilibus præſumptio comprimatur: & de manifeſtis,falſitas refutetur.

Explicatio quæſtionis de tam mirabiliter varia vocatione omniū gentium.

Quanquam quæſtio illa, de tam mirabiliter varia omnium gētium vocatione, etſi difficilis, & ad arcana illa diuinorum conſiliorum decreta pertinens, probabiliter tamen ſupra libri VIII. cap. V. mihi explicata videtur, Interim hoc certum eſt,& manet, Deum omnes homines velle ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, Ad omnium nationum ſalutem,& non vnius Iſraelitici populi tantum, ipſum ſemper impendiſſe miſericordiæ ſuæ viſcera:nec in præteritis quidem generationibus, vllis defuiſſe diuinam gratiam: tametſi ob rationes quas ibidem haud improbabiles diximus,aut forte ob alias, etiam multo æquiores & pleniores,diuinæ ſapientiæ, miſericordiæ & iuſtitiæ, quanuis deliteſcentes in abyſſo illa nobis imperſcrutabili, ſpeciali cura atque indulgentia, proſequutus videatur Iſraeliticum illum populum. Miſericordia domini, inquit ille, plena eſt terra: nec ita in vnum Iſraelem incubuit, vt aliorum curam negligeret, & ſuæ bonitatis viſcera illis clauderet, Quæ nullis vnquam ſæculis, nullis generationibus defuit, ſed prouidentia qua vniuerſitatem rerum adminiſtrat, continet eandem: & alendis & illuminandis & gubernandis hominibus ſemper impendit, Diſpoſitum habens ex incommutabilis æternitate conſilij,

Miſericordia domini plenā eſſe terram: nec ſic vnum Iſraelē incubuiſſe, vt aliorum curam negligeret.

quibus

quibus quidque temporibus diſtribueret, & multiformis gratiæ ſuæ inſcrutabiles inueſtigabileſque menſuras,per quæ dona ac ſacramenta variaret, Diuidens quidem ſingulis prout vult,tamen in ſingulis etiam intendens & reſpiciens aliquid,ad cuius rationem, cuique ſua dona ac talenta diſtribuit,quod ipſius veritatis certo teſtimonio cognoſcitur in parabola hominis peregre proficiſcẽtis, qui vocatis ſeruis ſuis tradidit illis ſubſtantiã ſuam,& vni quidẽ dedit quinq; talenta, alijs aũt duo,alij vero vnum, vnicuiq; tamen ſecundum propriam virtutem. Præuidet ergo in ſuis,diſtributor ille ſubſtantiæ ſuæ Deus, ſi nõ meritum,attamen aliquid,ad quod reſpiciens vnicuiq; ſua talenta impartit: vt non minus æquum diſtributorem,quã ſapientem, & in omnes miſericordem dominum intelligas. Cuius iuſta miſericordia, & miſericors iuſtitia,nec alendis vnquam corporibus hominum,nec docendis iuuandiſq; eorum mentibus defuit, Qui imbrem gratiæ ſuæ pluit ſuper omnes bonos & malos, ſed non ſimiliter excipitur ab omnibus: illuminans, quod ex ſe eſt,omnem hominem venientem in hunc mundum, ſed multi auertunt & claudunt oculos ne videant Solem: alios ſuo vitio lippientes oculos in eundem illum Solem magis quam par eſt temere irreuerenterque intendentes, cæcitate perſtringit:qui tamen ad hoc omnibus lucet vt videant, Qui ab ipſo mundi exordio ſanctũ ſuum ſpiritum rectorem adhibuit ſanctis omnibus. Cuius motioni, qui, & quamdiu obtemperarunt,filij dei nominati ſunt,velut acti Dei ſpiritu. Quicunque enim, inquit ille, *ſpiritu Dei aguntur*, hi filij ſunt Dei. Cum vero & hi quoque deſciuiſſent ab illo,carnis magis deſyderijs obſequentes,quam imperio & motioni ſpiritus, & neglecta patrũ obſeruantia illicitis ſe reproborum connubijs miſcuiſſent,atq; ob nefariam ſocietatem, digni exterminio iudicarentur, ait dominus, Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt. Quandiu eis præſidentis ſpiritus ſancti motioni obtemperabant, ſpiritales merito illos cenſuit,at poſtquam carnis deſyderijs ſe tradiderunt, carnem illos dixit.Ex quo ſimul intelligimus,ſpiritum ſanctum ſic impendere moderaminis ſui regimen voluntatibus hominum quibus præſidet,vt declinandi ad vitia poteſtatem eis non adimat, Qua poteſtate ille populus ſi vſus non fuiſſet ad malum, non reliquiſſet Deum, nec derelictus fuiſſet a Deo, Qui quandiu in numero filiorum Dei manſit,ea quidem voluntate manſit, quam Deus inſpirauit & rexit, (præparatur enim voluntas a domino) ſemper tamen libertate ſui arbitrij manſit,qua eadem & decidit, Hoc certiſſime ſemper in his omnibus ſtatuentes,nullum fidelium,a Deo vltro non diſcedentem,relinqui:neque cuiuſquam ruinam ex diuina eſſe cõſtitutione diſpoſitam: ſed his qui iam iudicio rationis vtuntur,ideo eſſe liberum diſcedere, vt nõ diſceſſiſſe,

Diuinam bonitatem etſi diſtribuat ſingulis prout in ſingulis tamẽ reſpicere aliquid, ad cuius rationem,ſua dona ac talenta diſtribuat.

Diſtributor ille ſubſtantiæ ſuæ Deus,non minus in eadẽ æquus diſtributor,quã ſapiens & in oẽs miſericors dominus.

Spiritum ſ. ſic impẽdere moderaminis ſui regimen, voluntatibus hominum quibus præſidet, vt declinandi ad vitia,poteſtatem eis nõ adimat.

ſceſſiſſe, præmij occaſionem haberet indulgẽtiſſimus & pijſſimus dominus: & eorum meritis deputaret, quod, etſi non potuit, niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, potuit tamen eorum voluntate non fieri. Sed nec illi quidem parti quæ in charitate non ſtetit, ſed ab ipſo pene ſui initio, diabolici liuoris veneno intumuit, defuiſſe aut deeſſe Dei bonitatem, niſi deeſſent ſibi, in principe gentis impiæ, Cain, ſcriptura euidenter demonſtrat. Quem, ſancti fratris meritis inuidentem, cædemque eius parricidiali corde meditantem, dignatur tamen dominus paterno mitigare conſilio, Et quod, non fratri, non Deo, ſed vni ſibi imputare deberet, non fuiſſe accepta a Deo eius munera, & proinde reſipiſceret, Quare, inquit, iratus es: & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies? ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Perinde quaſi diceret, Quid habes cauſæ, quod fratri iraſceris, eo quod placuerit mihi? Tibi ipſi potius iraſcere, quod ipſe mihi non placueris: qui munera tua deſpexi meo iudicio, non illius voto, Quia obtuliſti non recte, quod æque, vt frater, potueras. Nulla eſt apud me perſonarum acceptio, Si bene egeris, etiam ipſe mercedem recipies, ſin male, tua hæc culpa, tuum peccatum erit: ex tuo hoc appetitu & voluntate pendebit, vtrumuis horum volueris, bene an male facere, Et in ipſo illo appetitu, ipſa voluntate, tu præſidebis: penes te erit eius poteſtas: vt quicquid horum feceris, non feceris, vni tibi cauſam totius mali imputandam intelligas. Quam ſententiam Hebraica lectio, non paulo clarius innuit, Quæ & bene & male facere ad appetitum ſeu voluntatem noſtram refert, libertatem eius ad vtrunque affirmans. Et tu, inquit, præſidebis in eo, appetitu ſcilicet: hoc eſt, penes te eius erit & eſt poteſtas. Eiuſmodi igitur cum ad Cain loqueretur dominus Deus, nunquid ambiguum eſt voluiſſe eum, & quantum ad medendi modum ſufficiebat, & ad ægroti cognitionem congruebat, egiſſe, vt ab impio illo furore reſipiſceret? Sed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, vnde debuit eſſe correctior. Et vtique præſciebat Deus, ad quem finem inſanientis eſſet progreſſura conceptio: & potuiſſet Abel illæſum defendere: niſi placuiſſet ſibi, & in eius correptione nos docere, non velle ſe mortem impij, ſed magis velle vt conuertatur a via ſua mala & viuat: & in huius morte, magna patientiæ ſuæ laude efficere, vt perpetuus honor iuſti fieret, temporalis furor impij. Cuius etiam poſteris, quanuis in progenitoris ſui moribus viuerent, tam multis beneficijs, tam longa, tam magna patientia ad pœnitentiam eos prouocantis non defuit benignitas. Quæ licet obduratis, nihil remedij & emendationis attulerint, probant tamen auerſionem eorum, non diuinæ fuiſſe conſtitutionis, ſed voluntatis propriæ. Sicut, etſi quicquid in pijs ad

Etiã in correptione Cain demõſtraſſe deũ, nolle ſe mortẽ impij, ſed magis velle vt cõuertatur a via ſua mala & viuat.

Explicatio verborum dei ad Cain

In permiſſa a ſe morte Abel, quid nos docuerit Deus.

Tam multa Dei erga peccatores beneficia, quibus eos ad pœnitentiam prouocat, demonſtrare, quod non ſit ſuæ conſtitutionis ſed pro-

ad ſalutem peragitur, diuinæ ſit largitionis & gratiæ, ita tamen eandem experimur potentem, vt nullo modo credamus violentam: perinde, quaſi ex ſola Dei voluntate atque eius omnipotentis efficacia perageretur, quicquid in ſaluandis hominibus agitur.

prię voluntatis, corũ auerſio.

Nec exiſtimandum eſt extra peculiarem illum & ſpecialiter electum Iſraeliticum populum, ante Chriſtum, cæterarum nationum neminem placuiſſe Deo, quod carnales illi ſibi perſuadebant Iudæi: nec mox, poſtquam vni Nicodemo, ad ſe venienti nocte dixiſſet Chriſtus, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non introibit in regnum cœlorum, damnationi obnoxios, quotquot toto orbe, & ex Iudæis & ex gentibus, alioqui in Dei timore viuentes, ſecundum legem quam acceperant, illo baptiſmi ſacramento regenerati non fuerant, Illud, ſanctus Iob, ſancti illi magi, quibus in extremo oriente, quã in media Iudæa notior erat ſaluatoris natiuitas, Ille quoque Cornelius Centurio, & alij innumeri, ipſaque certiſſima redarguit veritas, quam tuba illa euangelica perſonat, Quæ præputium gentium incircunciſarum, cuſtodientium tamen iuſtitias legis, quam Deus inſcripſit eorum cordibus, reputatum fuiſſe coram Deo, in circunciſionem palam prædicat & affirmat.

Ante Chriſtum, extra nationem Iſraeliticã, etiam innumeros alios placuiſſe Deo.

Alterum, etiam nulla admittit, aut ratio, aut æquitas, Hoc enim, quod cuique eatenus ſuffecerat ad ſalutem, eo vſque ſufficere debuit: quouſque promulgata ſibi ſufficienter eſſet lex euangelica. Accipe, vt erat; multos & in Aegypto, & in Arabia, & in Babylone, & in vrbe Roma, breuiter toto pene mundo diſperſos Iudæos aliquos, ad quos, in timore domini & iuſtificationibus legis eius quam per Moyſen acceperant, pro modulo humanæ infirmitatis diligenter incedentes, Chriſti illa verba nec publice, nec ſuper tecta, ſed noctu & pene clanculo & in angulo aliquo vni Nicodemo dicta nondum peruenerant, imo, nec Chriſti nomen & geſta inter ſuos miracula, Hos vniuerſos damnationi deſtinabimus, mox poſt dictum illud, atque ita dictum a Chriſto verbum, qui eatenus fuerant regni filij? Quæ hæc foret diuinæ iuſtitiæ æquitas, ſibi eatenus gratos, damnationi de repente obligare? ex filijs regni, gehennæ filios facere? Et qua obſecro earum culpa, fuiſſet hæc facta in eis mutatio? Legem dicis latam a Chriſto, quæ eatenus non fuerat, imponentem omnibus neceſſitatem ſacramenti regenerationis, vt medij, & neceſſarij medij adipiſcendæ ſalutis. Eſto, Sed non poteſt eos obligare lex, quibus ſufficienter promulgata non eſt, Illis enim eſt, perinde ac ſi lata non eſſet, Nam eatenus inuincibili eius ignorantia laborant, quæ nulli, culpæ deputari poteſt, Certe quod lex ea neminem obligarit, priuſquam illi ſufficienter promulgata eſſet, nec baptiſmi defectum eatenus impedimento cuiquam

Non ſtatim fuiſſe omnibus ad ſalutem neceſſarium baptiſma, poſtquã dictum eſt a Chriſto, Niſi quis renatus fuerit, &c.

Vt lex Chriſti de baptiſmo obligarit neminẽ, cui ſufficienter promulgata non eſſet.

fuiſſe, quo minus placeret Deo Cornelius ille Cẽturio certiſſimo documento eſt, Qui homo quidem gentilis, & adhuc Chriſtum plane ignorans, ſi Lucæ credimus, & ab angelo, & a beatiſſimo Petro teſtimonium habuit, quod placeret Deo, imo, & ſpiritum ſanctum nondum baptizatus recepit, Nam & religioſum illum fuiſſe perhibet, & timentem Deum cum omni domo ſua, & eleemoſynas multas erogaſſe in pauperes, & aſſiduis orationibus pro ſalute ſua ſupplicaſſe Deo, quas & angelico teſtimonio Deo gratas fuiſſe affirmat. Et Petrus, eodem illo viſo & audito, dixit, in veritate ſe comperiſſe, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, hunc acceptum eſſe illi, Acceptus ergo Deo erat Cornelius etiam annis aliquot poſt Chriſti reſurrectionem, aſcenſionemquè in cœlos, & diſſeminatum in vniuerſam Iudæam, & inter Iudæos (inter quos nihilominus idem habitabat) Chriſti Euangelium, priuſquam de Chriſto intellexiſſet certi aliquid: & ſpiritum ſanctum accepit, tam ipſe, quam qui ſecum erant, priuſquam eſſent renati ex aqua & ſpiritu. Quod in ſcripturis exprimens diuinus ſpiritus, nimis liberalem eorum ſententiam coarguit, qui ob dicta Chriſti verba damnationi aſcribunt omnes, qui poſt Chriſtum cum Chriſti ignorantia, quanuis alioqui inuincibili, hinc diſceſſerunt, non renati ex aqua & ſpiritu, Nam illi Cornelio, quanuis inter medios Iudæos (quibus Chriſti Euangelium ſatis denunciatum promulgatumque extiterat) commoranti, eatenus fraudi non fuit ignoraſſe Chriſtum, quouſque & ſibi annunciaretur a Petro, (nam vſq; dum, ſolis Iudæis promulgatum Chriſti Euangelium extiterat) nec ignorans ignoratus, ſed cognitus eſt: cuius eleemoſynæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei, & exaudita oratio, Quem Petrus, velut timentem Deum, & operantem iuſtitiam, acceptum eidem fuiſſe affirmat, Quod ſi ille ſine fide Chriſti explicita, Chriſto nihilominus incorporatus Deo placere potuit, quandiu Chriſti fides prædicata illi non fuerat: eadem erit & in aliis ratio.

De Cornelio, argumẽtum irrefragabile.

Multos poſt Chriſtum, etiam ſine explicita fide Chriſti et baptiſmi ſacramento, incorporatos nihilominus Chriſto, placuiſſe Deo.

Et quanquam a quibuſdam certa quædam diſtinguantur Euangelicæ legis & doctrinæ tempora, primum, quo apud paucos quoſdam promulgata, nondum omnes toto orbe obligauerat, ſecundum, quo publicæ in vniuerſum orbem coruſcauit & enituit: Hoc omnino certum eſt, non poſſe idem tempus conſtitui quo dici poſſit aut potuerit ſufficienter promulgata vniuerſis, Neque enim idem tempus vocationi omnium gentium a Deo conſtitutum eſt, Quando etiam nunc, in multis mundi partibus, multæ nationes ſint, quibus nondum illuxit ſaluatoris gratia, multis quoque maximo prouentu nunc primum per noſtros cœpit illuceſcere, Quibus eatenus, quod ad hanc rẽm pertinet,

An certum quoddam tempus cõſtitui poſſit quo vniuerſis ſatis promulgata doctrina Chriſti, & lex Euangelica cenſeri debeat.

Non idem tempus conſtitutum a Deo vocationi omnium gentium.

net,eandem conditionem fuiſſe, quæ Cornelio fuerat,quouſque doce-
retur a Petro, nihil dubitandum eſt, Veritatis præconibus quibus
poſt dicebatur. Ite in orbem vniuerſum & prædicate Euangelium o-
mni creaturæ,ijſdem prius dictum fuerat, In viam Gentium ne abieri-
tis,& in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, ſed ite potius ad o-
ues quæ perierunt domus Iſrael. Quin & poſteriore etiam tempore,
cum iam dominus Ieſus,in Dei patris gloria conſideret, & prædicato-
res miſſi in vniuerſum orbem ſalutis nuncij, ſuſcepto negotio deſerui-
rent, volentes euangelizare verbum in Aſia, vetiti ſunt a ſpiritu ſan-
cto: & diſponentes ire in Bithymiam, prohibiti leguntur a ſpiritu Ie-
ſu: non vtique negata illis populis gratia, ſed quantum apparet, retar-
data. Nam poſtea, etiam apud ipſos doctrina Chriſtiana conualuit,
Quanuis enim ad omnium hominum vocationem dirigeretur Euan
gelium,omneſque dominus ſaluos fieri, & in agnitionem vellet verita-
tis venire,non tamen ſibi diſpenſationum ſuarum poteſtatem abſtule-
rat,vt aliter quam ſapientiſſimo iuſtoque,quanuis nobis occulto iudi-
cio ſtatuerat,conſilij ſui ordo decurreret. Quæ fuerit differendæ voca-
tionis cauſa,non claret: dilatam fuiſſe claret: & non ſine æquiſſima cer-
tiſſimaque ratione dilatam fuiſſe ab optimo & ſapientiſſimo Deo ni-
hil dubitandum eſt: qui tamen interim pro infinita ſua bonitate & mi
ſericordia nec illis defuit,quorum apertam vocationem ob ſibi notas
rationes diſtulit: quemadmodum nec Cornelio, priuſquam Petrum
ad ipſum docendum mitteret.

Sed continenda nobis hic vela ſunt, Nam ſe pelagus hic aperit im-
menſum,& magnis difficultatibus atque obſcuritatibus plenum, de
pleriſque multis, quos dubitandum non eſt, in tanta multitudine eo-
rum qui Mahumeti doctrinam ſequuntur, a parentibus imbuti ab in-
cunabulis,eſſe tamen qui deum cognoſcant & reuereantur,vt cauſam
omnium: vt bonorum malorumque remuneratorem : illi ſalutem ſu-
am commendent: quam & ab eodem expectent, & legem naturæ ſe-
quantur ſuis inſcriptam cordibus: & voluntatem ſuam diuinæ ſub-
mittant,quid videlicet de his ſentiendum ſit: an habendi eo loco, quo
erat ille Cornelius,priuſquã in Chriſti fide inſtitueretur a Petro? Si di-
cas,iam toto orbe ſatis promulgatum Euangelium Chriſti, vt eius ne-
minem excuſare adhuc poſſit ignorantia. Res te ipſa redarguit: cum
adhuc quotidie nationes inueniantur innumeræ, apud quos,aut pa-
tres eorum,prædicati Euangelij Chriſti nullum reperitur extare veſti-
gium:certe,præſentibus omnibus ad noſtra vſque tempora plane fuit
inauditus Chriſtus:minus profecto, quam illi Cornelio, inter medios
Iudæos,inter quos palam peractum a Chriſto fuerat noſtræ ſalutis my
ſterium:palã de cruce loquebatur & fulgurabat eius Euangelium. Cui

Quæſtio propoſita in medium, An apud Turcas & Mahumetanos, etiã nunc, laborent pleriq; inuincibili Chriſtianæ doctrinæ ignorantia. Et An tales, in ſua fide, quanuis erronea, ſaluari poſſint.

 tamen

tamen,ſi Chriſtianæ fidei ignorantia, impedimento non fuit, quo minus etiam non baptizatus placeret Deo in Chriſto: multo minus his videbitur,multo inuincibilior,eiuſdem ignorantia,impedimento eſſe, quo minus Deo in Chriſto placere poterunt, Sed eſto,audierint Chriſtianorum nomen:ipſi tamen ita edocti,noſtram, falſam & erroneam, qua vero ipſi imbuti ſunt,fidem veram exiſtimant:& deum iubere vt ita credant,(ſic nempe a parentibus & maioribus edocti,quibus minores & poſteros merito ſubijcit naturalis ratio,niſi,& quouſq; aliud doceat diuina illuminatio) exiſtimant: nec de ea dubitare ſibi licere, imo damnandos,ſi dubitent:itaq; quo Deo placeant, & ne damnentur, ita credunt:nec quicquam ſciunt de reuelationibus diuinis: nulla viderunt diuinæ in contrarium atteſtationis ſigna & miracula, ſed nec audierunt quidem,ita, vt merito tenerentur ea narrantibus credere, Si dicas ipſos teneri fide erronea:ſine fide autem orthodoxa & catholica impoſſibile eſſe vt quis placeat deo,affirmante hoc ipſum Apoſtolo. Ipſa etiam hic te eadem orthodoxa & catholica fides conuincit, quod non recte intelligas verba Apoſtoli, vt quæ certiſſimo tenet, etiã in erronea fide,multos placuiſſe deo,Errauit in fide,glorioſum illud Epiſcoporũ & martyrum decus Cyprianus,rebaptizandos credens baptizatos ab hæreticis:cuius tamen nomen glorioſa memoria, & in benedictionibus celebrat,Chriſti eccleſia:imo & ſuffragia fida apud Chriſtũ poſtulat,cui cõiunctum ipſum in gloria nihil dubitat,Et quã multa erronea, abſq; tamen ſalutis præiudicio,credebant priores illi patres noſtri, ſancti alioqui orthodoxi & catholici,quæ eadem,ſi poſt notam de eiſdem eccleſiæ definitionem,crederemus & nos,merito haberemur hæretici: Non damnat igitur erronea fides,quandiu error excuſationem probabilem habet. Cui,ſi etiam in his qui Chriſti fidem diligenter erant accurateq; edocti,eſſe locus poteſt:in ijs qui inuincibiliter ignorant, eidem locus eſſe non poterit: De qua vero fide loquatur Paulus, ſine qua impoſſibile eſſe affirmat,vt quis Deo placeat,idem ipſe cõtinuo explicat. Oportet enim,inquit,accedentem ad Deum credere, quia eſt, & quod inquirẽtibus ſe remunerator ſit,Hæc multi de Deo credunt, q̃uis prorſus ignari Chriſtianæ fidei:credidit, in ſua fide placens Deo, Cornelius,priusq̃ erudiretur de Chriſto, Vrgent quidem,abſolute illæ,quæ a Chriſto prolatæ leguntur ſententię,Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non introibit in regnum cœlorum. Et rurſus, Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit,qui vero non crediderit, condemnabitur. Et iterum, Qui credit in filium,habebit vitam æternam, qui incredulus eſt filio,ira Dei manet ſuper eum.

Multos ſaluari cũ fide erronea.

De qua fide loquatur Apoſtolus, Sine qua, impoſſibile affirmat, vt quiſquã Deo placeat.

Vt abſolute plerçq; ſententiæ prolatæ a Chriſto, neceſſariam reſtrictionẽ recipiant.

Sed æque nos ipſa cogit ſcripturæ autoritas,hęc ita intelligere,vt nihilominus illum Cornelium,& qui in eodem cũ illo loco, eadeq; cõditione

tione ſunt, etiam cum ignorãtia Chriſtianæ fidei & baptiſmi, nihil du bitemus potuiſſe poſſeque placere Deo. Aeque cogit catholicæ eccleſiæ autoritas, quæ multos ſanctorum martyrum numero habet, non renatos ex aqua & ſpiritu, vt vniuerſalem illam Chriſti, congrua aliqua expoſitione moderemur, ſententiam, In paruulis quoque, quos baptizatos ſaluari, eadem, non dubitat catholica eccleſia, neceſſario reſtringenda illa Chriſti vniuerſalis videtur ſententia, Qui non crediderit, condemnabitur, Cum credere, actus rationis ſit, tametſi etiam a voluntate dependeat: vt adultos tantum & rationis capaces (quibus ſolis eſt credendi poſſibilitas) ea complectatur ſententia.

Et quanuis Auguſtino videatur, eadem comprehendi, etiam paruulos, quos baptizatos affirmat credere, hoc eſt, ſacramento fidei initiatos eſſe: non baptizatos, non credere, et damnari, vt incredulos filio, Ipſa loquendi hoc non permittit ratio, vt credere, intelligamus baptizatum eſſe: præſertim, cum Chriſtus, ea, vt diuerſa, diſtinguat diuerſitatis copula, Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, Nec hoc recte dici videtur, paruulum non baptizatum, eſſe incredulum filio: niſi & caninos catulos ante præfixum illis a natura videndi tempus, cæcos recte dici volueris, quod nondum videant, Sed ſi ſermonis proprietatem ſpectes, is eſt incredulus filio, qui cum docentem & affirmantem audiuit filium, illi recuſat credere: quod paruulorum non eſt: nec nudam credendi negationem, ſed prauum incredulitatis habitum importat, Nemo recte dicitur incredulus alteri, niſi cui affirmanti non credit: aut cuius, quam intelligit, affirmationi non credit, Recte proinde hoc intellectum & dictum eſt a maioribus noſtris, non requiri fidem propriam, qua ipſimet credant, ſed ſufficere illis fidem alienam, qua baptizandi offeruntur eccleſiæ. Neque eſt, vt accurate refellamus, quod nunc non pudet comminiſci nimis literales hos Theologos, paruulos baptizatos habere fidem, qua vere credunt propriam: imo, tanto ſynceriorem quanto minus in eis viget ratio, vt quæ fidei ſemper impedimento ſit, Neque enim puto. (quod D. Auguſtinus recte etiam aduerſus eos dicit, qui paruulos affirmabant habere peccatum, quod in hac vita contraxerunt proprium) adeo deſperandum de humanis ſenſibus, vt metuendum ſit, ne hoc tam ab omnium ſenſu alienum cuiquã perſuadeant, An non credere, eſt credendo, mente firmiter aſſentiri? An mentis aſſenſus abſque vlla apprehenſione eſt? nunquid credenda apprehendunt paruuli? nunquid ratione vtuntur? Nonne tanta infirmitas animi & corporis (vt eiuſdem illius Auguſtini verbis dicam) tanta rerum omnium ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus vel naturalis, vel ſcriptæ legis ſenſus aut motus, nullus in alterutram par-

Aduerſus eos, qui dicũt paruulos baptizatos habere fidẽ, qua vere credãt, propriam.

tem rationis vſus, hoc multo teſtatiore ſilentio, quam ſermo noſter proclamat, atque indicat? Valeat aliquid ad ſeipſam perſuadendam ipſa rei euidentia, Nam nuſquam ſic non inuenio, quod dicam, quam, vbi res de qua dicitur, manifeſtior eſt, quam omne quod dicitur.

Sed quid comminiſcentur ſapientes hi in oculis ſuis homines, in altera æque vniuerſaliter a Chriſto prolata ſententia, Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Nunquid & hæc ſententia conſtringit paruulos? Ita ſane crediderunt plerique ſanctorum patrum noſtrorum: & proinde etiam eoſdem communicabant ſacramento menſæ dominicæ, Quod teſtatur diuus Auguſtinus libro primo de peccatorum meritis & remiſſione. Vbi cum aſtrueret paruulis neceſſarium regenerationis ſacramentum, in abolitionem peccatorum ſuorum, ex illis verbis Chriſti. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Obijcientibus, Chriſtum de adultis loqui, qui vocantur ad pœnitentiam, quod dici non poſſit de paruulis: occurrit nunc citatis verbis Saluatoris, Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid, inquit, ad hæc reſpondere poterunt, niſi pertinacia pugnaces neruos aduerſus conſtantiam perſpicuæ veritatis intendant? Sed poſt declarauit catholicæ toto orbe eccleſiæ ſententia, dictam Chriſti ſententiam non pertinere ad paruulos: quæ, ex hoc errore procedentem aboleuit morem illum priſtinum de communicandis eiſdem ſacramento menſæ dominicæ, Cum & de adultis loqui Chriſtum, ipſa eius verba, ſi perpendantur, ſatis clare manifeſtant, Niſi, inquit, manducaueritis, velut alloquens rationis capaces, qui & audire & intelligere poterant.

Sed hæc peritioribus definienda relinquo, Ego interim hoc certiſſimo affirmare non dubito, iuſtam Dei miſericordiam, miſericordemque iuſtitiam, nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis iuuandiſque eorum mentibus defuiſſe.

Vt in his quæſtionibus nihil definire autor voluerit.

De paruulorum vniuerſali multitudine.

Quod de paruulorum vniuerſali multitudine inducitur, in qua, hi regenerationis ſacramento CHRISTO incorporati, hinc decedunt regni filij: illi contra, ſub obligatione & reatu peccati originis, iræ filij, Iam ſupra non ſemel pertractatum & explicatum eſt. Quæris quid hos diſcreuerit ab æterno in mente diuina, vt hi eorum prædeſtinarentur ad vitam, illi reprobarentur ab eadem, Si non nuda, ſolaque vnius diuini beneplaciti electio? Reſpondebo quod ſupra, diſcrimen, quod in his præuidit, non fecit Deus, hoc eſſe, quod hi decedunt ſub reatu & obligatione peccati originis; Illi vero, ab eius

nexu

nexu ſoluti ſacramento regenerationis, & incorporati Chriſto. Quod ſi velis a Dei voluntate ac beneplacito pendere, vt his conferatur, illis negetur baptiſmi gratia, ego contra, ex illo non deeſſe, quo minus omnibus conferatur affirmare non dubito, vt qui vult omnes ſaluos fieri, Ex ipſo ergo nemini deeſt, quod neceſſarium eſt ad ſalutem, Sed quia hæc ita inſtituit Deus, vt humano miniſterio adhiberentur hominibus, quo mutuæ ſaluti ſuæ cooperarentur homines: reliquit in his homines, quo eſſent homines, in manibus conſilij ſui, Quorum aut culpæ, aut negligentiæ, non vero Deo, imputandum eſt, quod hinc quidam decedant non renati ex aqua & ſpiritu, Quomodo, inquis, vult omnes ſaluos fieri, qui non omnibus illud tempus impartit, quo, vel per ſe, vel per alios, accipiendæ baptiſmi gratiæ ſunt, capaces & idonei? Reſpondeo impartiri a Deo, quantum ex ipſo eſt, omnibus, tempus accipiendæ ſaluti ſufficiens & idoneum: ſed multis & ſua & aliorum culpa abrumpi vitæ filum, ante conſtitutam ſibi eius periodum. Qua in re, nihil habes quod Deo imputes, niſi queraris, non prohiberi ab ipſo, liberum humanæ voluntatis arbitrium, quotieſcunque in ſuam ipſius, aliorumque conuertitur perniciem, Sed æqua ratione litem intendes Deo, quod hominem, fecerit hominem: liberi nempe arbitrij. Nec eſt verum, cuiq; conſtitutum a Deo ſuum exitum, Multi enim moriuntur tempore non ſuo: multi extinguuntur & ſua & aliorum culpa & incuria: qui, quod ex Deo erat, potuiſſent diutius viuere. Sed hæc ſupra pluribus aſſeruimus. Quanquam fortaſſis decedentium hinc paruulorum innocentium, ſub reatu peccati originis, ſtatus ſit eiuſmodi, qui non ſolum decori & perfectioni vniuerſi conueniat: ſed nec ipſis omnino pœnitendus ſit, imo de ſua ſorte contenti, Deum laudent, ac glorificent, & eidem de ſua erga ipſos miſericordia gratias agant, tametſi in regni illius cœleſtis ciues aſcripti non ſint, De quo libro Controuerſiarum, controuerſia prima egimus prolixius.

De tam vario hominum exitu, & diuerſiſſima, quantum nobis apparet, diuinæ prouidentiæ erga diuerſos cura, hoc nobis certiſſimo tenendum eſt, nec perſonam illum accipere, nec quicquam niſi certa, ſapientiſſima, & æquiſſima ratione erga quenquam facere. Quæ quoniam nos latet, & in abyſſo illa imperſcrutabili diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ eius abſcondita eſt, merito admiranda nobis videtur apparens iſta diuerſitas, Deinde maxima parte, ſi diligenter perpendas, ad libertatem ea referri poteſt, humani arbitrij. Quam ſi queraris, quod malam, non ſemper fruſtretur & impediat, ingratiſſimus Deo es, qui ad ſalutem eam tibi dedit: & ſine qua beatiſſimæ bonitatis ſuæ non fores capax & particeps. Poſtremo, vnde cœpimus,

De exitu hominum tam vario, & diuerſiſſima erga diuerſos cura diuinæ prouidentiæ.

Ex tribus hypoteſibus ſoluenda omnis quæſtio.

pimus, nobis verecundùm n̄on erit, ſi his in rebus, ſapientiores non ſimus illo CHRISTI electo Apoſtolo, quanuis interfuerat ſecretis cœleſtibus: & confiteamur in pleriſque iſtorum noſtram imbecillitatem ſuccumbere: et inquiſitionem vniuerſam ad ſtuporem transferamus, cum eodem exclamantes. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis cognouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Et hactenus argumentis quæ hac in re aduerſus prædefinita a nobis difficultatem ingerunt, pro noſtro modulo reſponſum mihi ſatis videtur.

(+)

LIBRORVM DE LIBERO HOMINIS arbitrio & Diuina gratia, FINIS.

ERRATA QVAEDAM QVAE per humanam incuriam fefellerant.

¶Folio 3. facie 2. linea 17. eam interire. fa. 2. li. 22. in nos benefico. Fo. 4. fa. 1. li. 9. educationi eorum. fa. 2. li. 21. vtrunque docens. Fo. 6. fa 1. li. 10. afferit. Fo. 9. fa. 2. li. 17. conuictáq;. Fo. 12. fa. 2. li. 18. quonam modo. Fo. 16. fa. 1. li. 14. Quid magiſtratibus. Fo. 15. fa. 2. li 28. omnis? Fo. 17. fa. 1. li 9. vt optimum. Fo. 22. fa. 1. li, 31. qua aliquid. Fo. 23. fa. 1. li. 18. quæ excludunt. Fo. 23. fa. 2. li. 12. & deſeruiſſe. Fo. 24. fa. 1. li. 18. eam. Fo. 27. fa. 1. li. 19. diſpecto. Fo. 33. fa. 2. li. 28. ad exercendas. Fo. 37. fa. 2. li. 14. Cuius vt. Fo. 42. fa. 2. li. 13. aperiri. Fo. 44. fa. 1. li. 6. ad redundat. Fo. 50. fa. 2. li. 34. illum. Fo. 51. fa. 2. li. 1. fine eius. Fo. 51. fa. 2. li. 21. commodam. Fo. 91. fa. 1. li. 42. auerſatrix. Fo. 119. fa. 1. li. 18. execreris. Fo 119. fa. 2. li. 14. factus eſt Fo. 123. fa. 2. li. 8. alter. Fo. 134. fa. 1. li. 2. priorem. Fo. 131. fa. 1. li. 24. volunt. Fo. 138. fa. 1. li. 28. ſed ſoli. Fo. 141. fa. 1. li. 17. non voluit. Fo. 148. fa. 1. li. 21. vſus agitauit. Fo. 155. fa. 2. li. 29. prætermittat. Fo. 176. fa. 1. li. 15. Confiteor. Fo. 178. fa. 1. li. 26. Ipſum pro impiis.

5-5-1